





ALBERICI GENTILIS

DE IURE BELLI

LIBRI TRES

HOLLAND

Londini



APUD

A. MACMILLAN ET SOCIOS

Lower
Internat.
G330d

ALBERICI GENTILIS

I. C. D.

I. C. PROFESSORIS REGII

DE IURE BELLII

LIBRI TRES.

EDIDIT

THOMAS ERSKINE HOLLAND

I. C. D.

IURIS GENTIUM PROFESSOR CHICHELEIANUS

COLL. OMN. ANIM. SOCIUS

NECNON IN UNIV. PERUSIN. IURIS PROFESSOR HONORARIUS


Londonii

E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO

M DCCC LXXVII

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

<http://www.archive.org/details/dejurebellilibri00gent>



PRAEFATIO.

RENASCENTE nuperrime tam in Anglia quam in Italia Alberici Gentilis fama, uisum est fautoribus quibusdam nostratibus summi iuris consulti, praesertim Oxoniensibus, non modo locum sepulturae eius, adhuc neglectum, marmore et insculptis uerbis honestare, sed etiam libros eius DE JURE BELLII, opus ad historiam iuris gentium recte intelligendam maximi quidem momenti, hodie uero prorsus extra commercium et eruditis etiam hominibus paene ignotum, denuo in lucem edere.

Cui uoto cum alacri animo aduissent preli Delegati in Uniuersitate Oxoniensi, et librum typis Academicis excudendum accepissent, equidem recusare non potui quin novam hanc magni operis editionem cura et studio meis quam maxime adiuuarem.

Munus suscepi non sine diligentia perficiendum, quum necesse esset locos citatos paene innumerabiles in ipsis libris unde ducti fuissent reperire, et, quod praetermiserat Gentilis, auctorum nominibus numeros qui titulos, capita, etc., denotarent nunc primum

subiungere. Longus erat et insipidus, sed non euitandus labor, cuius tamen similem non est dedignatus egregius ille Barbeyracius¹.

Operum quoque citatorum, quorum non paucorum hodie ne nomina quidem memoria adseruantur, confeci indicem, quem utilem futurum esse spero ad ueros scientiae nostrae exquirendos fontes.

Textum editionis anni MDCXII sum secutus; in quo nihil mutauit, nisi quod preli errores innumeros tacite correxi, perpetuam argumenti scriem, quo magis lucesceret sermonis ratio, in periodos discretas sciunxi, punctorum uix tolerandam multitudinem, quamuis seculum illud sapientem, hic illic ausus sum minuere. Latinitatem qua usus est Gentilis, numquam non duram et nimis remissam, in nonnullis locis, ubi mihi quidem prorsus intelligi non potest, obelo notaui.

His praemissis, restat auctoris adhuc parum memorati uitam breuiter narrare, necnon operis DE IURE BELLII originem et fortunas describere.

I.

Alberici Uita.

Natus est Albericus die decimo quarto Ianuarii anni MDLII², in oppido Sancto-Ginesio, ciuitate Marcae Anconitanae antiquis-

¹ 'Rem prope immensi laboris adgressus sum . . . ut nimirum omnia loca scriptorum quae ab auctore nostro adferuntur aut indicantur, in ipsis fontibus, quantum fieri posset, quaererem. . . . Saepissime autem auctor unde aliquid petitur simpliciter nomine suo indicabatur, nulla mentione facta operis, libri, nedum capitis aut uersus. Aliquando equidem, uel ex indicibus, uel ex memoria nostra, uel ex re ipsa, loca quaedam haud ita difficulter potuimus inuenire. Sed plerumque inde nihil nobis erat subsidii.' Barbeyracii praefatio ad editionem suam H. Grotii *De Iure Belli et Pacis*, anni MDCXX.

² Vulgo aliter creditur, sed ita ipse testatur Albericus in adnotatione quadam a me in libris eius manu scriptis perscrutandis recentissime reperta.

sima, et situ inter mare et Apennini cacumina amoenissimo. Ibi etiam hodie maxima obseruantia colitur memoria eius et aedium conseruantur ruinae.

Pater Matthaeus, medicus et e nobili familia Gentilium rursorum, qui uocantur, oriundus, mater Lucretia Petrelli fuit. Tenerae adhuc aetatis profectus est Albericus ad Perusinam Academiam, in Italia tota celeberrimam, Bartolique et Baldi semper uenerandis nominibus insignitam.

Ibi legum studio incubuit, magistris Rinaldo Rodolpho, Oddo, Eugenio, aliisque egregiis uiris, et anno MDLXXII ad gradum Doctoris in Iure Ciuili promotus est¹.

Inde in patriam reuersus, munere praetoris in ciuitate Ascolo functus est, et paulo postea aduocati in Sancto-Ginesio, ubi una cum patre et familia tota magno honore fruebatur, et, tam in statutis urbis reformandis quam in aliis negotiis gerendis, utilem se praebuit reipublicae. Qua tam prospera fortuna non diu est usus. Pater Matthaeus, quum rerum nouarum in religione amator esset, et ob id Sanctae Inquisitionis Officio suspectus, domi manere absque uitae periculo diutius non potuit: relicta igitur uxore, quae sine aere, uictu, religione, adsuetis uiuere se posse negabat, sed adsumptis ex filiis Alberico natu maximo, qui et ipse de fide minus stricte sentiebat, et puero Scipione, in Carniolam se recepit, ubi 'Ducatus archiatri' titulo ornatus est². Filios secum non diu retinuit, sed Scipionen ad studendum

¹ Ex archiuis Perusinis constat eum de l. *minoribus* Dig. de *minoribus* (4. 4. 6) et l. 2 Cod. de *aduoc. fisci* (2. 9) disputasse, et promotores eius fuisse dominos Rainaldum Rodolphinum, Cornelium Benincasam, et Io. Bapt. Fidelem.

² Die xxvii Augusti anni MDLXXIX, ut liquet ex Archiuis Prouinciae Carniolae, in Ephemeride *La Rivista Christiana*, MDCCXXVII, p. 5, a Professore Comba citatis.

Tubingam, Albericum in Angliam, quo et ipse mox uenturus erat, dimisit.

Amicissime ubique exceptus est Albericus: Tubingae, ubi fratri Scipioni uale dixit, a Duce Wurtembergensi, Heidelbergae a Comite Palatino. In Angliam denique peruenit¹, ubi mox in fauorem Roberti Dudley Comit̄is Leicestrensis et Reginae Elizabethae inter consiliarios primi, admissus est.

Erat tum comes iste Uniuersitatis Oxoniensis Cancellarius: scripsit igitur pro Alberico ad eam literas commendaticias, quae in Congregatione Academica, die xiv Decembris anni MDLXXX lectae sunt, in haec uerba:

‘To my loving friendes the Vice Chancellor the Doctors and Proctors and Heades of Howses of the Uniuersitye of Ox^a.

‘After my right hartye commendacions. This gentleman, the bearer hereof, Albertus Gentilis an Italian borne, is, as I am informed, by profession a doctor of the civill lawes, and beinge forced, as I am allso informed, to leue his cuntry for religion, is desierose to be incorporat in your Uniuersitye and to bestowe sum time in readinge and other exercise of his profession there. Because he is a stranger and learned and an exile for religion, I have thought good to commend him and these his honest requestes unto you, hartely praying you for his incorporatinge there, that you will shewe him the favore that accordinge to your Statutes and orders you maye and do use in like cases, and for the exercise of his profession, if any waye may be taken that he maye reade and exercise otherwise, that you will do it, and generally that you will shewe him favore and curtesye as his occasions shall require. It shall be well dunne and

¹ Docent MSS. eius Bodleiani eum die iv Ianuarii MDLXXX Coloniae, die xxvii eiusdem mensis Tubingae, die iii Maii Heidelbergae, die xxii Decembris Oxonii fuisse, et in itinere iuristarum consiliis legendis et adnotandis semper se dedisse.

I will thanke you for it. Fare you well. From the courte the 24 of November 1580

Your lovinge friend

ROBERT LEYCESTER¹

Die xiv Ianuarii sequentis gratia concessa est a uenerabili congregatione magistrorum regentium: 'ut Albericus Gentilis, ' Doctor Iuris Ciuilis Perusii creatus, sit eodem loco et gradu ' hic apud nos quo est Perusii².'

Huius decreti paucos post dies, scilicet iv Kal. Februarii, mentionem facit Albericus in epistola ad Comitis Leicestrensis secretarium. ' Litterae,' inquit, 'suae commendaticiae ita me commendauerunt ' ut habeam iam quod per eas petieram. Cooptatus sum in Col- ' legium: ius ciuile publice profiteor: si quid ualebo experiar ' breui³.'

Legebat primum in Collegio D. Ioh. Baptistae, et e cistis non tantum Collegiorum quorundam sed etiam ipsius Uniuersitatis stipendia percepit⁴.

Commoratum eum in Hospitio Noui Collegii⁵ ferunt, cui ea tempestate praefuit iurista spectabilis Daniel Dunne.

¹ E Registro K. K. fol. 317 uers. amicissime excerpsit uir Reudus Io. Griffiths, S. T. D., Archiuorum Uniuersitatis Custos.

² Ex eodem Registro, fol. 318. In fol. 302 uers. sub rubrica 'Admissiones ad ' incipiendum in Facultate Iuris, anno MDLXXX die vi Martii' legitur:—

'Incorpor. Iohannes Hottomanus } primus Gallus,
Albericus Gentilis } secundus Italus.

³ Epistola in Archiuus Regni Londini adseruatur: Uol. cxlvii. Domest. Elizabethae Reginae.

⁴ Soluebat cista Academica annuatim libras vi. sol. xiii. den. iv, Collegium B. M. Magdalенаe sol. liii. den. iv.

⁵ Anglice *New Inn Hall*, cuius anno MDLXX, Principalis erat Daniel Dunne,

Anno MDLXXIV a consiliariis Reginae consultus de Mendoza, legato Hispanico, coniurationis reo, cum nequaquam morte plecendum, sed dimittendum tantum esse respondit; et, re maturius perpensa, insequente anno librum edidit *De Legationibus*. Anno MDLXXXVI cum legato Horatio Pallavicino aliquod tempus in Germania, praecipue Wittebergae degit, sed anno sequente Oxonium reuersus, ad munus Professoris Regii Iuris Ciuilis promotus est¹. Hanc Cathedram a fundatione eiusdem usque ad nostra tempora occupauerunt uiri egregii XX, quorum sequuntur nomina: Ioh. Story, MDXLVI; Will. Aubrey, MDLIII; Will. Mosse, MDLIV; Ioh. Griffith, MDLVIII; Rob. Loffer, MDLXV; Griffin Lloyd, MDLXXVII; Alb. Gentilis, MDLXXXVII; Ioh. Budden, MDCXI; Ric. Zouch, MDCXX; Giles Sweit, MDCLXI; Tho. Boucher, MDCLXXII; Iac. Bouchier, MDCCXII; Hen. Brooke, MDCCXXXVI; Rob. Jenner, MDCCCLIV; Rob. Vansittart, MDCCXLVII; Tho. Fr. Wenman, MDCCCLXXXIX; French Lawrence, MDCCXCVI; Ioseph. Phillimore, MDCCCIX; Travers Twiss, MDCCCLI; Iac. Bryce, MDCCCLXX.

Annis MDLXXXVIII et IX prelo mandauit *De Iure Belli Commentationes*, de quibus mox plura: cui operi successerunt, sicut et antecesserant, alia non pauca. Londini multum tempus in causis agendis, praecipue in curia Admiralitatis, in qua anno MDCV

I. C. D., Coll. Omnium Animarum socius et postea Delegatus Academiae ad Parliamentum et Decanus curiae de Arcubus, qui obiit anno MDXXVII. In duplici igitur errore uersantur qui uolunt in 'Collegium Nouum' Albericum receptum fuisse, et istius collegii custodem fuisse poetam illum et theologum celebrem Iohannem Donne, qui quidem anno MDLXXX septimum aetatis annum uix attigerat.

¹ Per literas patentes die viii Iunii anni MDXXXVII datas. Errauerunt qui Albericum cathedram Academicam anno MDLXXXI occupasse tradiderunt, quo tempore legebat tantum ut doctor in facultate, non ut Professor Regius.

aduocatus Regis Hispaniae constitutus est, posuisse uidetur. Mortuus est Londini die XIX Iunii MDCVIII, et in coemeterio ecclesiae S^{tae} Helenae in uico portae episcopi (Bishopgate Street) iuxta Matthaëum patrem, sepultus est¹. Uxorem duxerat Estheram de Peigni, ex qua filios Robertum² et Matthaëum, filias Estheram et Annam superstites reliquit: quorum proles an hodie exstet nescitur.

In tabulis testamenti fratrem Scipionem, tum temporis in Academia Altdorfiana legum antecessorem, precatus est ut librum manu sua scriptum de *Aduocatione Hispanica* typis mandaret, ceteros omnes comburendos curaret. Cui uoto obtemperauit Scipio in eo quod Aduocationem Hispanicam publici iuris fecerit. Libros ceteros combustos non fuisse certissimum est, primo quod ex iis commentationem de U. S. edidit Matthaëus filius anno MDCXIV, deinde quod eorum xv uolumina, una cum fratris Scipionis uoluminibus XIV, adhuc in Bibliotheca nostra Bodleiana adseruantur³.

¹ Locus sepulturae ignorabatur, donec archaeologus doctissimus Ioseph Lemuel Chester consultus respondit meminisse se Gentilium nomina in peruoluendis ecclesiae S^{tae} Helenae registris uidisse. Die vii Iulii huius anni, cura Leopoldi Reginae nostrae filii, uiri admodum honorabilis Roberti Phillimore equitis, ceterorumque qui id sibi proposuerant, monumentum in memoriam Alberici Gentilis in hac ecclesia exstructum est: familiae Gentilium et oppidi Sanginesii, necnon Academiarum Perusinae Oxoniensisque insignibus ornatum.

² Erat I. C. B. et Coll. Omnium Animarum socius.

³ Hos libros MS. Bibliothecae nostrae uendiderunt, anno MDCXCV, heredes bibliophili illius D'Oruille, Amstelaedamensis. Sunt quidem farrago Iurisprudentiae, in qua tractationes et adnotationes uariae, paginis inter se commixtis, uelut sors dicitabat, in uolumina consutae sunt. Libris diligentius iterum inuestigatis, adfirmare possum in iis contineri: tractationis de Condicionibus quatuor quinque experimenta; tractatus de U. S., de Papatu Antichristo, Hispanicae Aduocationis, de Iudiciis; commentarios in diuersos Digestorum titulos; adnotationes in consilia Alexandri, Romani, Alciati, Decii

II.

Operis De Iure Belli Historia.

Mos erat in Uniuersitate Oxoniensi ut quotannis, die lunae proximo post septimum diem mensis Iulii, maxima laetitia celebrarentur Comitia, siue Actus, in quibus fiebant inceptions in omnibus facultatibus; id est gradus magistrales et doctorales sollenniter conferebantur. Dies Saturni praecedens 'Uesperiarum' erat. Res in Ecclesia B. Mariae Uirginis agebatur, Theatro Sheldoniano, quod hodie talibus usibus inseruit, nondum exaedificato. Agendi modum e statutis licet colligere¹. Die Saturni ante meridiem legebant sollenniter Professores in unaquaque facultate, et post meridiem habebantur ab omnibus incepturis disputationes. Sufficit hic ea quae de Iuristarum disputationibus prouisa erant exponere.

'De incepturis in Iurisprudencia, statutum est, quod pro more (post progressus aliquot a Professore, in Praelectione quam ante meridiem inchoauerat, factos), ad monitionem illius iuris studiosi qui in his Disputationibus moderatoris locum obtinet, a Professore Regio tres questiones proponantur; de quibus incepturi singuli seriatim respondeant, Professore Regio, vel quouis alio Doctore, aut Baccalaureo in Legibus, opponente. Quibus Disputationibus peractis, praedictus moderator singulis incepturis unam vel duas antinomias conciliandas proponet, iisque conciliatis, huiusmodi Disputationibus, breui aliqua peroratione, finem imponat².'

Peractis disputationibus, moris erat ut seniores inceptores in qualibet facultate, Theologiae, Iurisprudentiae et Medicinae,

etc.; disputationes Academicas; lectiones. Intersunt hic illic pauca de se uerba, e quibus supra nonnihil retuli. Incipere solebat nouum quodque adnotationum uolumen praefixis die, mense et anno, necnon uerbis *Iesu iuuante*.

¹ Stat. Uniu. tit. vii, sect. i.

² *Ib.*, § 6.

aliis Doctoribus senioribus in suis facultatibus caenam adpararent¹.

Die dominico duae conciones in ecclesia B. Mariae Uirginis habebantur.

Die lunae, qui erat comitorum, post preces et oblationes solennes, inchoabantur exercitia comitialia. Omnes in naui ecclesiae B. Mariae Uirginis rite erant dispositi, scilicet a parte orientali sedebat Professor Theologiae, ad dextram eius Professor Medicinae, ad sinistram Professor Iurisprudentiae; adstantibus cuique Professori inceptoribus suis. In Musica incepturi in parte superiori pegmatis, iuxta organa pneumatica, aderant. Artistae, cum Procuratoribus, ad partem occidentalem ecclesiae conglobabantur². Fiebant tum disputationes Artistarum et Magistrorum in Artibus creationes: deinde Actus musicus et Doctorum in Musica creationes: deinde disputationes et creationes in Medicina, in Iurisprudentia et in Sacra Theologia. Sufficit quod ad Iuristas adinet huc referre.

‘ Moris est ut Professor Regius in Iurisprudentia, admonentibus Procuratoribus, procedat: qui, habita praefatiuncula³, ad creationem inceptorum descendet, videlicet eorum cuilibet tradendo librum, imponendo pileum, inserendo digitum annulo, et postremo impertiendo osculum. Qua creatione peracta, inceptorum senior tres quaestiones discutiendas proponet; de quibus respondens animi sui sententiam exponet. Deinde idem inceptor senior in singulis argumentabitur, et argumentum in prima confirmabit. Post seniores, alii seriatim; secundus nimirum in secunda, tertius in tertia, et (si plures fuerint) quartus in prima, et sic

¹ Stat. Tit. vii, sect. i, § 9.

² Ib. § 12.

³ Orationes in solenni Iuristarum inceptioe tres ad minimum suas publici iuris fecit Albericus, uidelicet:—

Legalium Comitiorum Oxon. Actio, Franc. Beauano Doctrinae dignitatem suscipiente. [anno MDLXXXV] Londini, MDLXXXV[VI].

Laudes Academiae Perusinae in Comitibus Samson. Hussei, Ioh. Buddeni et Oliueri

' deinceps, quilibet in quaestione una disputabit. Respondere vero con-
 'suevit qui in Vesperis Moderatoris locum tenuit; unus nimirum incep-
 'torum illius anni, aut. ipsis procurantibus, studiosus aliquis in iure civili,
 'qui tempus ad gradum Baccalaureatus requisitum compleverit, a con-
 'gregatione Regentium approbatus!'

Peractis exercitiis, et Doctoribus in quaque facultate creatis,
 consuevit Uice-cancellarius comitia sollemni oratione concludere.

Ex huiusmodi disputationibus originem suam duxisse tractatum
 nostrum pro certo habeo. Causa huius opinionis est epistola
 nuperrime in archiuus priuatis reperta et ipsius Alberici manu
 conscripta, in hunc tenorem:—

Commodum (mi Benette²) accepi litteras tuas: nam Alberici oblitum te,
 notarium, cancellarium, patremfamilias (et quid non?) suspicari cogebat:
 itaque binas ad te eodem opinor tempore dedi, quibus refricarem memo-
 riam eius hominis qui visus aliquando est fuisse tibi mutuo carus. Iam
 video, non opus admonitione fuisse, teque absentem et multiplici nego-
 tiorum genere obrutum, certe distentum et impeditum, servare tamen
 benevolentiam erga me, et retinere memoriam pristinae consuetudinis et
 familiaritatis. Hoc age, quod agis, nam si mihi impetrabis quod petimus,
 idque certum, idque mihi, non posteris meis, obuenturum, dices amico
 gratissimo te prospexisse, et curasse bene. Nunc (quando et hoc scire
 cupis) paramus nos ad Comitia, in quibus creditur scilicet non staturos

Floydi [MDCII] et laudes *Academiae Oxon. in comitiis Eltonis Tardae* [MDCII]. Hanouiae,
 MDCIV. Opusculum hoc mox in lucem denuo proditurum spero, adcurante collega et
 amico meo doctissimo Comite Cipriani, in Academia Perusina Professore et facultatis
 Iurisprudentiae Praeside.

¹ Stat. Tit. vii, sect. i, §§ 15, 16.

² Iohannes Benett, ex Aede Christi, gradum suscepit I. C. D. anno MDLXXXIX.
 Erat Archiepiscopi Eboracensis Uicarius generalis, Reginae Annae Cancellarius,
 postea eques et Curiae Praerogatiuae Cantuarensis Iudex. Obiit MDCXXVII.

nisi Iamesium¹ et Byrdum² meos: *sic ut in me iterum onus totum istius recidat actionis.* Rogas si sim ferendo? at enitar, quantum in me est, et spero feram: itaque et invito te auditorem et spectatorem. Veni. Ne time Bertas, et Adamum nubentem iterum, aut Lactarum rursus doctoratum, aut eius generis leguleiorum nugas et meras tricas: habebis enim in Vesperiiis *tractationem a me de iure belli, audiesque de caussis belli suscipiendi de rationibus gerendi, de iure victorum et devictorum.* Audies in controversiam revocari (dum disputabitur) civile ius Romanorum: in bonorum interdictione, in quaestione hominis liberi, in quaerela inofficiosi: sed et si uxor teneatur sequi virum exulantem, si patrem exulem interficiens est parricida, si propter dotem a sacero non solutam domo uxor pellitur, mihi cum filiis illis meis controversetur.

An ista leguleiorum tuisque indigna videntur auribus? non videntur: multo igitur minus illa quae in Comitiiis, respondente Sando³. *Bellum an possit iustum utrinque esse; an in bellis civilibus ius maneat legationum; an subditus principi religionis a sua diversae militare debeat contra principem religionis suae:* id est an papista contra Papam recte regius principi suae militet. Ergo Benette veni, vel ut nos audias, quorum e numero et tu es. Veni et vale.

Oxon. die ult. Iunii 1588.

ALB[ERICUS]TUUS.

IO. BENETTO.
amico carissimo.

¹ Franciscus Iames, Coll. Omn. Anim. socius, ad gradum I. C. D. admissus est Feb., creatus est Iul., MDLXXXVIII. Inter G. Loydi mortem et Alberici inuestituram, huic per literas patentes regiam iuris ciuilibus cathedram datam esse ab Ant. Wood relatum est. *Hist. Oxon.* Gutch, vol. ii, p. 858. Cancellarius erat diocesium Wells et Briston., postea diocesis Londinensis, necnon Curiae Audientiae Cantuarensis Iudex. Obiit MDCXVI.

² Guil. Bird, Coll. Omn. Anim. socius, creatus est I. C. D. MDLXXXVIII, postea eques, Curiae de Arcubus Decanus, et Curiae Praerogatiuae Cantuarensis Iudex. Obiit MDCXXIV.

³ Respondentis vicem sustinebat procul dubio Eduynus Sandys ille, Coll. C. C. socius, de quo, anno MDLXXXII, pater eius Archiepiscopus Ebor. Domino Burleigh scripserat: 'Filium Oxon. habeo, ante hos tres annos Artium Magistrum, iam per biennium iuris studiosum, et aptum qui anno proximo doctor fieret.' Fertur eum anno MDLXXXIII pro gradu I. C. B. frustra supplicauisse.

Spe ductus harum disputationum uestigia quaedam inueniendi, Alberici MSS. iterum peruolui et quaestiones uesperiales a Iamesio discutiendas adhuc exstare dicere possum, scilicet: i. si propter malos mores interdici solet bonis paternis: ii. si liberi homines ad ueritatem cognoscendam recte torquentur: iii. si uxor teneatur sequi uirum exulantem, aut carere alimonia. Birdi quaestionum exstat tantum prima, scilicet: si patrem exulantem interficiens est parricida. Desunt omnino tam oratio uespertialis de iure belli, quam quaestiones comitiales.

Paucorum mensium interuallo ex disputatione comitali factus est libellus, cui titulus *De Iure Belli commentatio prima*. Hunc Londini eodem anno typis mandauisse Iohannem Wolfium pro certo habeo¹, quamquam uulgo creditur Lugduni Bataurorum primum in lucem proliisse.

Anno MDLXXXIX ineunte, secuta est commentatio secunda ex eodem prelo.

Has binas commentationes paulo post, scilicet anno MDLXXXIX, Lugduni Bataurorum², excudi curauit Iohannes de la Croy, qui et praefatus est in haec uerba:—

¹ Huius commentationis exemplar Londini excusum nunquam uidi, sed constat die xx Septembris anni MDLXXXVIII, Alberici Gentilis *De Iure Belli* libellum in Registris Societatis Stationariorum Londiniensium a Iohanne Wolfio insinuatum esse. Epistolam dedicatariam scribebat Gentilis a. d. iiii Non. Oct. eiusdem anni. In epistola dedicatoria commentationis secundae, a. d. iv Kal. Ian. MDLXXXVIII conscripta, mentionem facit auctor commentationis primae uelut iampridem publici iuris factae. Commentationum secundae et tertiae, a Ioh. Wolf excusarum, exstant in Bibliotheca Bodleiana exemplaria.

² Nominum similitudine fortasse decepti, quidam, uelut Hallam (Lit. Eur.) Lugduni in Gallia huius operis editionem exstitisse tradunt.

Typographus lectori.

Has duas de Iure Belli commentationes, tertia breui subsecutura est, quam separatim edere curamus, utpote diuersam a bellicis actionibus, de pace enim ac foederibus est, ut ipse ab ore auctoris excepi: cuius uel de legationibus libros denuo excudendos decreuimus, sed multo quam antea auctiores et cultiores. Et commentarium ad titulum Digestorum de Uerborum Significatione. atque diu expectatum de Conditionibus opus. Interim amice lector his fruere, et Vale.

Ante finem anni MDLXXXIX ab eodem Iohanne Wolfio commentatio tertia Londini edita est¹.

Unicuique commentationi praefixa est praefatiuncula; cuius tenorem operae pretium fortasse est hic repetere.

Ad commentationem primam legimus:—

ROB. DEURAXIO

III^{mo} COMITI ESSEXIO.

Albericus Gentilis, S. P.

Cogitauit equidem pluries, illustrissime Essexi, quomodo eam quae erga te est animi mei propensio, non nudis uerbis, sed facto aliquo contestarer. Uerum praeter alia impedimenta obiecit se semper munus, quod in academia gero, quodque non in his litteris uersatur, quarum ego donum tibi adornare desiderauit. Cunctatus itaque sum; neque istam modo commentationem deferrem, quae habet sane argumentum, quod cupio, sed cum iustae tractationis opus maluissem, comitatamque duabus reliquis, moram adhuc traxissem longiorem, nisi credrem tandem satius, ut praemittam id, quicquid est, quam ut diutius nihil agendo commodiora mihi tempora, forte an frustra, expectem. Si

¹ Refert Benignus commentationum trium editionem forma octonaria anno MDLXXXIX Lugduni excusam esse, quam quidem non uidi.

praeterea munera et minuta haec non susciperentur libenter, nix eius, cui offerrentur, constare de humanitate possit, et te uero cum generis splendore illustrissimum, animo excelso praestantissimum, uirtute militari et civili ornatissimum, tum etiam humanitate laudatissimum nouimus. Suscipe igitur in praesentia qualem uoluntatis meae qualem significationem: nam offerretur mex perfectum, quod meditor, opus: in quo partem inris, ut uides, nobilissimam, aliis intractatam et plerisque omnibus minus apertam exsequer: quaeque te dignissima est, fortissime comes, qui fortitudinem tuam scilicet Anglici equitatus dux non his modo, Belgisque sociis, sed et Hispanis hostibus, in quorum conserta agmina peruadhas belli fulmen (et pacis puer!) aeternum probasti. At facinora pulcherrima haec tua, quaeque edes in posterum maxima, facient alii clarissima, et in perpetua luce collocabunt, a me id capies in praesentia, aut etiam patere, ut quae maximus poetarum de summo milite ceceinit, ego de te cui conueniunt plane, aliis canam ignotis.

Se'l vedi fulminar ne l'arme auolto
Marte lo stimi. Amor, se scopre il uolto¹.

Vale et Salue. Oxon. III. Nonas Octobris, M.D.LXXXVIII.

Ad commentationem secundam:—

Ecce tibi, comes excellentissime, secunda de iure belli commentatio, quam istis feriis dedolauit, neque enim tantum a munere mihi alias uacat academico, ut aliis superesse operibus possim, inmo uero quod ualeam illud explere in summa rerum omnium angustia, quae me undique premit, nec tamen hisce temporibus conuiescam, hoc si scires admirareris, certe ego admiror non mediocriter. Uerum dum herois magni famae, forte etiam expectationi noui nostri cancellarii illustrissimi², atque academiae beneuolentis opinioni satis mihi faciendum esse uideo: quod per ingenii tenuitatem, cruditionis exiguitatem, horum adiumentorum inopiam, quibus alii nulli mei ordinis uiri destituuntur, facere ipse non possum; id laboribus improbis, constanti perpetuaque diligentia extorquendum est, uel si sub tanto tandem studio satisfacere me, et succumbere necesse sit. Haec tecum,

¹ Tasso. Solym. can. 1. 58.

² Erat ille Christopherus Hatton, qui et Cancellarius Angliae fuit.

ESSEXI, reputanti gratiores connatus hi mei aduenient, et a reprehensionibus fortasse multis praestabuntur. Ut quid enim iudicium tuum non uerear, qui a prima pueritia non arma solum tractasti, in quibus et natus es; sed et litteris etiam ita incubuisti semper, ut quamuis illustrior te rei militaris gloria complexa sit, non dubitem tamen, quin et in altera parte sic ualcas, ut quam asscetus summam in ea es dignitatem, tueri etiam dignissime, et sustinere possis. Ceterum in humanitate tua mihi praesidium tutius. Quemadmodum igitur primam de mea. ita secundam hanc commentationem humaniter cape de mei alterius manu Thomae Smythi, secretarii tui, et uiri cum cetera peregregii. tum Latine scribendi praestantia prope dixerim singularis. et haec enim tua est, tibi desponsa, tibi debita: qui non nostros modo, sed praescos iam in stadio isto rei bellicae heroes uincis, nam trihorio sub grauis armaturae pondere quis ab omni antequitate unus hastas centum et octo fortissimorum equitum sustinuit, totidemque in aduersa pectora fregit? id tu nuper. sed non ego amplissimum hunc tuarum laudum campum ingredior.

Uale et Salue. Oxon. IV Kal. Ian. MDLXXXVIII.

Ad commentationem tertiam legimus:—

Absolui tandem, quod constitui, et quasi pacto tibi sponendi, tractationem de iure belli: nam haec tertia et postrema est scilicet commentatio. Ergo, quod restat unum, id mihi rogandus es, nobilissime ESSEXI, ut quando ecu suspensio uoto, quae in te erat summa uoluntatis meae propensio, ipsam tibi que sum hoc munere contestatus, tu eandem boni consulas, et me in tuis unum esse non patiaris modo, sed etiam libentissime uelis. Nam et quod uiros litteratos ames, foueasque, et litterarum quoque amatores, in quibus ego, complectaris beneuolentia tua, id lux, et uita una fortissimorum, crede mihi, gestorum tuorum est, quae alias aut obscura degerent, aut cum opere isto protinus expirarent. Macte utraque uirtute comes: et quando ardentem tuum istum animum nihil ab egregie factorum amore retardat. age nec uelis insignia iacere facinora tua, mortemue quasi parricida afferre his omnibus quae edideris excellentissima, dum litteris te non praebcas, unde ea et alantur, et immortalitate consacrentur. Nomino autem has praecipue litteras tibi quae te decent praecipue, uera studia publicarum rerum: de quibus loquendum tibi, tibi tractandum est: de quibus apparatus a me hic eiusmodi factus est, ut si illam inspexeris. illo te instruxeris tu, non dubitem fore, quin partem iuris

gentium nobilissimam nec in his modo cognoscas, quae leges litteris scripta, et expressa uerbis, sed in reliquis omnibus, quae sunt plurima, et sententiis, tanquam germina stirpibus, clauduntur.

Uale. Oxon. Kal. Sept. 1589.

Sunt haec commentationes forma quaternaria minore. Carent capitulorum distinctionibus. Carent paginae numeris. Continet commentatio prima pp. xlii. Incipit ‘Bellum est contentio armata.’ Commentatio secunda continet pp. lxxiii, et incipit ‘Quemadmodum uero bellum iuste susciperetur.’ Commentatio tertia pp. xcvi continet, et incipit ‘Hactenus de iure cum suscipiendi tum agendi bellum.’

Ex thesi libellus factus erat: ex libello denique, post nouem annorum interuallum, factum est opus; quod Hanouiae, MDXCVIII, apud Guil. Antonium in lucem prodiit. Titulus ei DE IURE BELLI LIBRI TRES; qui tres libri materiae quinquies tantum quantum tres illae commentationes continent. Operis forma duodenaria est. Praefationem nullam habet. Capita et paginae (quarum DCCXV) numeris distinguuntur. Uerba siglis saepissime exprimuntur, Operum citatorum libri tantum, sine ulla capitum aut uersuum mentione, indicantur¹.

Editio altera, priori simillima, apud heredes eiusdem Antonii, Hanouiae, anno MDXCII, prodiit. Iterum typis mandatus est tractatus noster in primo uolumine editionis *Alberici Gentilis operum omnium*, Neapoli, MDCLXX a Ioh. Grauiet inchoatae; quae quidem,

¹ Huius editionis exemplar ab Alberico Iohanni Seldeno dono datum in Bibliotheca Bodleiana adseruatur. Illius manu uerba ‘Alberici munusculum,’ huius ‘Ioh. Selden *περί παντός τήν ελευθερίαν,*’ in principio operis scribuntur.

ob mortem eius praematuram, uolumen secundum non excessit¹. Est editio illa forma quaternaria maiore. Editoris curae prorsus expers est, et, nisi quod textus sine contractionibus exprimitur, nihilo prioribus editionibus anteponenda. Paginas habet CCCLXXIII.

Quartam ergo, lector beneuole, in manibus habes huius operis editionem : antecedentibus, ut spero, et lectu faciliorem, et hominibus his studiis deditis commodiorem ; in qua quidem conficienda, ignoscas precor si, quod in re tali inter alia negotia suscepta uix euitari potest, remissior aliquando fuerit diligentia nostra.

Opus habes non suis tantum, ut ita dicam, uiribus pollens, uerum ob hoc quoque insigne, quod eius rationem sibi, sicut archetypum, in simili incepto proposuisse, ex eo, tanquam ex fodina, multa in suum opus transtulisse, uidetur clarissimus ille inter Alberici imitatores, HUGO GROTIUS. Habes, igitur, Iuris Gentium quod hodie in usu est uera incunabula ; quae secundum illud ' melius est petere fontes quam sectari riuulos,' operae pretium erit accuratius inuestigare.

T. E. H.

Scribebam Oxonii,
Kal. Sept. MDCCCLXXVII.

¹ Primo uolumini insunt tractatus *De Iure Belli* et *De Armis Romanis*, secundo commentarius ad titulum *De Uerborum Significatione*.



ILLUSTRISS. U.

ROBERTO DEUREUXO.

COMITI DE ESSEX, ET EU.

UICECOMITI DE HEREFORD, ET BOURCHIER,

BARONI DE FERRERS, ET LOUAIN¹.

EQUITI GARTERIAE

MAGISTRO EQUORUM

PRAEFECTO MACHINAR.

MIL.

ARCHIMARESCHALLO ANGLIAE.

REGIO CONSILIARIO, ETC.

ARMOR. ET BELLI ARTIB. PRAESTANTISS.

LITTERIS, ET PACIS ITIDEM ARTIB. ORNATISS.

R. R.

SAPIENTISS.

SUUS REFERT HAEC SUA, ET DD. BM.

ALBERICUS GENTILIS.

¹ Rectius : Baroni Ferrers, de Chartly, Bourchier et Louvain.



INDEX CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

CAP.		PAG.
	I. De Iure Gentium Bellico	1
"	II. Belli definitio	10
"	III. Principes bellum gerunt	13
"	IV. Latrones bellum non gerunt	20
"	V. Bella iuste geruntur	25
"	VI. Bellum iuste geri utrinque	28
"	VII. De causis bellorum	31
"	VIII. De causis diuinis belli faciendi	34
"	IX. An bellum iustum sit pro religione	35
"	X. Si Princeps religionem bello apud suos iuste tuetur	40
"	XI. An subditi bellent contra principem ex causa religionis	47
"	XII. Utrum sint causae naturales belli faciendi	50
"	XIII. De necessaria defensione	55
"	XIV. De utili defensione	57
"	XV. De honesta defensione	63
"	XVI. De subditis alienis contra dominum defendendis	70
"	XVII. Qui bellum necessarie inferunt	75
"	XVIII. Qui utiliter bellum inferunt	79
"	XIX. De naturalibus causis belli inferendi	81
"	XX. De humanis causis belli inferendi	89
"	XXI. De malefactis priuatorum	94
"	XXII. De uetustis causis non excitandis	99
"	XXIII. De regnorum euerisionibus	106
"	XXIV. Si in posteros mouetur bellum	114
"	XXV. De honesta causa belli inferendi	116


LIBER SECUNDUS.

CAP.		PAG.
	I. De bello indicendo	123
	II. Si quando bellum non indicitur	128
„	III. De dolo et stratagematis	134
„	IV. De dolo uerborum	136
„	V. De mendaciis	141
„	VI. De ueneficiis	146
„	VII. De armis et mentitis armis	154
„	VIII. De Scaeuola, Iuditha, similibus	159
„	IX. De Zopiro et aliis transfugis	165
„	X. De pactis ducum	168
„	XI. De pactis militum	173
„	XII. De induciis	177
„	XIII. Quando contra inducias fiat	182
„	XIV. De saluo conductu	185
„	XV. De permutationibus et liberationibus	192
„	XVI. De captiuis et non necandis	198
„	XVII. De his qui se hosti dedunt	206
„	XVIII. In deditos et captos saeniri	220
„	XIX. De obsidibus	230
„	XX. De supplicibus	235
„	XXI. De pueris et foeminis	240
„	XXII. De agricolis, mercatoribus, peregrinis, aliis similibus	250
„	XXIII. De uastitate et incendiis	259
„	XXIV. De caesis sepeleendis	266

LIBER TERTIUS.

CAP.	I. De belli fine et pace	277
„	II. De ultione uictoris	279
„	III. De sumptibus et damnis belli	286
„	IV. Tributis et agris multari uictos	290
„	V. Uictoris adquisitio uniuersalis	294
„	VI. Uictos ornamentis spoliare	296

	PAG.
CAP. VII. Urbes diripi, dirui	301
.. VIII. De ducibus hostium captis	308
.. IX. De seruis	314
.. X. De statu mutando	323
.. XI. De religionis aliarumque rerum mutatione	326
.. XII. Si utile cum honesto pugnet	335
.. XIII. De pace futura constituenda	338
.. XIV. De iure conueniendi	346
.. XV. De quibus cauetur in foederibus, et de duello	352
.. XVI. De legibus et libertate	361
.. XVII. De agris et postliminio	365
.. XVIII. De amicitia et societate	370
.. XIX. Si foedus recte contrahitur cum diuersae religionis hominibus	380
.. XX. De armis et classibus	387
.. XXI. De arcibus et praesidiis	390
.. XXII. Si successores foederatorum tenentur	395
.. XXIII. De ratihabitione, priuatis, piratis, exsulibus, adhaerentibus	403
.. XXIV. Quando foedus uioletur	410



ALBERICI GENTILIS DE IURE BELLI.

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

De Iure Gentium Bellico.

MAGNAM, atque difficilem rem aggredior, qui de Iure belli suscipio scribere, quod latet in recessibus naturae, et distractum uarie, et dissipatum ualde est. Neque enim hoc ius est libris collectum, et expressum Iustianiani: ad quos adire nos possemus facile, aut magistri meliores non cum labore multo nos ducerent. Non habent libri illi de hoc iure, non alii ulli, qui extant. Nam Philosophorum disputatiunculae, quas mihi nominare nonnullas aliquis posset, eae generaliter tantum, et quaedam summatim tradunt, non ad species descendunt, de quibus distinctius explicant. Atque M. quidem Tullius, cum pauca admodum hic adnotasset; 'De bellicis,' inquit, 'officiis dictum est satis¹.'

Scilicet nec moralis, nec politici munus Philosophi esse videtur, exponere iura, quae cum hostibus quae cum externis communia nobis sunt. Siue enim moralis institutionem tradat singulorum priuatam, siue quid moliatur aliud ad summum bonum adipiscendum, semper continet intra ciuitatem se, omnino intra fundamenta uirtutum, non alte tollit in aedificia². Politici autem non est officium de bellico Iure exponere: quoniam non unius haec est cura reipublicae, sed omnium. Et ita Aristoteles reicit a politico partem, quae est de armorum studio, et bellicis exercitationibus³. Haec de bello Philosophia reipublicae est magna, uniuersi terrarum orbis, et generis

¹ Cic. 1. De Off. c. 13.

² F. Piccolom. Introd. Civ. Phil. cc. 7, 8, 9; Introd. Sci. Nat. c. 3.

³ Arist. 7. Pol. 2. 17.

hominum uniuersi. Aristoteles et illud scribit, non de iniustitia eorum laborare Politicum, qui sunt extra ciuitatem. Et tractat bellicus de hoc tamen, dum aliorum extra ciuitatem docet defensionem, etiam et eius iniustitiae uindicationem. Plato sane ait, partem ciuilis artis esse rem militarem, et belli gerendi rationem: atque de illa tractandorum armorum peritia intelligit¹. Sed et Aristoteles idem hoc adfirmat²: et uerissimum nos accipimus. Caeterum, quod dicimus, hoc est, non de bellicis legibus exposuisse illos Philosophos, etiam neque de bellicis exercitationibus, nisi pro ciuitate quemque sua. rem uero militarem, et iura bellica nec concludi intra ambitum ciuitatum, quinimo spectare foras omnino, et ad externos.

Iustinianus quoque noster, qui leges tulit suis, pari ratione egressus non est rempublicam, quam legibus illis uoluit adornare. Et quamquam de naturae, ac Gentium iure disseruit, ut Philosophi quoque fecerunt, et de causa bellorum, et de captiuis, ac seruis, aliisque nonnullis belli rebus: huc tamen ad rempublicam suam retulit omnia, et in eius usum explicauit: ut qui esset captiui status apud ciues, quae rerum eius conditio, et id genus alia.

Nam quid dicam de his interpretibus iuris Iustinianici: quos huius iuris bellici imperitissimos ait merito Ioannes Bodinus³? Equidem praeter Lignani pauca huius tractatus, et aliorum nonnulla alia sparsim, legi nihil: et ea non absque fastidio legi omnia. Sic sunt apta minus, minusque splendida: ut praeteream illud, esse in eorum libris quamplurima non de bello, et de belli iure aduersus hostem, sed de re militari, et legibus cum ciue, et milite nostro. Neque illos propterea accuso uiros doctissimos. at hoc magis dico, ullam uix a solo iure Iustiniano esse cognitionem posse istius iuris militaris: quod maximi Iustinianistae, peritissimi omnis Iustinianici iuris penitus ignorarunt. Recentiores non fero interpretes, qui hic ueteres condemnarunt, se autem magistros obtulerunt, quos audiamus. Dico eundem Bodinum, et Petrum Fabrum⁴, clarissimos Iurisconsultos terrae Galliae. Sane enim, si peccarunt antiquiores interpretes, quod solam, saepe alienam, ciuilis iuris disceptationem huc induxerunt: peccarunt et isti recentiores, qui nudam historiarum recitationem attulere: de quibus propter uarietatem, et contrarietatem

¹ Plat. Prot. (p. 322 B). ² Arist. 1. Eth. 2. 4. ³ Bod. 5. De rep. 6. ⁴ Fab. 2. semestria 3.

exemplorum, item et propter infirmitatem eius argumenti, quae plurimum ab exemplo esse uidetur, non ius aliud facile, non constitues ullo modo istud, quod naturale, ac certum censetur. Exempla, et facta expendenda sunt sua lance, et quasi pondera sunt sua trutina conficienda.

Ueteres auctores legum fortassis hoc bellorum, et eiusmodi alia gentium in libros suos retulerunt: ut Mutius, Pomponius, alii quidam: quorum, quae supersunt, fragmenta quaedam, huius nobis coniecturae argumentum non leuissimum praebent. Illi in rerum gestarum, et imperii amplitudine uersantes, praeter multiplicem aliarum artium, quam semper tenuerunt, non solum legum cognitionem, clara hic quoque habere omnia potuerunt: quae nos in tanta rerum tenuitate, et in tam tenui professione litterarum Iustiniani, uix per nebulam intuemur. Utique libri, qui fuerant de iure feicali, bellica haec iura exposita, et constituta habuerunt¹. Uidelicet erant feciales foederum, pacis, bellorum, legationum, et reliquorum huius iuris cum exteris curatores. Uerum nihil nunc ad nos, nisi desiderium operum eorum peruenit. Ut enim sperni coepta est pars ista iuris usque a fine reipublicae Romanae, id est, a tempore quo Romani res gerere cum ratione desierunt, pro libidine agere omnia incoeperunt, ita librique iuris feccialis interiire, et memoriae, et doctores esse desiere².

Abit quod non tenetur: et non tenetur, quod in pretio non est. Latet itaque ius istud. Sed et si sit omnino, reuocabitur in controuersiam ab aliis, qui, ius non natura, sed opinione constare omne, pertinaciter contendunt, atque adeo contendunt aduersus nos, quibus hoc positum, et fixum est, quaestiones bellicas iure definire gentium oportere, quod est naturae. Hos tamen mitto naturae hostes, quos meliorum Philosophorum disputationes refutarunt ante hac³: et habeo pro explorato, ius aliquod naturae esse, quo et argumentum hoc tractetur bellicum. Caeterum manet impeditum, quod quaerimus, quod nam istud sit; aut quomodo approbemus, istud esse, aut illud. Non solum scilicet docendum cum Platone, sed propter controuersias euincendum cum Aristotele quoque est. Atque si adeo latet, non ipsum cernent hebetes: improbi negabunt tanto facilius, armati hostes eo

¹ Cic. 1. De Off. c. 11.

² Varr. 5. De ling. Lat. 86 (Müller).

³ Pla. Pol. et 10. de leg.; Cicer. 1. De leg. cc. 10-17, et 2. De iur. c. 53.

promtius, quod armorum (ut ille inqueibat¹), strepitus, audiri leges, minus permittit: aut quia sic sint audaces, ut quicquid id sit iuris, palam uindicare armis et uiribus, non erubescant. Antigonus, quum ei libellus de iustitia a Philosopho quodam offerretur, stolidum illum esse hominem dixit, qui sibi, alienas urbes tum uastanti, disceptationes de iustitia scriberet². Et Pompeius Magnus Mamertinis, priuilegia quaedam obtendentibus, 'non, 'desinctis,' respondit, 'gladio nobis accinctis laudare leges?'³

Erit et illa subtilior disputatio, quod qui de iure isthoc naturali gentium tradere uoluerunt, non illi quidem hebetes, aut improbi, at Iurisconsulti nostri, in diuersas saepe, atque contrarias opiniones abierunt. Adi titulum unum, atque alterum, 'De acquirendo rerum dominio,' 'de acquirenda possessione,' in quibus de iure gentium traditur plurimum, et notabis dissensiones, quas dico. De fera uulnerata Trebatio aliter, et aliis aliter uisum fuit⁴: nec legislatores conueniunt. quod ego scribo in primo libro 'de armis Romanis.' De re ex aliena materia confecta dissenserunt totae scholae⁵. Et quae media sententia probata legibus est, ipsam iniquitatis condemnare non est ueritus nobilis postea Iurisconsultus⁶: qui et alibi clamat, non acquas subtilitates ueterum auctorum. Et de pictura, tabulaque quod erat illis conclusum ueteribus idem ridiculum uisum est postea⁷. Quid de ferruminatis dicam? et quemadmodum de his disputationes, atque definitiones, falso nixae fundamento, ineptae hodie appareant⁸. Si supra tuum parietem uicinus aedificauerit, id uicini esse, Sabiniani responderunt, tuum asserebant Proculiani⁹. Num certa nec illa fuit regula, ut solo cederet, quod solo accederet? Aut non in solo factum existimabant Sabiniani, quod in aedificio factum esset? Proculiani quidem contra, et qui secuti sunt, etiam quod in arboribus factum sit, in solo factum existimant¹⁰. De latente thesauro iidem Sabiniani contra Brutum, et Manilium exposuerunt¹¹. Et de inuento tot ferme extiterunt sententiae, quot capita. ut in Disputatione mea priuata de ea re narro. Impossibile, et contra natu-

¹ Val. Max. lib. 5. c. 2; Plu. apoph. reg. (202. 20).

² Plut. De fort. Alex. (330. 36).

³ Plut. Pom. (427. 14). ⁴ l. 5. De acq. rer. dom. (D. 41. 1). ⁵ l. 7. de adq. rer. dom.; l. 30. de usuc. (D. 41. 3). ⁶ Conn. lib. 3. com. iu. c. 3. 5. 6; lib. 10. c. 6. ⁷ l. 9. de adq. rer. dom. (D. 41. 1);

Instit. 2. 1.

⁸ Alc. 6. Parerg. c. 6.

⁹ l. 28. de adq. rer. dom. (D. 41. 1).

¹⁰ l. 7. 8. 9. 10. 11. quod ui. aut clam. (D. 43. 24).

¹¹ l. 3. de adq. poss. (D. 41. 2).

ram uolunt quidam, ut plures eandem rem teneant in solidum, et possideant¹: quod facillimum imo ex aliorum opinione uideatur. Quid notem de quaesitis per liberum hominem seruientem²? quid de aliis pluribus? Quid de controuersiis, et dubitationibus interpretum ad haec, ad alia iuris gentium? Omnia ius istud incertant, et ferme faciunt, a natura non esse. quod contenderunt nonnulli Philosophi prius.

At de hebetioribus primum respondeo, et de improbioribus, mox absoluaui de reliquis. Et quod spectat ad hebetiores, Cassiodorus eleganter³, nec ineleganter nos hic, laboriosum quidem esse, sed non impossibile, iustitiam suadere mortalibus: quam ita cunctorum sensibus beneficium diuinitatis attribuit, ut et qui nesciunt iura, rationem tamen ueritatis agnoscant. necesse est enim, ut quod a natura conceditur, submonente iterum eadem suauiter audiatur. Aut si Platonica haec non ualde probamus, dicit certe Aristoteles paria: qui, animos nostros aptissimos doceri, dicit. Et utinam cum rudibus solis, non etiam cum improbis agendum esset. Quanquam non terrere magis tunc habet improbitas quam si ius ciuile de caedibus, furtis, aliis criminibus, et delictis exponendum esset, atque sicarii, fures, alii criminosi, osores legum, et contemtores incurrerent pene innumerabiles. Quod contra ius fiat a multis, non propterea ius non est: et non minus est lex, quam multi transgrediuntur. ut praeclare Xenophon ait aduersum concubitus Persarum incestos. De istis non magis considerandum est in iure constituendo, quam de feris bestiis consideretur⁴. 'Ista in figura hominis feritas, et immanitas belluae a 'communi tanquam humanitate corporis segreganda est:' ait M. T. Cicero⁵. Vix, vix differunt quidam a bestiis⁶. Figuram humanam habent, sed vere sunt bestiae, et in bestiarum censendi numero. ut ita etiam sapiens quidam Hebraeus⁷: 'Quid enim interest, utrum ex homine se conuertat quis in 'belluam, an in hominis figura immanitatem gerat belluae?' itidem M. Cicero ait: 'Quid hoc facias homine, qui neget, fidem seruandam, suum 'cuique tribuendum, caetera huius generis, quae omnis non effrons audita ilico 'agnoscit uera, et confitetur?' 'Qua hunc obiurgatione, aut quo potius conuicio a tanto errore coneris auertere?' etiam Cicero. Neque enim contra

¹ l. 3. de adq. poss. (D. 41. 2). ² l. 19. 23. de ad. rer. dom. (D. 41. 1). ³ Cass. 7. uar. 26.
⁴ Xenoph. 4. Socr. c. 5. ⁵ Cic. 3. De Off. 6. ⁶ Arist. 3. Po. 11. 5. ⁷ R. Moy. Aegy. (Maimonides) 1. du. du. c. 6. et 3. c. 9.

huiusmodi disputatio est. 'Ipso auditu horreo; et ipsum horrorem' puto sufficere ad refellendum; et, si non comprimitur, conuincitur tamen 'audacia,' etc. ait Bernardus¹. Si quis sensum non habet, aut ludit aduersus sensum, et niuem neget albam, contendat atram: nos quid faciemus? 'Risi niuem atram,' idem responderit Cicero². Prouocandum est ad sensus: iudices illos communes³, et male illi si habent, appellabitur in tempus, quum habebunt bene. Quid facies? Ad mentem, quae bene sit, prouocatur. Etiam quae certissimis demonstrationibus ostenduntur, si negentur, quid facies⁴? Epicurus solem palmo maiorem negat, id genus alia alii dicunt. Nihili isti sunt. Illae disensiones doctissimorum nostrorum turbant magis. uerum et ipsi fuerunt homines, nati errare, ac dissentire. Et quanquam ius gentium particula est diuini iuris, quam Deus nobis post peccatum reliquam fecit; eam tamen lucem conspicimus inter tenebras multas; et errore itaque, praua consuetudine, pertinacia, alio affectu tenebrarum saepe non ualemus agnoscere. ut uiri explicarunt sapientes⁵: et nos dissentiendi studium Proculianorum et Sabinianorum cognouimus. Sed non propterea quod latet in profundo, ueritas nulla est: aut quaesita diligenter, et fideliter, non educi potest, et non educta saepissime est. Nobis praebent multum luminis definitiones, quas unanimiter tradunt ad ius hoc, quod quaerimus gentium, auctores illi legum nostrarum, et conditores. Aiunt autem, ius esse gentium, quo gentes humanae utuntur: quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, et apud omnes praeque custoditur. Hoc ius naturae est⁶. 'In re con-
'sensio omnium gentium lex naturae putanda est⁷.' Atque ista non sic sunt capienda, quasi conuenerint unquam gentes omnes, et ius istud sic constituerint. Non sic dicunt. Non necesse est, sic capere uerbum, 'omnes,' ut de omnium usu, quum dicitur, etiam de omnibus omnino gentibus intelligatur, quae numero innumerae, regionibus immensum disiunctae, moribus prorsum discrepantes, linguis variis mancrent incognitae⁸: Non te decipiat iurisconsultus magnus Hugo Donellus⁹: qui definitiones sic accipit: et

¹ Bern. Epist. 190. ² Cic. 2. ad Q. fr. ep. 12. ³ Arist. 1. To. 11. ⁴ Cl. Alex. Str. 7.

⁵ Aequi. 1. 2. q. 94. a; Greg. Val. disp. 7. q. 4. punc. 2. ⁶ l. 1. 9. de iustit. et iur. (D. 1. 1); Inst. 1. 2.

⁷ Cic. 1 Tusc. 13. ⁸ Bal. l. 1. C. de testam. (6. 23.) ⁹ Don. 1. Comm. iur. 6.

propterea improbat quoque. Sed quod successiue placere omnibus uisum est, id totius orbis decretum, et concilium fuisse existimetur. ut ita in proposito suo Ambrosius aliquando, et Hieronymus docuerunt¹. Et uero ius non scriptum, ut hoc est, item ut consuetudo, aliter non inducitur. Ista haec autem adprobatio nec cognosci non potest: quemadmodum quod omnium gentium, generumque hominibus uideretur, Deum esse². Potuerunt nostri Iurisconsulti de omnibus gentibus dicere: cum Romanorum, Alexandri, et Parthorum imperia detegere de his potuerint, et detexerint³. Scribit Herodotus, incognita omnia in Septentrionem ultra Danubium⁴. Sed non ita post Herodotum fuit. Nam et Renum, et Danubium Romani pontibus impositis transiere: non modo Euphratem, et Tigrim. inter Renum, Albimque omnia duce Germanico debellarunt. ultra Danubium prouincias magnas Traiano imperatore confecerunt. et in Asiaticam Septentrionis plagam multo longius Pompei auspiciis penetrauerunt. Mesopotamia, et cuncta intra Phasim, atque Euphratem facta sub Romano populo. Sub Alexandro peruentum ad ultimos Indiae fines⁵. Et ab Indis legationes uenere Romam⁶. Septimius Flaccus cum Garamantibus, cum Aethiopiis fuit: item et Iulius Maternus. Et Garamantum legati non semel in Urbe uisi fuerunt⁷. Subegit eos Balbus Cornelius. et ultra Atlantem Suetonius Paulinus tulit arma Romana⁸. Subacti Nabathaei, intrata Arabia Felix, et cognomina illinc Imperatoribus reportata⁹. Sed ad Occidentem quicquid erat, illud Romanae potentiae patebat totum. Istorum igitur populorum omnium qui mores fuerint, quae instituta, incognitum esse non potuit. Sed nec aliorum plurium ignota esse instituta potuerunt: de quibus Historici tradiderunt, Herodotus, Ctesias, Strabo, Diodorus, Solinus, Mela, Tacitus, Plinius, alii: et ad quos per commercia saepius itum est. Mercatores circa sua occupati commercia, negligentes sunt illi quidem ueritatis, et ex inani ambitione dicere multa solent, ut ait Ptolomaeus¹⁰. Sed et uera habita ab ipsis sunt multa. et haec gentium iuris non sane neglexerint, quae ualde ad ipsos spectauerint, et ad commercia ipsorum. Sunt scilicet iuris

¹ A. ad Eph. 4; H. Tit. 1. ² Cic. 1. De nat. Deo. c. 17. ³ 11 Stra. c. 7; 3 Polyb. c. 58.

⁴ Herod. lib. 5. c. 9. ⁵ Arria. lib. 5; Tac. 12. an. 13. ⁶ Suet. Aug. 21; Oros. lib. 6. c. 21.

⁷ Ptol. 1. geog. 8; Tac. 4. an. 26.

⁸ Solin. c. 37. 42; Plin. lib. 5. §§ 14, 36.

⁹ App. praef.; Str. lib. ult. c. 4.

¹⁰ Ptol. 1. geog. 11.

gentium commercia¹. Et sic itaque notum de populis omnibus esse potuit. et sic itaque definiri ius gentium, et sic alia multa adfirmari. Et Caius dicere I. C. 'Dominorum potestas iuris gentium est. nam apud omnes 'peracque gentes animaduertere possumus, dominis in seruos vitae, necisque 'potestatem fuisse².' et Plato, 'Huius certe haec probatio fuerit, quod 'nemo aliter loquatur: sed nostrum unusquisque a primo ortu ita semper, 'et ubique de his homines loquentes audierimus³.' Et id genus plurima alii. Potuerunt nostri Jurisconsulti et de omnibus omnino gentibus colligere ius istud. quod si Romani, Graeci, Iudaei, barbari, omnes denique noti iure aliquo usi sunt, eodem homines omnes usi existimentur⁴. Incognita per cognita cognoscimus⁵. Imo ut rectio ciuitatis, et legis latio est penes ciuitatis partem maiorem: ita orbis rectio est penes congregationem maioris partis orbis. Quod et de iure non scripto verissimum est. tenet enim consuetudo omnes in ciuitate; et ciuitatis dicitur consuetudo totius: etsi non omnes consenserint in eam ciues: forte et nonnulli eidem contradixerint⁶.

At alia definitio iuris gentium et elegantior est, et id significat, quod tradidit Xenophon, leges esse quasdam non scriptas ubiuis locorum, non ab hominibus latas, qui in unum conuenire omnes non poterint, nec fuerint unius linguae omnes, sed datas a Deo: ut illa inprimis apud omnes homines, ut Deum colas: et illa, ut parentes honores⁷. Has leges non scriptas, sed natas: quas non didicimus, accepimus, legimus; uerum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quas non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus⁸. Et haec definitio tamen sustinet quoque quaestionem, quae ea sit, aut quomodo ostendatur ratio naturalis. Ad quam sic est respondendum, rationem naturalem per se patere. et ergo, qui ea nituntur, habent satis, si sic aiunt, 'Ipsa natura manifestissimum 'est.' 'Palam est naturali ratione.' 'Naturalem habet intellectum.' 'Natura 'docet,' et similia plurima⁹. et 'Natura aequum.' 'Nihil tam conueniens 'naturali acquitati.' 'Contra naturam est.' 'Rerum natura non recipit¹⁰.' et

¹ l. 5. de iur. et iur. (D. 1. 1). ² l. 1. de his qui su. (D. 1. 6). ³ Pla. 8. De legib. (p. 838. c.).

⁴ Herod. lib. 2. ⁵ l. 3. de decr. ab or. fa. (D. 50. 9); Panor. de conc. Basil. ⁶ l. 32. seqq. de legi.

(D. 1. 3). ⁷ Xenoph. 4. Socr. c. 4. ⁸ Cic. pro Milon. c. 4. ⁹ l. 75. de V. O. (D. 45. 1);

l. 1. de obli. (D. 44. 7); l. 5. de ser. ex. (D. 18. 7); l. 220. de V. S. (D. 50. 16).

¹⁰ l. 2. de prec. (D. 43. 26); l. 9. de ad. re. do. (D. 41. 1); l. 3. l. 23. de ad. poss. (D. 41. 2).

sexcenta alia. Et Aristoteles, 'Omnes homines natura scire desiderant. 'Omnes appetere bonum uidentur¹,' etc. Nota haec sunt. quae si probare tentes, obscuras². certe demonstres frustra, demonstrata quae sunt³. Sic de notoriis tradunt interpretes iuris omnes, ea allegare quidem oportere, sed probare non oportere⁴. Satis probatum est, ius esse naturale, quod si quid facias aduersus illud, tu uel pudore correptus factum suppressum uelis: aut si eo processeris impudentiae, ut fatearis, defendasque, sentias tamen idem, quod traditur de his sententiis, quae axiomata nominantur, defendi factum non posse. 'Hoc est maximum naturae meritum, ut uirtus in 'omnium animos lumen suum immittat⁵.' 'Interiore nescio qua conscientia' (inquit Augustinus) 'isthaec sentimus⁶.' 'Quod uere malum est,' (inquit Tertullianus) 'ne ipsi quidem, quos rapit, defendere pro bono audent. omne 'malum aut timore, aut pudore natura perfudit⁷.' Et non iustitia sola, sed et pudor missus dicitur de caelo, qui homines regeret, et in officio contineret⁸. 'Quod licet possent negare, non possent tamen non erubescere: 'sic Ambrosius⁹. Sic Iurisconsulti aiunt, nec iustum intelligi, quod non eleganter, quod non sine pudore, non secundum pudorem, non ex uerecundia desideratur¹⁰. Ita ius defenditur gentium.

Sed illud probabunt etiam sententiae magnorum auctorum saepe: quae in tractatu nostro tenebunt locum, ut in aliis artibus, et disciplinis omnibus tenent. Scilicet sic Philosophi, sic sapientes loqui secundum naturam consueuerunt. Et sic exempla eorum huc uenient, qui probi, et probati habentur. nam et isti egisse secundum naturam uidentur. Quanquam enim nec sit exemplis iudicandum¹¹: et aurea ea dicitur Iustiniani lex. ab exemplis tamen duci probabilem coniecturam, certum est. et in dubio iudicandum imo duci exemplis: et cum itum in consuetudinem est¹². Neque enim mutare decet, quae certam obseruantiam

¹ Arist. prin. Metaph. et Eth.² Arist. 3 Rh. 17; Carl. 1. de Sap.³ l. 1. de do. praeleg. (D. 32. 2).⁴ Greg. Decr. 2. 21.⁵ Sen. 4. de Benef. 17.⁶ Aug. de Util. Cred. c. 16.⁷ Tert. Apol. c. 1.⁸ Plat. Prot. (p. 322 c).⁹ Amb. 3. de Off. 14.¹⁰ l. 3. 19. de usur. (D. 22. 1); l. 15. de cond. in. (D. 12. 6); l. 8.

qui mo. pi. so. (D. 20. 6); l. 14. de nup. (D. 23. 2).

¹¹ l. 13. C. de sentent. (7. 45); Alc. 5. cons. 33, et 6. 50; Decia. 3. cons. 100.¹² Socin. reg. 280; Ceph. cons. 25. 96. 120. 307.

semper habuerunt, et firmitus iudicium creditur, quod plurimorum sententia confirmatur. Quid de gestis summorum dico, et bonorum uirorum? Ea imitanda sunt semper¹: socordiae enim, et proditionis est, nolle eos imitari, qui tanti fuerint: ut idem scribit Iustinianus; 'Quod mundus 'probat, non audeo improbare:.' Baldus respondit². Etiam argumenta, et rationes facient hic: quemadmodum alibi facere animaduertimus. Quid ni? 'Ratio et est naturae imitatio³.' Et neque ego tibi dico demonstrationes, quas petes a Mathematico; sed quales ista tractatio patitur, suasorias. Quod et Aristoteles scribit in principio Ethic. 'Sapientis est, 'catenus exactam in unoquoque genere explicationem requirere, quatenus 'pati rei ipsius natura potest.' Erunt iuris Iustinianici ciuilibus nec pauca, quae aptari ualebunt, aut quae illic adpersa de hoc iure sunt bellico gentium. Rectissime. nam ratio naturalis secundum hominum captum quandoque uariatur: et multi non tam ratione illa, quam phantasia aguntur. Leges autem latae a sapientissimis uiris, et iudicio omnis seculi adprobatae, certe eam rationem tenent, quae Alciatus sapientissimus⁴. Quae scripta sunt in libris sacris Dei, summam merito auctoritatem obtinebunt: postquam appa-ruerit, non Hebraeis tantum scripta esse, sed omnibus hominibus, ubique gentium, et temporibus omnibus. haec enim esse uerae naturae, id est, innocentis, ac iustae, certissimum est. Haec testimonia ilico diuina sunt. non egent, ut reliqua, gradibus illis. 'Haec testimonia quanto uera, tanto 'simplicia: quanto simplicia, tanto uulgaria: quanto uulgaria, tanto com-munia: quanto communia, tanto naturalia: quanto naturalia, tanto 'diuina⁵.' Age igitur, quando non deest, unde confici possint definitiones huius bellici iuris, agendum, in ipsam tractationem ingrediamur.

CAP. II.

Belli Definitio.

BELLUM est publicorum armorum iusta contentio. Et quidem nihil nisi contenditur in bello. et armorum est contentio. nam animis, non armis

¹ Alc. 2. cons. 13, et 9. 44.

² Bal. 4. cons. 496.

³ Sen. Ep. 66.

⁴ Alc. 5. cons. 38.

⁵ Tert. de Testi. Ani. c. 5.

gerere bellum, id utique ignauiae, non belli est. ut in Panegyrico quodam bene legimus¹. et uerbis gerere ineptum est. ut hoc nomine notat Liuius Graecos, et expresse Athenienses². quam ciuitatem linguatam et Tertullianus appellat³. et hiantum, et nugatorum appellatam, alii narrant. Est forte bellum aut a Graeco βάλειν, a quo et βέλος: quod, ut dico, res in bello geritur armis, et telis⁴. ui geritur res, et ferro: ut inquebat Ennius⁵. Atque multa licet in bellis conficiantur sine armis, non tamen absque paratu armorum est bellum ullibi: et nihil in bello est, quod sub praesidio armorum non lateat, et ad arma non referatur.

Porro autem et publica sit contentio oportet. neque enim bellum est rixa, pugna, inimicitia priuatorum. Et publica esse arma utrinque debent. Etenim ex eo bellum dictum est, quod inter duas partes aequales de victoria contenditur, et duellum a principio propterea nominabatur⁶: 'Graecia barbariae lento collisa duello.' Et apud Liuium de raptis rebus, 'puro, pioque duello quae' rendas censeo⁷.' Et perduellum, et duelles, perduellesque, qui nunc hostes nuncupantur. Hostis appellatione peregrinus significabatur, qui aequo iure cum Romanis esset. Hostire scilicet est aequare, unde redhostire, referre gratiam: hostimentum, pensatio beneficii: hostorium lignum, quo modius aequatur. itaque hostis, quo cum geritur bellum, et qui aequalis alteri est. Belle Syri, ubi domini uerba, 'quis rex in bellum proficiscitur aduersus regem alterum,' sic transferunt, 'aduersus regem socium⁸;' et istam aequalitatem significant, ut eius linguae periti adnotarunt. Et igitur ea, quae post nostram prodiit, definitio, 'bellum est uis, et arma in Principem, aut populum alienum⁹,' ex hoc refutatur, quod etiam priuatorum, et latronum uim facit bellum. Sed et ex eo inepta est, quod de iustitia nihil notat. Nihil dico otiosa uerba. Addo ad nostra de hoste, quod et molli ista appellatione, qua peregrinus significabatur, uoluerint ueteres aduersarium nominare¹⁰. quemadmodum et apud Hebraeos 'alienigenae' dicebantur, qui hostes erant. Et quidem etiam apud Graecos alicubi ita

¹ Naz. ad Const. c. 10.² Liu. lib. 31. c. 44.³ Tert. de Ani. c. 3; Suida.⁴ Conn. 9. com. c. 5. ad init.⁵ Cic. pro Mur. c. 14.⁶ Varr. 6. de Lin. Lat. c. 3; Cic. Orat. c. 45; Pris. vers. aen. c. 9; Alc. de Sin. Cer. c. 1; 1, 234. de V. S. (D. 50. 16) Glos.⁷ Hor. Ep. 1. 2. 7; Liu. lib. 1. c. 32.⁸ Luc. 14. v. 31.⁹ Lips. § Polit. c. 3.¹⁰ Ambr. 1. de Off. 29.

hostes nominabantur¹. Et in concertationibus fori ciuilibus sic induxerunt mite uerbum conditores duodecim Tabularum: SEI. UECINEI. ENTER. SE. IORGASINT, etc. quod laudauit Cicero in libris de Republica. et de Officiis. 'Admiror,' inquit, 'nec rerum solum, sed uerborum etiam eleganciam, SI IURGANT,' inquit, 'beneuolorum concertatio, non lis, sed iurgium dicitur.' et 'iurgare lex putat inter se uicinos, non litigare².' De quibus notamus et nos iudicia summorum uirorum: ne sacui nimis, asperique simus in hostem, uicinum praesertim. nam, ut audimus, hostis appellatio refertur per eos ad humanitatem: et lenitate uerbi tristitia rei mitigatur. Et res enim nominibus esse consonantes decet³. Sic dominum patremfamilias; sic seruos familiares appellauerunt⁴. De quibus iam satis, forte an et super.

Dixi contentionem iustam. Etenim bellum esse iustum; et belli actiones iustas omnes esse uolo. et sic iustum, piumque audio bellum: et arma iusta piaeque⁵. Et itaque disputationes omnes nostrae de hoc erunt. At uolumus hic etiam excursions, et praedationes excludere: quae iustum, id est, et plenum armorum apparatus non habent: et bellum haud recte dicentur. Sic iustum, non solum quod a iure est, sed et quod est ex omni parte perfectum, significat⁶. Ut sic Seneca, 'mare intumuit, iustus quoque nauigiis horrendum⁷.' Sed et sic alii. et Modestinus I. C. 'testamentum est uoluntatis nostrae iusta sententia⁸.' quod de plena, et perfecta dispositione rerum, quae testatori sunt, omnium, rectissime interpretantur doctiores. Ut sint uidelicet codicilli, et omnes ultimae uoluntates iustae, hoc est, iure comprobatae: non tamen alia, praeter testamentum, iusta, hoc est, plena, et de bonis omnibus, uoluntas est, et solennis. Ita, quod nos uolumus, Tacitus de bellico instructu, 'latius, ac diutius, quam per 'latrocinia uastauerat⁹.' et Liuius, 'populabundi magis, quam iusto more 'belli¹⁰.' Item; 'Irritatio animorum ex populatione agrorum,' etc. 'postea 'iustum bellum indicendo,' etc. Item, 'postquam apertae insidiae,' etc. 'tum 'iusto, et recto proelio,' etc. Item, 'latrociniiis magis, quam iusto bello.' et Sallustius, 'latrocinio magis, quam proelio¹¹.' Et Scipio itaque latrones,

¹ Herod. lib. 9. c. 11.² Non. Marcell. differ.; Cic. 5 de Rep. 8.³ Insti. 2. 7. 3.⁴ Macr. 1. sat. c. 11. § 11.⁵ Liu. lib. 38. c. 22.⁶ Alc. 4. Parad. 7.⁷ Sen. 7. Contr. 1.⁸ l. 1. qui test. fac. poss. (D. 28. 1) ubi Bar. Bal.⁹ Tac. An. 15. c. 1.¹⁰ Liu. lib. 1. c. 15.¹¹ Sall. Iug. c. 97.

latronumque duces dicebat. qui non iusta acie, sed populationibus et excursionibus, rem agerent¹. et alibi apud Liuium, 'ab Liguribus latronibus 'uerius, quam hostibus iustis.' Uidelicet quia domi inopes incursarent aliena propter domesticam inopiam, et inuenirentur difficiliter, quam uincerentur. Et forte nec satis seruantes iuris essent bellici: qui captiuos aliquando interfecerint, et lacerarint foede. quod ad aliud iustum magis spectat. Etiam Thucydides scribit, 'Missis triginta nauibus, rupta aperte foedera. 'nam ad eam diem latrocinia potius agitata².' Et P. Iouius de induciis inter Hungaros, et Turcas, 'Ex inueterata consuetudine in finibus minuta proelia, 'et extraordinarias incursiones admittebant, nisi iustis copiis cum iusto tormentorum muralium apparatu uis inferretur³.' De quo et dicendum est libro tertio, quemadmodum contra pacem, aut foedus non fiat, si iusta haec uis non intercedat armorum, quae magna est. ut iusta chiragra est magna Horatio, in Satyris⁴. Dio de Parthis, 'Extra suos fines pugnis aliquando 'et excursionibus repentinis nonnihil egerunt: tamen iustum bellum gerere, 'nisi domi suae non ualent⁵.' Ecce iustum hic bellum. Sic iustus exercitus⁶. Sic iustus miles. 'Neque ad exemplum iusti militis quicquam eis 'praeter libertatem deesse.' Sic iustus dux: 'Prosperis aliquot populationibus iusti ducis speciem nactus⁷.' Sic iusta, et recta pugnae, quae acies legitimaque furtis opponitur, et latrociniiis⁸. et sic iusta uictoria de ampla, ac plena⁹. Nos uero iam pro officio Iurisconsulti nostro haec plenius declaramus.

CAP. III.

Principes Bellum gerunt.

'HOSTES hi sunt, qui nobis, aut quibus nos publice bellum decreuimus. caeteri latrones, aut praedones:' inquit Pomponius¹⁰. et totidem uerbis Ulpianus: 'Hostes sunt, quibus bellum publice populus Romanus decreuit, 'uel ipsi populo Romano. caeteri latrunculi, uel praedones appellantur.'

¹ Liu. 29. c. 6, 34. c. 21, 42. c. 27; 2 Flo. c. 20.² Thuc. lib. 6. c. 105.³ Iou. lib. 36 (p. 338).⁴ Sat. 2. 7. 15; Scip. Gentilis 1. parerg. 4.⁵ Dio lib. 40. c. 15.⁶ Vell. lib. 2. c. 61; Liu. 10. c. 25.⁷ Liu. 27. c. 1.⁸ Casa. Suet. 2. 3.⁹ Cic. 2. Fam. 10.¹⁰ l. 118. de V. S. (D. 50. 16): l. 24. de capt. (D. 49. 15).

Publica ergo esse arma utrinque oportet, et utrinque esse Principes, qui bellum gerant. Quod et Augustino¹, et reliquis uisum Theologis, et ratio ostendit: quia ex necessitate bellum introductum est². quae est, quoniam inter summos Principes, populosue liberos fori disceptationes esse nequeunt, nisi inter uolentes, qui iudicem scilicet non habent, et superiorem, et sic summi sunt, et publicorum appellationem merentur soli³. reliqui autem inferiores omnes loco priuatorum censentur. Non est Principi in terris iudex, aut ille Princeps non est, supra quem capit alius locum primum. Et uero sic se ferunt Principes, et optimus sic dicebat Imperator M. Aurelius⁴. Necessarium itaque iudicium armorum inter hos fuerit. Bellum (inquit Demosthenes) contra hos est, qui legibus nequeunt coerceri: iudicia autem in ciues redduntur⁵. Neque eam tamen hic intelligo necessitatem, quae saepissime non necessitas esse non possit. Nam ut duo sunt genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per uim⁶: ita ad hoc confugiendum non est, si uti superiore licebit. Haec est necessitas, quae bellum iustificat, quum ad bellum extremo loco confugitur: ait Baldus⁷. Et hoc est, quod Romani prouocare solebant, ut uerbis et iudicio controuersiae finirentur, non ad arma iretur⁸. Sic Ardeates et Aricini: sic Neapolitani, et Nolani ad iudicium populi Romani adeunt, afferunt controuersias⁹. Sic Samnites prouocant in disceptationem Romanos coram communibus amicis¹⁰. Et Archidamus dicebat, non legitimum esse, armis ire aduersum eos, qui offerunt se iudicio¹¹. Et Cyrus (qui est Xenophonti, Philosopho summo, et summo Imperatori, optimi exemplar effectum Principis) regem Indorum iudicem fert sibi, Assyrioque¹². Et alii, barbarique (sic notum hoc ius est, et ista non necessitas nota) iudicem controuersiarum, et bellorum Adrianum, Antoninum, Imperatores Romanos sumpsere¹³. Et Carolus Quartus Imperator aditus iudex a Franco, et Anglo, regibus¹⁴. Et Henricus secundus Angliae Rex a regibus aditus Castellae, et Nauarrae. Et altero seculo Aragonii reges Neapolis de regno illo, in controuersia cum Gallo rege,

¹ Aug. 22. Fau. 75. ² Inst. 1. 2. ³ l. 16. de V. S. (D. 50. 16); Bal. 4. cons. 52; Arist. 4. Pol. 4.

⁴ Niphil. Epit. lib. 71.

⁵ Dem. de Chers. (p. 97).

⁶ Cic. 1. de Off. c. 11.

⁷ Bal. 5. cons. 439.

⁸ Dionys. Ecl. de Lega. (p. 2326).

⁹ Liu. 3. c. 71; Dionys. Ant. lib. ii. p. 2286.

¹⁰ Liu. lib. 8. c. 10.

¹¹ Thuc. lib. 1. c. 85.

¹² Xen. 2. Cyrop. c. 4.

¹³ Zon. 11 Annal. c. 23.

¹⁴ Polyd. Verg. Ang. lib. 20, lib. 13.

referre in arbitrium Pontificis Romani uoluerunt¹. Et Heluetii sic conue-
nerunt cum Gallo, ut ab hoc pars illa Burgundiae restitueretur Carolo Imper-
atori, quam Iurisconsulti constituissent². Et de regno Nauarrae inter duos
hos principes itidem conuenit, ut eiecto illud regi restitueretur, si iudicibus
ex aequo, et iure uideretur³. Et inter Ferdinandum Regem Neapolis. et
Principem Tarentinum similiter appellati nostri: quorum arbitrio sapien-
tium scriberetur instrumentum pacis⁴. At cur memoro adeo multa? Aut
quis multo plurima non nouit facta eiusmodi per omne aeuum⁵? Scilicet
ut intelligant, qui defugiunt genus hoc decertandi per disceptationem, et
ad alterum, quod est per uim, currunt ilico, eos a iustitia, ab humanitate, a
probis exemplis refugere: et ruere in arma uolentes, qui subire iudicium
nullius uelint. Nam cur priuatorum caussae, maiores saepe his publicis
obscuriores certe plurimum, tenentur iudiciis, Principum non tenentur⁶?
Melius, et ciuilius est, (ait lex,) non manu cogere⁷. Iudices eligi peritiores,
in corruptiores in caussis Principum possunt: quae teste quasi. ac spectatore
orbe terrarum et audiantur, et definiantur. 'Arma amens capio, nec sat
'rationis in armis.' Cur Philippus Hispaniarum rex de iure suo in regnum
Lusitaniae noluit iudicio cum eorum ullo contendere qui sibi in regnum
illud contendebant ius esse potius⁸? Nihil dico, cur Pontificem Romanum
noluerit iudicem, nam ille suo se ferre iure iudicem uidebatur. Et itaque
(quod historia notat) Philippus noluerit additum antiquis exemplum, quo
arbiter regnorum Papa adfirmaretur. Ego de arbitris loquor, quos acci-
piant ipsi Principes sponte. Et ridicula est disceptatio in illa historia, de
Iurisconsultis non adeundis in huiusmodi Principum quaestionibus quia
iure gentium istae, non subtilitatibus, et fictionibus iuris Iustiniani ciuilibus,
regendae sint. Hoc sit ius nuper ab Imperatoribus conditum litibus priua-
torum. Periti antiquitatum uiri, qui supra uulgum sunt leguleiorum, ita
censuerint. in ea quaestione successionis regni Lusitanici, quod de reprae-
sentatione parentum dicebatur aut pro Farnesio, aut pro aliis contra Philip-
pum, id esset ab inuentis Iustiniani: atque adeo non posset has hodie finire

¹ Iou. lib. 1 (p. 19).² Iou. lib. 8.³ Iou. lib. 18 (p. 405).⁴ Com. Pli 2. lib. 10 (p. 459).⁵ Hero. lib. 5; Sigon. de Reg. Ital. 14.⁶ Cic. Top. c. 10.⁷ l. 1. si uent. nom. mul. (D. 25. 5).⁸ Conest. 3. Lusat.

controuersias, cum easdem finire antea non potuisset, quando nec erat. Ut sic in historia disputant Philippii. Caeterum ridicule: ut modo dixi. Et magnus Imperator Fridericus non in caussis priuatis modo, sed et in publicis iuris regni usus consiliis, et sententias secutus illorum nostrorum est, Bulgari, Martini, Iacobi, Hugonis, aliorum Iurisconsultorum¹. Scilicet Iurisconsulti nec concluduntur libris Iustiniani. ut nec libris Galeni Medici, nec libris Aristotelis Philosophi, nec aliis ullis alii. sacros si excipis, ad quos Theologi concluduntur. atque est priuata ratio, quia uoluntas Dei ab his quaeritur, quam nisi ab ore Dei non quaerimus. Ius etiam, illis per scriptum libris Iustiniani, non ciuitatis est tantum, sed et gentium, et naturae². et aptatum sic est ad naturam uniuersum, ut imperio extincto, et ipsum ius diu sepultum surrexerit tamen, et in omnes se effuderit gentes humanas. Ergo et Principibus stat: etsi est priuatis conditum a Iustiniano. Et stat sane nec auditum mihi est, lectumue umquam, quod egregii illi supra uulgum positi tradunt. Forte an desiit esse gentium, et naturae ius, quia expositum est ciuitati? Sed ut quod ciuile est, non idem continuo est gentium: quod tamen gentium est, idem et ciuile esse debet³. Est quidem ius ciuile, quod non seruit naturali, et gentium iuri per omnia: at neque in totum a naturali recedit, uel gentium⁴. Et cur non seruiat per omnia, aut ratio communis omnium ciuitatum facit, aut singularis aliquarum. Ut quod ciuilia iura non omne agnoscant pactum ad actionem, cum gentium ius differentiam pactorum nullam constituat, id fit, ne perpetui strepitus fori quietem ciuitatis turbarent⁵. qua mihi de re explicatum in primo libro est Disputationum de nuptiis. Suasit ratio seruandarum familiarum ciuitatibus multis, potiores foeminis haberi mares⁶: Suasit ratio onerum et militiae, et domi: suasit alia ratio ciuitatibus aliis: et itaque ius ciuile cognatos non curabat Romae, non filias ipsas: quod maximum alioqui uitium contra naturalem creditur aequitatem. Et quam plurima eiusmodi sunt. Caeterum si quid eiusmodi proprium ciuitatis non ostenditur, illud de his tollere publicarum rerum disceptationibus plusquam ridiculum fuerit, plusquam ineptum. Quid? Non apta Principibus illa

¹ Sigon. 12. de Reg. Ital. p. 740.

² Inst. 1. 2; Don. 1. comm. iur. c. 6.

³ Cic. 3. de Off. c. 17; L. Rom. consil. 523.

⁴ l. 6. de iust. et iur. (D. 1. 1).

⁵ Duar. in tit. de pact. p. 43. a.

⁶ l. 2. und. cog. (D. 38. 8); l. 4. C. de lib. pract. (6. 28).

librorum Iustiniani, Honeste uiuere, Alterum non laedere, Suum cuique tribuere, Liberos tueri, Iniuriam propulsare, Cum omnibus hominibus cognationem agnoscere, Commercium retinere, id genus reliqua, et quae ex his sunt, quaeque in illis sunt libris fere totum¹? Isthæc iuris gentium sunt, et iuris bellici. Quid aiunt, a Iustiniano inuentum ius representationis, et nouellum? Quo igitur contenderunt iure, qui uo, nepotes ex primogenito, et praedefuncto, succedere ante patruos saepius, perque sententiam probatorem uolebant? In linea transuersa dicent nouellum ius². Nec est propterea nouella aequitas, aut aequitas naturalis non est, ut in recta. Etenim edicta Praetorum nouella sunt, et naturam, et aequitatem eius sequuntur supra leges ueteres magis. Leges Iustinianus suas et simplicitati aptauit (ut profiteretur saepe) naturae: et ueteres ad eandem naturam retraxit deuias. Ergo et consentaneum, cum aliarum omnium hereditatum et successionum hoc ius sit, idem quoque in regnorum hereditatibus obseruari. ut ita Hotomanus, peritissimus antiquitatum supra Philippicos illos omnes, in alia quaestione argumentatur, et concludit³. Commentitia, subtilia Iustiniani non sequimur, nec si appelletur ius ciuile⁴. Et Iurisconsulti tamen (ne nesciamus) per haec norunt aequitatem, quae quaeratur, adhuc melius: dum norunt utrumque contrarium⁵, ut ita P. Castrensium ait contra mercatores: qui magistros se inepte faciunt aequitatis. Uidelicet ius profitentur, etiam et professi sunt, qui nesciunt⁶. At contraria absque contrariis non intelliguntur⁷. Illud probum erat, et ostensum iure Iustiniani, quod iidem dicebant Philippici⁸, et quod ad praesentem articulum spectat, non esse compromittendum, quod nec dubium esset. Et attehexebat mox tamen improbe, non esse dubiam Philippi caussam: pro qua censuissent doctores omnes. Omnes? Non Cuiacius pro Catharina Medice? Non Coimbrani contra Philippum? et (mitto de aliis) non illa tria lumina orbis terrae, Perusinum, Bononiense, Patauinum collegia pro Farnesio disputarunt, responderunt? Uulgo responsa prostant. At neque id quaerimus in praesentia. Pro Philippo forte est, et itidem est ad rem praesentem, quod

¹ l. 1. 2. 3. 5. 10. de iu. et iur. (D. 1. 1).

² l. 3. C. de su. et leg. (6. 55); l. 3. C. leg. her. (6. 58).

³ Hot. ill. q. 2.

⁴ Al. 2. cons. 37.

⁵ Castr. pr. de iust. (D. 1. 1).

⁶ Cic. Orat. c. 42.

⁷ Pla. 7. de Legi; Bal. l. 1. de his, qui su su. (D. 1. 6).

⁸ Conest. 4. 5.

Corcyrensis responsum¹ accepimus prouocantibus ad incrimen disceptationem, occupata dimitti prius oportere. expectat enim iudicium de tuto, qui possidet. Ipse rex respondebat non longe hinc, nolle se ab armis cessare: nam tempus interim elaberetur commodum, quod tum in manibus esset rebus agendis. Non sic est inter ciues. at possessio omni seruatur possidenti, donec de re uincat alius, et de possessione. Neque enim uerendum est, quin faciat conditionem meliorem suam a coepta lite: et quin non possit semper de possessione deduci a magistratu. Uerum hic, qui regnum tenebat Lusitaniarum, Antonius si in possessione, dum ciuilitate contenderetur, relictus fuisset, illinc deiectus postea nunquam fuisset. Atque similitum est, quod tradunt Iurisperiti², non esse spoliatum restituendum ante omnia, ut est regula fundatissima tamen, si facta restitutione esset deinde recuperatio difficilima, et ferme impossibilis. Etenim ubi est damnum irreparabile, non ius sequimur. Et forte etiam neque componi uerbis tum potest res, quum nec uerbis laesio praecit. ut sic Archidamo responsum fuit, armis uindicandos, qui laesi uerbis non essent. At hic tamen uerius contra est: facta delicti uerbis possunt: falsaque, et detestabilis prior opinio, et uulgi est³. Et ea quoque nec respondet quaestioni nostrae responsio. De ratione disceptandi quaerimus nos, non de uindicandi, et puniendi. Disceptationem absque ui desideramus: ubi iustam ferant aditi arbitri sententiam: et indamnent, quod iuris esse censuerint. Quum in nos, uel in nostros armis agitur, disputationi locus iudiciali non fuerit. indignum iudicium huiusmodi dicitur apud Thucydidem. Atque ita causae aliae esse possunt, cur necessario ad uim, et arma descendatur: et possunt aliae esse, cur descendere ad arma minime necesse sit. Sexcentas ait Alcibiades, cur uenire non oporteat ad duellum: et quasdam etiam exprimit⁴. Quae causae legem illam per Italiae municipia, ut controuersiae, quae inter necessarios oriuntur, ad arbitros deferantur, effugiunt, eae facient et hic saepe, ut ad arbitros non eatur. Et hic potens illa est, quod caueri satis non possit de sententiarum executione. Quis alterutrum coget nostrum, qui conuentis stare noluerit? dicebat Augustus Antonio. Et haec tamen causa non potens est sola. ut

¹ Thuc. lib. 1. c. 18.² Alc. 5. cons. 132. 136. et lib. 6. cons. 7.³ Alc. de Sin. Cer. 5; Arist. 2. Rh. c. 2.⁴ Alc. de Sin. Cer. c. 28. et praeced.

intelliges de his, quae in tertio libro scribam de pace futura constituenda. Itaque concludo, quod si necessitas non subsit, bellum esse iustum nec possit. nam ex necessitate inductum dicitur¹. Uoluntario compromisso antea est disceptandum, et ratione naturali², arbitra illa (ut inquit Seneca) bonorum, atque malorum³: etiam et aliis rationibus, quae antea notatae sunt. Aut qui in iudicium refugit, de iustitia diffidit. Priuati porro homines, et populi subditi, et Principes inferiores non eam habent necessitatem unquam de currendi ad iudicium Martis: qui ius suum in iudicio apud superiorem persequi possunt. In his etiam contra fundatissimam illam regulam sic tenent quidam, restituendum spoliatum, uel si difficilima sit futura postea recuperatio possessionis⁴. Et neque auctoritas priuatorum haec est, ut concire multitudinem ualeant⁵. 'Siquis priuatim sine publico scitu pacem, bellumue fecerit, capital esto:' Lex Platonis⁶. Eiusdem scilicet potestatis est superioris, bellum facere, et pacem⁷. Et lex itaque Iulia eum maiestatis tenet, qui iniussu Principis bellum gesserit⁸. Et dedere eundem his, qui petiti bello essent, oportere, Romani existimabant⁹. Et sic sibi dedi Annibalem petiere. Et sic sibi dedi Sampsonem, Philistaei petunt¹⁰. Et sic illum dedunt Iudaei. Atque haec explorata sunt.

Quaestio illa est, si Princeps, qui ius gladii habet, et merum, et mixtum imperium, quales sunt Duces Mantuae, Parmae, Ferrariae in Italia, et illi in Germania, Saxo, Brunswicensis, reliqui Principes, et ciuitates liberae, eo titulo superiorum censi in proposito hic possint: quoniam feudi, et qua alia ratione superiorem Principem habent. Dico, qua alia ratione, nam Mantua¹¹ (exempli gratia) non censetur simpliciter subiecta imperio, sed foederata per foedus Constantiae. Ut Alciatus scribit. Ut idemque sit de Parma. Ad quam notat ille praeterea; quod etsi transierit ad Ecclesiam, manent illic tamen reseruata imperio: item et ueteres leges. Caeterum ista facti quaestio definienda est ex tenore inuestiturarum, et instrumento libertatum, siue alio quo iure. De pace Constantiae, an perpetua, an tributans ciuitatibus illis iurisdictionem imperialem, alia con-

¹ Inst. 1. 2.² Bal. proc. Cod.³ Sen. Ep. 66.⁴ Couar. de Matrim. 2. c. 7. § 5.⁵ Aug. Ios. q. 10; Aqu. 2. 2. q. 40. a. 1.⁶ Plat. Ult. de Legi. (p. 942).⁷ Dec. 3. cons. 20.⁸ l. 3. ad l. Iu. mai. (D. 48. 4).⁹ Dionys. Ecl. de Leg.; Plu. Cor., Cat. mi.¹⁰ Iud. 15.¹¹ Alc. 9. cons. 33.

trouertunt interpretes¹. Mihi, quaestiones facti attingere, non libet. Generaliter uerum id est, ut potestas feudatariorum de inuestitura quacatur². Hoc circumscripto, probatur mihi disputatio Alciati aduersum reliquos, ut superiores hos quoque censamus, et posse gerere bella³. Quamquam idem Alciatus, ex facto consultus, contrarius sibi respondeat, uideri quidem Germaniae Principes in quasi possessione esse huius iuris faciendi bellum: sed et probari istam oportere quasi possessionem: et lege Germaniae nouissima sublatam: et iure non tribui⁴. At reges creati, etsi subditi sint, reseruata Principibus summis omnia obtinent statim: etiam dicente Alciato. Et duces (quod alii dicunt) sunt Imperatores in suo ducatu⁵. Non exercent feudatarii iura regalia cum suo superiore⁶: sed foedusque possunt cum aliis inire tamen⁷. De ciuitatibus, quae nec sunt feudum, et sunt omnino liberae, ut Uenetiae, non dubium, quin idem possint, quod Princeps quilibet supremus⁸. Et recepta haec est nostrorum opinio: et pro certo uera. Quicquid ineptiant aliqui⁹ in Roma, non attendendo, id de omnibus ciuitatibus esse, quod de Roma dicitur in iure nostro, si quae sunt tales, ut Roma fuit. Qui Principes, dicuntur, nec exercent in principatu iurisdictionem, hi neque sunt, neque dicuntur proprie Principes¹⁰. Sic sunt in eadem Germania, qui duces dicuntur uiuo patre duce, alio uiuo, qui regnat, dum ipsis nihil, nisi nudum manet, et sine re nomen inane. 'Filios principum ' principes; filios regum reges esse, quis nesciat¹¹? 'Esse, ego, Bernarde, nescio; dici, scio, uacuo nomine¹².

CAP. IV.

Latrones bellum non gerunt.

CUM piratis, et latrunculis bellum non est, ut ita Pomponius, et Ulpianus definierunt. Etenim isti delinquendo non se subtraxerunt iurisdictioni.

¹ Bal. 5. cons. 300; l. 1. C. de iu. au. an. (6. 8).² Dec. 1. cons. 58.³ Alc. l. 5. de iust. et iur. (D. 1. 1); c. quod. de off. ordin.⁴ Al. 5. cons. 132.⁵ Ceph. cons. 539.⁶ Ceph.⁷ Bal. 1. cons. 369.⁸ Dec. cons. 125, 534; Alc. 1. cons. 18; Ceph. 58; Castr. l. 1. de iust. (D. i. 1.)⁹ Ceph. cons. 615.¹⁰ Alc. 3. cons. 35.¹¹ Ber. Serm. de Adu. 1.¹² Seru. ad 3 Eccl. l. 106, 6 Aen. l. 28.

Subditus rebellando non subtrahit se a subiectione iuris: ait Baldus¹. Et delinquendo nemo fit pretiosior: ait Paulus². Et alia ratione nec ius belli habent: quia ius belli a gentium iure est: et tales non fruuntur illo iure, cui hostes sunt. His, qui a communione se subduxerunt, atque foedus humani generis (ut loquitur Florus³) abruperunt, ius qui manet, quod nihil⁴, nisi communio, et foedus est. Piratae omnium mortalium hostes sunt communes⁵. Et itaque negat Cicero, posse cum istis intercedere iura belli. 'Si praedonibus pactum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus est: ne si iuratus quidem id non feceris:' inquit. Et Baldus, non his bellum indici, non teneri nos redire ad eos, qui ius tenendi non habent⁶. Et id genus alia. Atque adeo Livijs, 'latronibus uerius, quam hostibus iustus.' Et alibi; quod sumtum supplicium de praedonibus fuerit, nec datum eis belli ius fuerit⁷. Quae et de fugitiuis scribit Florus. Inuitauit Spartacus Crassum ad foedera: sed eum indignitate reiectus⁸. Tacfarinas latro Afer hue, ut Tacitus scribit⁹, arrogantiae uenerat, ut legatos ad Tiberium mitteret. Sed excanduit iste, et contumeliam factam sibi a Tacfarinate singularem adfirmat, quod praedo secum quasi perduellis ageret, hostisue publicus. Nunquam pactis bellum cum praedonibus compositum, neque foederibus finitum: sed aut superstites fuere uictores; aut uicti necesse mori habuerunt¹⁰. Ergo miror, Hotomanum adfirmare uoluisse, ius gentium imo et cum fugitiuis, et cum praedonibus esse¹¹. Et prima eius est ratio, quia lex nulla sit, quae pactionibus, et conuentionibus cum illis contrahendis interdicat, itaque quae nominatim uetita non sunt, permissa intelligantur. Et quae ratio nihil ualet. Nam, quod isti sunt omnium hostes, et prorsum (ut Plautus loquitur¹²) parcunt nemini, iure omnium frui (ut dixi) nequeunt. Non est quaestio, quid cum illis fieri possit, etiam et quid fecerint plures, sed quid necesse sit fieri. Hoc est ius, et de iure disputare, id est, de uinculo, quo obstringimur: et hoc uinculo non obstringimur istis. Addit, ex sententia Triphonini Iurisconsulti perspicuum esse, etiam latrones iuris gentium communionem habere. Nam

¹ Bal. 3. cons. 96.² 1. 63. ad l. Falc. (D. 35. 2).³ Flo. lib. 3. c. 6.⁴ Hot. Inst. de Iu. Nat.⁵ Pli. lib. 2. c. 46; Cic. 5 Verr. c. 30, et 3. de Off. c. 29.⁶ Bal. l. 4. C. de ob. pa. pr. (6. 6.) et 2 cons. 247.⁷ Liu. lib. 34. c. 21.⁸ App. Mithr. c. 109 et 1. ciu. c. 120.⁹ Tac. 3 An. c. 73.¹⁰ Helio. Aethiop. lib. 1.¹¹ Hot. ill. q. 7.¹² Charis. lib. 2. s. v. prorsum.

statuit ille, si a latrone res apud dominum ignorantem deponitur, iure gentium obligationem non contrahi: sed si apud alium, contrahi¹. De qua sententia contrarium fuerit definiendum, latro enim ibi non est, ubi dominus non est. Et nec latronem eum nominat absente domino Iurisconsultus: at inquit, 'rem accipiat is, qui dedit, ei restituenda sunt, qui deposuit.' Scilicet non est latro, nisi conuictus, ei certe non est latro, qui tanquam a non latrone habet². Et hoc est, quod in principio scripsit Iurisconsultus, eius suae inspectionis alteram hanc partem esse, quum ius inter eos tantum inter quos est contractum, nullo extrinsecus assumpto, aestimamus. Quod igitur iure gentium restituenda res fuerit deposita, id fit ut cum deponente, non ut cum latrone. Nam latroni restitui negatur: 'scelestissimo adempta' sunt: et latro fit assumpta domini demum persona. Spoliatus etiam latro restituendus ante omnia: sed quando constat esse latronem, contra est³. Affert Hotomanus et quod apud Caesarem est, 'Liceretne ciuibus ad' ciues legatos mittere quod etiam fugitiuis ab saltu Pyrenaco, praedoni-
'busque licuisset⁴?' Sed neque is locus quicquam mouet. Neque enim contendit Caesar, ius in illo facto fuisse: sed potius ad inuidiam Pompeianorum sic dixit, datam et his securitatem legationis, quibus danda non fuerat: et ciuibus interim non daretur. Etiam illud imperite Hotomanus, ius gentium et cum defectoribus esse. Quod namque Paulus dicere uideatur, 'defectores hostes esse usque eo, ut ciuitatem amittant,' non ipsis consulit profecto, aut ius nouum hoc defert gentium, et neque crimen id facit, aut poena⁵. Unum moneo, ne de aliis defectoribus quisquam me capiat, quam de his, qui sub ditione fuerunt. Qui enim ab amicitia, foedere, comi etiam obsequio defecerunt, hi iura belli, et alia gentium tenent, teste omni historia. Piratis, et praedonibus nulla manent iura: qui omnia iura uiolant. Et supradictis rationibus, non quod pluribus Alexander nauibus, pirata ille myoparone uno infestaret maria, refutatur quicquid Cicero † eas rationes forte non cogitauerit, qui responsum laudare piratae uisus est⁶. Et nec Augustinus, qui ueraciter et eleganter dictum, contestatur⁷. Nisi feceris et Alexandrum ipsum latronem, quem alii quoque ita appellant⁸,

¹ l. 31. depo. (D. 16. 13). ² Bal. 2. cons. 364. 410. et 3. cons. 44. et 4. cons. 480.

³ Cephel. cons. 685. ⁴ Caes. 3. Ciuil. c. 19. ⁵ l. 5. de cap. mi. (D. 4. 5).

⁶ Ci. 3 de Rep. (c. 12). ⁷ Aug. 4. de Ciu. 4. ⁸ 10 Luc. l. 20; 7 Curt. c. 8; Sen. 1. de Benef. 13.

et terrarum praedonem. tunc enim uereque arguteque datam a pirata respon-
sionem laudaueris. Et ita fallitur etiam Alciatus, qui idem piratae dictum
aliquando adprobare uidetur, et aliquatenus piraticam, ea scilicet ratione,
quia piratae a Principibus tolerentur¹. Et fuerint gentes, quae piraticam pub-
lice exercuerunt. 'Normanni' (id nunc addam) 'uetustissimorum temporum
' opinione piraticam in laude ponebant: inquit P. Æmylius². Et Alciatus,
quod minus hi peccent qui in mari delinquant, ubi ius gentium ualet, non
alia lex: atque eo iure est mare commune. Indigna tanto uiro disputatio.
Ut Plautini eius ridicula, qui dicebat licitum, auferre pisces in macellum
allatos, quoniam essent in mari capti, quod commune esset³. Haec simul
atque apprehensa sunt, sine dubio eius, in cuius potestatem peruenerunt,
domini fiunt⁴. 'Mare omnibus commune; sed pisces eorum qui eme-
' rent: inquit Phoenicides⁵. Capta desinunt esse communia⁶. Et ipsa
aqua maris ad salem conficiendum accepta, accipientis est. Id hic uiden-
dum est nobis, ne ex latrone, et latrocinio in ducem, et in bellum euadatur.
Quod de Aristonico Iustinus; de Uiriato Frontinus; de ipso Spartaco,
et piratis, et Apuleio quodam proscripito, et de Sex. Pompeio Appianus
ait⁷. Quodque fiet non tam iusti exercitus auctu, et urbium interceptu ut
scriptores isti et alii historici credere uidentur, quam ademptione publicae
causae⁸. Ita enim Uiriatus quum a priuato latrocinio ad patriae causam
tuendam se contulisset, dux de latrone factus est, et bellum gessisse dicitur.
Et itaque pacem cum eo, et foedus iniit populus Romanus: et eundem
appellauit amicum. Et ita etiam Arsaces, quum patriae regnum subdu-
cere Macedonibus occoepit, de latrone rex in Persia fuit⁹. Et ita Ariston-
icus, dum Asiae regni successionem iure uindicat sanguinis, Imperator
fuerit merito, et bellum habuerit cum Romanis iustum. Et ita notatum
est, nec uoluisset Deum, ut Sampson absque causa moueretur in Philis-
taeos, at fecisset, ut a priuatis paulatim ad publicam causam iret¹⁰. At uero
qui causam istam non habent, hi neque hostes sunt: etiam si exer-
citus habent; et non improspere rem gerunt; et milites, Imperatoresque

¹ Al. l. cons. 11. ² P. Aemyl. 3. Franc. p. 89. ³ Plau. Rud. act. 4. sc. 3; Pris. lib. 7.

⁴ l. 14. de adq. rer. dom. (D. 41. 1).

⁵ Athen. 8. c. 7.

⁶ Bal. l. 3. de diu. re. (D. 1. 8).

⁷ I. lib. 35; F. 2. c. 5; A. 1. ciu. c. 116, 2. c.c. 85, 46.

⁸ I. Herodia. c. 30.

⁹ 41 Iustin. c. 4.

¹⁰ Iud. 14.

se ferunt; et imperatores, et legiones aduersas excipiunt. Ille hostis est, qui habet rempublicam, curiam, aerarium, consensum et concordiam ciuium, et rationem aliquam, si res ita tulerit, pacis, et foederis. ut contra Antonios haec, ueluti contra latrones, Cicero disserebat uerissime¹. Et Carolus Martellus de Saracenis, eos non idcirco minus esse praedones, quod ingenti numero uagarentur, ducesque, et castra, et signa haberent; cum non haberent belli causam². 'Facit ubique omnia causa³.' Atque de illis uagis Saracenis sic quoque doctores nostri⁴. Belli morem, non latrociniorum, sequi piratae possunt: ut Patereulus de illis scribit, contra quos profectus Pompeius: sed bellum tamen non gerunt. Non illi piratae bellum gessere iusti hostes: etsi aduersum eos Pompeius cum potestate insolentissima, et cum apparatu plusquam solenni missus est. Fecit enim ista periculi magnitudo. Et magnitudo eadem fecerit, non Mithridatici modo belli, sed et huius piratici, item et Sertoriani triumphis tribus (quod alicubi legimus⁵) Pompeium fulgentem. Nam populus Romanus neque Spartaci, neque Cixi, sed neque proscriptorum ciuium Sertorii, aut Perpennae ciuilia bella unquam uocauit⁶. Et ouationem deferebat, non triumphum his, qui non cum iustis hostibus, sed cum piratis, et cum seruis, similibus rem peregissent: quorum aut hostium humile nomen uisum erat⁷. Scilicet hostis nomen notat aequalitatem. Quod etsi, item et belli, communicetur aliquando et cum non aequalibus, cum piratis, proscriptis, defectoribus: ut generalia sunt nomina, et pertinentia ad plures species: non tamen ius tribui hostium, qui proprie dicuntur, item ius bellorum iustorum ualet⁸. Nam quid respondeo de omnibus, qui nomen sibi demutant? Nemo sibi causam possessionis mutat⁹. Nemo sic mutat nomen, et cum nomine rem¹⁰. Sed quid sentimus nos de his Gallis, qui capti postremo bello Lusitanico ab Hispanis, et tractati sunt non quasi iusti hostes? Tractati sunt quasi piratae: qui Antonio militarent, pulso iam de regno uniuerso, et in regem agnito ab Hispanis numquam. At ipsa historia uincit, eos non fuisse piratas¹¹: non dico per argumentum ductum a numero, et

¹ 4 Cic. Phi. c. 6.² P. Aemyl. 2. Franc. (p. 40).³ Ceph. cons. 620.⁴ Alc. de Sin. Cer. 44; Covar. reg. peccatum § 11.⁵ Vopis. prob. c. 2.⁶ Oros. 5. c. 22.⁷ Gell. lib. 5. c. 6; Sigo. 2. de Iu. Pro. c. 10.⁸ Hot. ill. q. 7.⁹ l. 3. de adq. poss. (D. 41. 2); Castr. l. 60 loc.¹⁰ C. de mu. no. (9. 25).¹¹ Conest. lib. 9.

qualitate uirorum ac nauium; sed per literas, quas regis sui ostendebant, cui regi seruiebant, non Antonio, etsi maxime pro Antonio. quod illos non tangebatur.

CAP. V.

Bella iuste geruntur.

NUNC de iustitia quaeratur primum, si bellum gerere licet. Etenim si belluarum, ut inquit Cicero, est bellum: atque ita nomen habet a belluis¹: uideri sane potest, bellum homines non decere. Audi Senecam, 'Homicidia compescimus, et singulas caedes: quid bella, et occisurarum gentium gloriosum scelus? Non auaritia, non crudelitas modum nouit. ex S. C. plebisque scitis sacua exercentur, et publice iubentur, uctita priuatim. Quae commissa capite luere, tum, quia paludati fecerunt, laudamus². Non pudet homines, mitissimum genus, gaudere sanguine alterno, bella gerere, gerendaque liberis tradere: cum inter se etiam mutis, et feris pax sit³. Et magnum hoc est argumentum, quod, si muta animantia, quae oratione nequeunt de causis irarum disceptare, et quae propter naturalem feritatem aliena a pace, prona ad praelia sunt, uiuunt in pace tamen: quanto magis hoc agere homines oporteret, ni belluis magis belluae esse uelint. Sed et Cyprianus paria Senecae, 'Homicidium, quum admittunt singuli, crimen est. uirtus uocatur, quum publice geritur. impunitatem sceleribus adquirent non innocentiae ratio, sed sacuitiae magnitudo⁴. Et ad aliud quidem propositum, sed et ad hoc nostrum itidem apte, 'Consensere iura peccatis, et coepit esse licitum, quod publicum est⁵. Et Seneca rursus, 'Sacrilugia minuta puniuntur, magna in triumphis feruntur⁶. Et Tertullianus iniustitiam propriam bellorum dixit et militiam Christianis interdixit⁷. Et Lactantius asseruit, militare non licere iusto⁸. quicquid

¹ Fest. Paul. s. v.² Cuiac. Criticar. no. 1; Lips. 2. Mil. Ro. 12.³ Sen. Ep. 95.⁴ Cyp. 2. Ep. 2.⁵ Ibid.⁶ Sen. Ep. 87.⁷ Tert. adu. Iudae, de Idol. c. 19, et de Co. Mi. c. 11.⁸ Lact. 6. Institut. c. 6. c. 18.

autem de officiis ad rem militarem pertinentibus disputetur, id neque ad iustitiam, neque ad ueram uirtutem adcommo-
dari, sed ad uitam hanc, et ad ciuilem morem. cum id genus aliis. Etiam magni Basilii canon perhibetur, quo arcentur sacris per triennium, qui hostem in bello interfe-
cissent¹. De Gregorio et relatam est in Decretum. 'Nisi bella ista car-
'nalia figuram bellorum spiritualium gererent, nunquam, opinor, Iudaicarum
'historiarum libri discipulis Christi, qui uenit pacem docere, legendi in
'Ecclesiis fuissent ab Apostolis traditi,' etc.² Atque Erasmum quid
dicam? qui per longissimam digressionem in suis Prouerbiis iniustitiam
belli exagitat³.

Alii fortassis non omne bellum condemnt, sed quod non pro fide, aut
non pro salute suscipitur. Sic enim Cicero, 'Nullum bellum suscipi a
'ciuitate optima, nisi pro fide, aut pro salute'⁴. Item quod suscipitur a non
laccessito. Ut sic Ambrosius tradit, quod Dauid nunquam, nisi laccessitus,
bellum intulit⁵. Et Baldus noster scribit, contra ius naturae esse bellum,
nisi necessitas defensionis incurrat⁶. 'Militaris res, belluae est, quum infers
'bellum: quum tuercis fines tuos, hominis:'. Scaliger⁷. Et alia afferri huc
ualent.

Cacterum opinio haec refutata est post Augustinum a Theologis om-
nibus⁸. Et contra eam sunt Iurisconsulti nostri omnes, et omnes omnium
temporum Philosophi. Sane enim si magistratui datus gladius est, quo ma-
lum a suis prohibeat, cur non prohibeat extrinsecus adueniens, atque quod
est intrinsecus? Etiam bellum defensionis illicitum, quod est a natura?
Sed rationum abunde pro hac parte apud eos, qui patrociniū eius susce-
perunt: etiam et in sequentibus nostris disputationibus. Aduersariis autem
respondemus. Et primum Senecae, Festo Pauli, nec eam etymologiam
belli ueram esse; ut nec aliam Grammaticorum per contrarium, ueluti
'minime belli.' Et ea licet uera esset, non tamen probaret de iniustitia rei,
nisi Latinis. nam Graecis bellum a 'multitudine,' aliis linguis ab aliis
rationibus est dictum. ac Ciceroni, bellum quidem esse contra aliquam

¹ Cedren. Par. 2. 323. ² Decr. 2. causa 23. q. 1. ³ Eras. Chil. 4. ce. 1 pr.

⁴ Aug. de Ci. c. 21. ⁵ Amb. 1. de Off. c. 35. ⁶ Bal. 1. cons. 483. ⁷ Scal. 3. Poe. 1.

⁸ Decr. 2 causa 23; Aqu. 2. 2. q. 40; Castald. de Imp. q. 108; Ber. ad Mil. Tem. c. 3.

rationem humanam, qua ad societatem, non ad dissidia geniti sumus: sed non tamen contra humanam rationem omnem, camque quae iubet discedentes ab humana societate, et iura hominum non tuentes, ulcisci, atque in ea iura, legesque et mores cogere. Et hoc in quaestione nostra, bella ex iure esse, etsi tam multa a bellis sint mala: quia sequuntur finaliter bona, reductis rebellibus ad debitum rationis¹. Et quod cuius finis est bonus, ipsum quoque bonum, et iustum est. Et quod omnia suo fine terminantur, etc. Quae de Aristotele sunt². Finis autem belli pax. ad quam, et ad acquitatem (sic comparatum dicitur natura³) nisi per sanguinem, et has bellorum iniurias ueniri non ualeat. Sic seruitus et contra naturam est; et tamen secundum naturam quoque; quia, qui faciunt contra naturam, hi bono naturae, libertate, frui non debent. Qua de re plenius in libro tertio. Et haec ita dixerit ipse Cicero. Et neque sentit Seneca aliter. De bellis iniustus aiunt. Nam laudat Herculis bella Seneca. quae iusta credidit⁴. Tertullianus item intuitus in ea, quae fieri solent in bellis saepius, et qua iniusta sunt, iniustitiam propriam bellorum dixit. At nos quaerimus, quid fieri in bello debeat, et uero etiam possit, et factum sit, atque fiat a probis semper. Quod autem militiam condemnat, id praecipue propter idololatriam facit: quae tum temporis in Saeramenta, et in Principum imagines impendebatur⁵. ut liquido apud eum uidere est. Lactantio nunc respondemus eodem modo, et Cypriano, et Gregorio, ipsique adeo Erasmo. Is enim sic ad Cyprianum adnotat, quemadmodum sanctus ille uituperauerit bella, quia pleraque essent omnia iniusta, imo omnino omnia iniusta essent, ut nunc bella geri consueuerunt. Ex isto praecudicio Erasmus ipse suas conficit rationes, et declamitat. Itaque puerilem eius disputationem dicere possit merito Bellarminus⁶. Alii Erasmus nobis, alii in contraria afferunt sic parte. Forte autem tertia fuerit opinio uerior, nec eum scisse, quid censeret, pendulus litterator. Etiam uidetur mihi, neque alios sibi constituisse hic semper patres. Audiuimus Gregorium. eius tamen plura sunt in Decreto, quae bellum probant⁷. Theophylactus ait, ‘minus esse

¹ Bal. Castr. l. 5 de iust. (D. 1. 1).² Arist. 7. Po. 14. 7.³ Scanderb. 6.⁴ Sen. 1. de Benef. 13.⁵ Suet. Tib. 44; 4. Herodia. c. 3.Bel. Cont. de Concil. lib. 3. c. 14; Fam. ad Cypr.; Dan. ad Bellar. ⁷ Decr. 2. causa 23. q. 8. c. 17.

‘malum, ut milites belligerentur, quam si faciant peiora.’ Tertullianus, ad militiam non oportere accedere post baptismum, censet. Et id genus alia alii, quae tollunt omnino bellum: et quae non semper bene diluuntur a recentioribus. Ad Basilium quid nos dicimus? Num canones eius uiri inficiamur? Aut sacerdotale aliquid notamus ibi? Clericus enim occidit male semper et paganum, et hostem¹. Aut secutus Phocylidem est, canentem, ‘Etiam si hostem occideris, manum tuam polluis.’ Fugiunt licitum propter uiciniam illiciti, hic propter solennem illiciti coniunctionem. Sic et iusurandum, et licita alia. Manceat igitur constitutum, bellum geri iuste posse etiam uindicatiuum, et offensiuum. Docebo enim, et in his esse defensionem semper, si iusta sunt. Quemadmodum et M. Tullius, ‘Illae quidem iniuriae, quae nocendi causa de industria inferuntur, saepe a metu proficiscuntur: cum is qui alteri nocere cogitat timet, ne, nisi id fecerit, ipse aliquo afficiatur incommodo².’ Sic capi Baldus habet: ne reliqua praeter necessarium defensionis improbet male. Sic Scaliger: qui iusta Aeneae molimina censet, per quae tentabatur tamen alienis potiri, et Latio Deos inferre³.

CAP. VI.

Bellum iuste geri utrinque.

SED an potest iure geri bellum ab utraque parte? Notat Piccolomineus doctissimus alicubi quaestionem: sed non definit⁴. Ex nostris Fulgosius, repugnantibus caeteris, iustum esse uoluit⁵. Et Fulgosium secutus Alcicius est non uno loco. Et ego etiam sequor. Sed sic tamen, si probabilis dubitatio intercedit de iustitia causae. Quod et alii nostri, et Theologi exposuerunt, dicentes, iustum esse ex una parte uere, at ex altera, ex utraque per ignorantiam iustam⁶. Ut ecce Dei uoce iuste Iudaei bellum contra

¹ Decr. 1. dist. 50. cc. 5. et 36. ² Cic. 1. de Off. c. 7. ³ Scal. 3. Poe. 2. et 11.

⁴ Picc. 6. Ciu. Phil. 21.

⁵ Alc. 2. Parad. 21; l. 5. de iust. (D. 1. 1).

⁶ Couar. Reg. peccatum, § 18; Sol. 5. de Iust. q. 1. a. 7; Vict. 5. Relect. 20.

Chananaeos mouerunt. Et iuste Chananaei quoque repellabant Iudaeos, ignari uocis diuinae, et se defendentes. Et sic sapienter Pius Secundus ad legatos Hungaros, qui contra Imperatorem loquebantur, arbitrari se, non discedere Regem Hungariae ab honesto: et nosse itidem, Imperatorem iusti amantem: ut ut de regno dissentientes, nam putare illorum neutrum, caussam se iniustam habere¹. Haec natura bellorum, ut pars utraque praetendat, se fouere iustam caussam². Hoc generaliter in omnibus fere statibus controuersiarum fieri ualet, ut neutra litigantium pars sit improba³. Excipit Aristoteles solum, quum quaeritur, 'an factum sit.' Et uero in facto proprio nec nostris probari ignorantia solet. Sed in alieno facto est, quod in aliis est statibus. Huc adigit nos humanae nostrae conditionis infirmitas: per quam sunt nobis in tenebris omnia: et purissimum illud, atque uerissimum iustum ignoratur, quod non ferret duos litigare iuste. Cur enim (inquit hic Maximus Tyrius) qui aequabiliter sentiunt, digladiari inuicem oporteat⁴? Et uere uel iniusti pugnant, uel cum iustis iniusti. Sed eam ueritatem nos plerumque ignoramus. Sic ergo sequimur iustum hominis. Sic Baldi uitatur argumentum contradicentis, quod bellum cum sit contrariorum, necesse etiam sit, ut altera pars foueat iniustitiam⁵. Et ergo sic dicimus, quod si constet absque probabili ulla ratione aliquam partium reluctari, eam certe agere latrocinia, non bella gerere. Et id fatentur merito omnes. Et ab ea iustificari magis caussam alterius iustae partis, uerissimum est. 'Iniquitas partis aduersae iusta bella ingerit:' scribit Augustinus. 'Et iniquitas aliena faciebat,' (quod de Romanis idem notat) 'ut esset, cum quibus iusta bella gererentur⁶.' At uero si dubium sit, a qua parte stet iustitia, hanc si et utraque quaerit pars, iniusta esse neutra potest. Sic ipse Baldus, iustum esse bellum inter reges, dum hinc inde de seruanda maiestate, iustitiaque contenditur⁷. Iuste, hoc est, ex probabili causa, litigantes per fori disceptationes, siue rei siue actores, et uicti lite atque sententia, non condemnantur iniustitiae⁸. Et utrinque tamen

¹ Com. Pii. 2. lib. 3. ² Alc. 8. cons. 93. ³ Arist. 3. Rh. c. 15. ⁴ Max. Ty. ser. 14.

⁵ Bal. 1. 5. de iust. (D. 1. 1).

⁶ Aug. de Ciu. 4 c. 15 et 19. c. 7.

⁷ Bal. 2. cons. 358.

⁸ Dec. 1. 42. de reg. iu. (D. 50. 17); Bal. 5. cons. 299.

iuratur de calumnia. Cur aliter censebitur in hac disceptatione, et lite armorum? Utiq̄ue Bartolus, Baldus, alii ab illa inermi contentione ad istam armatam, et ad duellum argumentantur¹. Latet ecce in tenebris aliquid: et nec discernitur, Titii an sit, uel Sempronii. Et cum uterque illud ad se trahere, alteri conatur quisque abstrahere: tu eorum alterum iniustitiae condemnabis? Ait Baldus, quod est manifestissimum, neminem debere ius suum indiscussum relinquere: at tentanda esse, quaecunque tentari possunt². Apt̄e Cicero pro partibus utrisque, Iulianis et Pompeianis, 'Erat obscuritas quaedam, erat certamen inter clarissimos duces: multi dubitabant, quid optimum esset: multi, quid sibi expediret: multi, quid deceret: nonnulli etiam, quid liceret³.' Et haec neque parua est obscuritas, si utile cum honesto pugnet, quid nos sequi oporteat. Adde his illa Seueri contra Albinum, 'Cum bellum aduersus Nigrum gessimus, non ita sane speciosas inimicitiarum causas habebamus: nam positum in medio principatum, atque adhuc in disceptatione uersantem pari am- bitu uterque nostrum ad se trahebat,' etc.⁴

Addo illos hic casus, quum sociis, amicis, consanguineis, uicinis, aliis, quibus quis auxilium ferre tenetur: et quum fert tamen prouocauerit arma alterius aduersum se iuste, aduersum quem tulit ipse sua. Sic de Ceritibus Liius, quod misericordia consanguinitatis Tarquiniensibus se contra Romanos adiunxerint; et, ut legatos ipsorum Ceritum facit dicere, non consilio, sed ui, atque necessitate⁵. Et hoc tertium quoddam crit caput, quum ex una parte bellum iustum est, ex altera etiam iustius quod scilicet esse potest, et nec desinit unum esse iustum, licet sit alterum magis iustum. Recipiunt enim uirtutes magis, et minus⁶. Et uirtutis medium aliquam habet latitudinem, non in puncto uersatur. Aspergam, et adnotabo alios deinceps casus, et causas alias.

Certissima autem mihi haec uidetur iuris nostri sententia: quod tribuit belli iura utrinque: capta facit utrinque capientium: et utrinque captos seruos habet. A quo iure dum se extricare reliqui contra Fulgosium connituntur, insaniunt haud dubie suauiter. Ut ostensum ab Alciato est, qui et illam

¹ Alc. l. 5. de iust. (D. 1. 1) et 5. cons. 63. ² Bal. 1. cons. 326. ³ Cic. pro Marcell. c. 10.

⁴ 3. Herodia. c. 18.

⁵ Liu. lib. 7. c. 20.

⁶ Picc. 9. Ciu. Phil. 53.

hostium aequalitatem huc affert, de qua nos notauimus antea¹. Quanquam uero contingere aliquando (non continget saepius: ut statim audies) possit ut iniustitia non obscure pateat, ab altera parte: tamen non oportuit mutare definitionem generalem, quo minus utrinque essent semper belli iura. Neque enim ex his, quae raro accidunt, iura constituuntur, atque aptantur: id est, ex his, quae in suo genere raro accidunt: et quae contra generalem rei naturam in re aliquando contingunt². Ut plures nostri doctores docent: et generalem (ut dico) definitionem imminui nolunt³. 'Nulla lex satis commoda omnibus est:' dixerat M. Cato⁴. Non igitur mutandum de hoc iure hostium, et belli utrinque aequali. Et quidem sic est et in disceptationibus fori par ius litigantis utriusque, donec lata pro altero eorum sententia sit. Et hic victus, qui iniuste belligeravit, pro sua iniustitia poenas feret a uictore grauiores. Quod si iniustus uicerit, neque in contentione ista armata, neque in togata altera superest remedium homini. Et nec ius deficit tamen, sed iuris executio. 'Non ius deficit, sed probatio:' inquit Paulus⁵. Aut etiam dixeris cum Theologis ac Philosophis nullum esse sine poena peccatum, nam et improba actio est poena⁶: 'Prima illa et maxima peccantium est poena peccasse,' ut inquit Seneca. Est metus poena, scilicet ut idem ait, 'Multos fortuna liberat poena, metu neminem.' Est infamia apud alios: est conscientia apud se, ut Philosophi explicarunt: est et infernus; de quo et Philosophi, ueritate cogente, et Theologi, ueritate docente, tradiderunt.

CAP. VII.

De causis bellorum.

DE CAUSIS BELLORUM uidendum porro est. 'Una, et ea uetus causa bellandi, profunda libido imperii, et diuitiarum,' ut scriptum a Sallustio

¹ Alc. d. l. 5. et de V. S. 234. (D. 50. 16).² l. 3. 4. 5. 6. de legi. (D. 1. 3).³ Az. l. 64. de reg. iu. (D. 50. 16); Wesen. Inst. 1. 19; Don. 1. com. 15; Alc. 5. Parad. 7.⁴ Liu. lib. 34. c. 3.⁵ l. 30. de te. tu. (D. 26. 2).⁶ Picc. 9. Ciu. Phil. 53.

fuit¹. Diuitis hoc uitium est auri: etiam Poeta hic². Et alius itidem: et quod aurum ferro nocentius sic est³. Et Cerealis apud Tacitum, 'Aurum et opes praecipuae bellorum caussae⁴.' Quae et Philosophi et quis non⁵? Uerum iniustitia caussarum belli haec non est. Audi Augustinum, 'Inferre bella iustitiam caussarum belli haec non est. Audi Augustinum, 'Inferre bella iustitiam, et inde in caetera procedere, ac populos sibi non molestos sola regni cupiditate contere, quid aliud, quam grande latrocinium nominandum est⁶?' Barbarus ille barbare, 'Id in summa fortuna aequius quod ualidius: et sua retinere, priuatae domus; de alienis certare, regiam laudem esse⁷.' Et hoc illud est, quod contra Alexandrum iactabatur, eum fuisse praedonem orbis terrarum, qui ista tantum libidine imperii quietos populos, et a notitia sui quoque sepositos, scrutatus est et bello uexauit. Et Attila qui caussas bellorum nullas sectabatur, odium meritis omnium merito dicitur: qui omnibus ita ferebat se inimicum⁸. Atque de piratis iam audiuius. Ipsi etiam Turcae bonas quaerunt caussas, quum cogitant bellum mouere. Et itaque de Cyprico, quum Uenetiis eripere illud regnum uellet 'Sclymus cogitare coepit, quibus rationibus bellum legitime suscipi uideri posset: quoniam non est Otomanicorum institutum, ut bellum impetu quodam animi gerant⁹.' Ferinum id, nulla accepta iniuria ad caedes, et uastationes uenire. Quod iidem aiunt historici bene. Piscibus id conuenit, et feris, et auibus uolucris, se mutuo ut uorent: quandoquidem carent iustitia: ut cecinit Hesiodus¹⁰. Atque inde fieri sic audimus, ut semper principes aliquam probabilem causam suscipiendorum bellorum prae se ferant: quamuis saepe causa subsit nulla. Uides et a Moysae quaesitas caussas: qui tamen habebat summe iustam, iussum Dei¹¹. Ex hoc enim cum facere bellum deberet Emoraco, quem deleret: misit nuncios tamen, qui haec dicerent, 'Transeam per terram tuam: non diuertem in agrum, aut uincam, neque bibemus aquam putei: uia recta ibimus usque dum transierimus terminum tuum.' Etiam Hercules uenator belli occasionem (ut ait Apollonius) contra Dryopes: qui alioqui improbi homines¹². Sint igitur

¹ Sallust Frag. lib. 4. et Catil. c. 8.² Tibu. 1. Ele. 10.³ Oui. 1. Met. 141.⁴ Tac. 4. Hist. c. 74.⁵ Phi. de Vi. Moy., et de Decal. (p. 766).⁶ Aug. 4. de Ciu. c. 6.⁷ Tac. 15. An. c. 1.⁸ Iornand. de Or. c. 36.⁹ Natal. Co. lib. 21.¹⁰ Hesio. Op. l. 277.¹¹ Nume. 21; Deut. 2; Iud. 11.¹² Apol. 1. Arg. 1218.

causae belli, et sint nec leues. Parum namque a nihilo uix distat¹. Et sic Aristoteles non prudenter modo, uerum etiam iuste monet, non suscipienda bella ob caussam leuem². Cur enim non magno morbo magnum medicamentum? Dico iterum de hoc. Etiam et quod causae dubiae esse non debent: et neque antiquae? Ut enim hic uideatur locus suus his esse, ubi generaliter notamus de causis, tamen sic placet postea explicare, quum in materia bellorum adeo peregrini non erimus, ut in isto principio sumus. Etiam nec cadit disceptatio ad caussas diuinas, quas statim expono, de leui et de antiquo. Nihil non leue in diuinis est, ne Iota quidem. Nihil est ibi antiquitas, sed ueritas. Etiam in bello defensionis, quod primum tracto; non sunt istae distinctiones dubii, leuis, antiqui. Sed omnium est defensio.

Iustae sint causae: nam causa iniusta nec est causa³. Et certa haec sunt: in quaestione illud manet, quae hae sint iustae causae. Uidimus autem de efficiente: de his, qui iusti auctores sunt bellorum. Quae sola iustitia satis aliquando uidetur esse, puta⁴, ut res sic bello perditae, et recuperatae de manibus hostium, non restituantur antiquis dominis, si res nostrae sint, quarum postliminium est, uerum aut publicae fiant, aut capientium. Sola scilicet auctoritas principum hic, non alia iustitiae causa attenditur. Quamquam Alciatus imo inter Christianos ad aliarum causarum iustitiam potissime respici uelit. De hac iustitia efficientis causae est etiam quod dicemus circa subditos: qui militent iuste principi uel iniuste belligeranti.

Uidendum post efficientem de aliis causis est. Tractant aliqui, si bona intentio principis adesse debeat ad iustitiam belli⁵. Quod est theologorum. Nobis uidendum de causa formali est. Et uidebimus in secundo libro: ubi de omnibus exponitur quae in gerendo bello sunt. Uidendum et de finali; quod fiet in libro tertio: ubi iura uictoris, et uicti, et finis uictoriae, et rationes belli finiendi explicantur. Nunc uidendum est de materiali: id est, de his, quae materiam belli praebent. Et sunt istae triplicis speciei aut enim diuinae sunt, aut naturales, aut aliae hominum.

¹ Ari. 5. Pol. 3. 10.² Ari. 7. Pol. 14. 21.³ l. 221. de v. S. (D. 50. 16).⁴ Alc. l. 1. de ad. poss. (D. 41. 2).⁵ Couar. Reg. Peccatum, p. 2. § 10.

CAP. VIII.

De caussis diuinis belli faciendi.

DIUINAE caussae sunt belli faciendi, quas ad Deum, tanquam iubentem bellum referre possumus. Ut quum Iudaei retulerunt ad Deum caussam belli a se moti in Cananaeos. Bellum etiam ἄσποροῦ denunciat Deus Hamalekitis, et populo suo inimicitias aduersus illos aeternas imperat¹. ‘Hoc genus belli sine dubitatione iustum est, quod Deus imperat: apud quem non est iniquitas: et qui nouit quid cuique fieri debeat, in quo exercitus non tam auctor belli quam minister iudicandus est².’ Ut ita Augustinus scribit. Et in alio proposito, ‘Mandati huius non potest iniustum esse iudicium. mandatum enim Dei est, de quo non iudicandum, sed ei obtemperandum fuit. ille enim nouit, quam iuste mandauit. ad seruum autem pertinet, obedienter facere quod mandauit³.’ Atque ab ista auctoritate sic concludit Iepthes, ‘Nonne cuius heredem instituerit te? Cemoschus Deus tuus, illius heres esses? sic quemcunque expulit Ichoua ‘Deus noster a facie nostra, illius hereditatem obtincbimus⁴.’ Et sic Isaia ut Philistaeorum legatis nihil respondere habeat rex Ezechias de Israelitarum iure in Palaestina, sed hoc tantum, Ichouam sic uelle, ut ea terra esset populi sui⁵.

Iunge autem sanctis his et Aethiopes, qui bellum quodcunque sic suscipere consueuerunt, iussi oraculo Iouis⁶. Et Spartanos, qui itidem oraculis moniti, et fortibus pergunt Argiuis bellum facere⁷. Huc Aeneam, ipsumque Uirgilium affer: qui Aeneam facit uenire in Italiam, etiam et facturum bellum ex fati, oraculis, etc. Turcae quoque aut hanc semper habent bellorum caussam, quod Maumethis iussus is sit, bello persequi oportere homines diuersae religionis⁸. Et sic ipsi, Persaeque, alteri alteris haeretici, perpetuum fere pro religione gerere bellum dicuntur. Sic

¹ Exod. 17. 16.² Aug. Ios. q. 10.³ Aug. Exo. q. 6.⁴ Iud. 11. 24.⁵ Isa. 14. 32.⁶ Hiero. lib. 2. c. 29.⁷ Xenoph. 4. Graec. 7.⁸ Na. Co. 6. 14.

odio in Persas Turca fertur, et in Christianos, caussa religionis. suasum uero Solimano narratur, ut in Christianos potius moueret arma: nam Persas esse tantum haereticos¹. Contra quam in concilio Lusitanico dicebatur ultimo regi Sebastiano, ut contra haereticos potius quam contra infideles ferret bellum². Non hoc ab Hispania est? Decretum illud, quo nuper Philippus eiurauit bonam copiam et fidem, dicit, bella se habere irreconciliabilia cum infidelibus et cum haereticis. Testantur alii hanc bellorum Philippi causam³. Testatur orbis, qui sub utroque iacet sole. Nos uero ita statuimus, ut Iudaei iustissime bellum gesserint in Cananacos. Ut antea quoque dictum est. Reliqui, non quidem diuino, et iusto uero, sed iusto defendantur humano, et ex principibus institutis sectarum. Senper enim uerum est, quod notat alter medicorum summus auctor⁴, reprehendi non oportere definitiones, quae traditae sint secundum sectam definientis. adeoque nec istorum facta possint reprehendi, si secundum ipsorum sunt religionem. 'Gradius iubeat si capere arma ducem: Fidere tam fas est, quam dubitare nefas. Mortalia quaerunt consilium. certus iussa capesse Dei⁵.' Sic isti, et, 'contra quis ferat arma Deos⁶?' Quae in alio dicta argumento, et hic ualent. Sed pergendum est ad radicem, et uidentum, si in his bona istorum religio est.

CAP. IX.

An bellum iustum sit pro Religione.

ET quidem si religio eius est naturae, ut compelli ad eam inuitus nullus debeat⁷. Atque noua illa dicitur, et inaudita praedicatio, quae uerberibus exigit fidem. Sequitur, uim istam iustam non esse. 'Hoc ad irreligiositatis elogium concurret, adimere libertatem religionis, et interdicare optionem diuinitatis: ut non liceat mihi colere quem uelim, sed cogar colere quem nolim. atque adeo et Aegyptiis permissa est tam uanae superstitionis

¹ Iou. 33. 36.² Conest. 1.³ Ferrarot. de Inim. § 7.⁴ Gal. 4. Diff. Puls.⁵ Aus. Theod. Aug.⁶ Tib. 1. Eleg. 7. 30.⁷ c. 35. 23. q. 5; c. 1. 3. dist. 45; c. 3. de bap.

‘potestas, auibus et bestiis consecrandis, et capite damnandis qui aliquem ‘huiusmodi Deum occiderit,’ ait Tertullianus¹. Et alio loco, quod naturalis potestatis est religio. Quod et Pomponius². Et quod ea alterius non noceat, aut prosit alteri. ‘Fides suadenda, non imponenda:’ Bernardus³. Et Hilarius, nouo exemplo homines ad fidem cogi⁴. Largiens interea Constantio Caesari, ueram fuisse Arrianam ad quam Constantius cogebat, ‘Religionem imperare non possumus: quia nemo cogitur ut credat inuitus?’ respondit sapientissimus rex Theodericus⁵. Et idem Theodatus rex, uoluntarie sacrificandum domino, non cuiusquam cogentis imperio. Sic et Lactantius, cogi religionem non posse: et uerbis, non uerberibus constitui: nec quidquam esse tam uoluntarium quam religionem⁶. Et Christianos non esse Aegyptiis peiores. Et Iosephus, suo quemque arbitrato, non alieno impulsu, Deum colere oportere⁷. ‘Et suis’ (Arnobius inquit) ‘religio ‘contenta est uiribus.’ Atque aduersus uim, et arma, ‘Quoniam plurimum ‘gladiis, et potestate ferri ualetis, anteire uos etiam ueritatis scientia iudicatis’⁸?’ Magnus Hospitalius graui sic satyra, ‘Dictis pugnamus, et armis, ‘quais de religione animo sententia scdit uerior. interea tabulas et tradita ‘Moysi spernimus,’ etc.⁹ Audis auctores: audis rationes. Quod contra naturam est rei, id non fieri pro re constituenda, sed esse magis pro destruenda. Quod effici nequit per uim, id per uim aggredi, furiosum. Quod est facultatis, id non trahi ad necessitatem. Quod suo stat pondere, id sustentare adscititiis iuramentis, ineptum. Quod regulam habet suam, id non tractandum aliena. Nouum iniquum: quod enim uetustas adprobauit, certum est fere non minus quam lex aliqua, ut scribit egregius Duarenus, in Disputationibus anniuersariis. Et haec sunt dictae rationes. Religio autem ab animo est, et uoluntate; quae semper habet libertatem secum, ut est praeclare et a Philosophis et ab aliis, et a Bernardo explanatum in libro De libero arbitrio. Animusque noster, et quicquid est animi a principio, aut principe non mouetur externo. Et neque dominus est

¹ Tert. Apol. 24, et ad Scapu.² l. 2, de iust. (D. 1. 1).³ Bern. cant. ser. 66. 12.⁴ Eras. praef. Hii.⁵ Cassiod. 2. Var. 27, et lib. 10, ep. 26.⁶ Lacl. 5. Inst. 19.⁷ Ios. de Vi Su.⁸ Arno. Adu. Ge. 3. 4.⁹ Hosp. lib. 4 ep. Sat.

animae, nisi unus Deus; qui unus animam potest perdere. Scis? At audi adhuc unum. Libertas religioni debetur. Coniugium quoddam Dei et hominis est religio. Si igitur coniugio alteri carnis libertas defenditur obstinate, etiam huic coniugio spiritus tribuatur libertas.

Sed hanc sententiam, de bello propter religionem non mouendo, probatam omnibus, nemine excepto, testatur doctissimus a Victoria¹. Et causam istam non iustam fuisse Hispanis suis contra Indos. Didacus a Couarruua, itidem Hispanus uir, et doctissimus iurisconsultus, nominat canonistas, et theologos plures, qui idem hoc docent². Et Baldus docuit quoque de Innocentio, non licitum esse bellum contra infideles, nobiscum uiuentes in pace, non nobis iniurios³. Didacus et ipse etiam hac stat: non negat tamen, stare quosdam in contrariis partibus, etiam Aquinatem. Ceterum et refutat aliorum opiniones rationesque. De haereticis etiam bello ulciscendis sane decreuere Toletani patres: et est relatum in ius canonicum⁴. Et Baldus inquit esse certum, hostes fidei, id est, ecclesiae, depraedari posse⁵. Tamen nec bono argumento firmat illud certum: et ualde dubitanter illam attexit interpretationem. Ut est sane non definiendum generaliter, fidei hostem eum esse, qui ecclesiae hostis sit. Quia ecclesia gerit bella saepius non pro religione, ac fide, sed pro his rebus, quas temporales appellant. Alibi et contra haereticos, et (sibi contrarius) contra infideles dat bellum Baldus hac ratione, quoniam uacant regna propter haeresim, et infidelitatem: cum non sit haeretici et infidelis iurisdictio uera: esse autem impossibile uiuere absque magistratu et iurisdictione: nam haec esse de iure gentium⁶. Quae ratio est multo inanissima. Imo enim Deus asserit his iurisditiones⁷. Sed uero sunt aliaque dicta in has partes, quae cum primis illis doctoribus, et generalibus eorum rationibus pugnant. Sed ego disputationem nondum mitto. 'Aduersus barbaram religionem nobiscum ad interneccionem bellatum:?' Christiani aiunt de Saracenicis⁸. Et Bernardus mouens Ludouicum Galliarum in Asiam, 'Tibi ulla belli iustior causa, quam quae sanctior?'

¹ Vict. Relect. 5. 10.² Couar. Reg. Pec. p. 2. § 10.³ Bal. l. 5. de iust. (D. 1. 1).⁴ c. 13. de haer.; c. 5. dist. 45.⁵ Bal. 4. cons. 140.⁶ Bal. 3. cons. 439.⁷ 1 Pet. 2; Paul. ad Ro. 13; Ber. de Ad. Ser. 3.⁸ P. Aem. 2. 5.

Etiam Lacedaemonii inter alias causas contra Athenienses, quod uiolatores religionum Athenis essent¹. Et Athenienses ex aduerso, quod Lacedaemonii e ductos de templis supplices obruncarint. Cum id genus aliis. Sane tamen auarissimorum instituta ista dicuntur, et improbitatis integumenta². Nec ullam esse religionem tam nefariam, quae iubeat in homines diuersae religionis grassari. Ferdinandus rex, qui catholicus cluit, omnes fere suas cupiditates sic obtexit honesto religionis uelamento. Ut notat Guicciardinus³. Et Carolus imperator, Ferdinandi nepos, non alio colore cupiditates regnandi suas adumbrat. Ut Iouius scripsit⁴.

Nemo autem hic obiiciat mihi Iustinianum nostrum: qui narrat alicubi, bella a se suscepta ob hanc causam religionis⁵. Nemo Pipinum, qui omnia pie † magistratus, quae in gratiam ageret Papae, urebatque, uastabatque⁶. Nemo alios. 'Suum quisque bellum sacrum praedicat. hostes quisque suos 'impios dicitat. suam quisque causam sanctam nominat. in ore omnium 'sanctum, piūque uersatur. consilio, conatu, animo secus efficitur. De 'mortalium iure res est. Ea controuersia tollatur, nulla crit armorum causa. 'Nunc nulli nefario sceleri non praetenditur nomen pietatis. Sacrae militiae 'nomen ad haec arma,' quibus petitur rex Neapolitanus a Papa,' (miserum) 'recidit'.⁷ Multa, et saepe sic scriptor maximus. Etiam Iustiniani facta fuerunt ad suos defendendos aut a Persis idololatriis, aut ab haereticis Gothiis, Vandiliisue: qui uel occuparunt de imperio Romano: uel in imperio affligere subditos Iustiniani uolebant. Etiam ad defendendos Christianos, Persaram subditos, et a Persis propter religionem tractatos male, si Iustiniani sunt facta, dico tibi, docente Couarruuia, iustas has causas esse⁸. Sic et bella Francorum, et aliorum Europae probantur: quae uexatos a Turcis subleuarent, et Christi iniurias ulciscerentur. Sed haec alia quaestio est de defensione, quam postea examinauo. Nunc illa est, si uno religionis obtentu bellum inferri possit. Et hoc nego, et addo rationem: quia religionis ius hominibus cum hominibus proprie non est: itaque nec ius laeditur hominum ob diuersam religionem: itaque nec bellum causa religionis. Religio erga

¹ Thuc. lib. 1. c. 126.² Na. Co. lib. 1.³ Guic. lib. 12.⁴ Iou. lib. 30.⁵ Nou. 78.⁶ P. Aem. lib. 2. c. 32.⁷ P. Aem. 6. 7. 8.⁸ Couar. Reg. Pec. p. 2. § 10.

Deum est. Ius est diuinum, id est, inter Deum et hominem: non est ius humanum, id est, inter hominem et hominem. Nihil igitur quaerit homo uiolatum sibi ob aliam religionem. Aiunt alii imperatores, in omnium ferri iniuriam, si contaminetur religio¹. Et M. Tullius, quod pietate aduersus Deos sublata, fides etiam, et societas humani generis, et una excellentissima uirtus, iustitia tollitur².

At neque nos loquimur nunc de his qui, ferarum modo magis quam hominum uiuentes, sine ulla omnino religione sunt; hos enim quasi piratas, communes hostes omnium, bello persequendos, et cogendos in mores hominum arbitrari. Hi enim uere uidentur iniurii omnibus hominibus, qui in specie hominum agunt uitam brutorum brutissimorum. Esse enim et brutis quibusdam religionem aliquam, traditum et creditum est³. Hi sunt, qui gigantum more bellum gerunt cum Deo. Nam 'quid aliud est, cum diis gigantum more bellare, nisi naturae repugnare⁴?' Iuris naturae est religio. Et itaque nec patrociniabitur ius istud expertibus ipsis. Et hoc tamen addo, gentem non esse eiusmodi, cui religio nulla sit⁵. Age, aliquam mihi eiusmodi gentem narra.

Illi expertes non sunt iuris naturae huius qui errore humano tenentur, et boni cupiditate ducuntur, et non bonam religionem sectantur. Sic misericordia dignos Alemannos idololatrias, dixit Agathias⁶. Itaque docendi sunt, et ferendi, non cogendi aut exterminandi. Iudaeos non molestandos, non compellendos ad fidem, etsi post Christum non differant illi ab idololatriis, etiam interpretes iuris ex facto consulti, responderunt plures⁷. Qui autem a ciuitatis reliquo corpore seiungunt se, et aliam ciuitatem excitant contra ciuitatem, hi publicum turbant statum, et iniurii sunt reliquis ciuibus. Hos intelligunt supradicti Imperatores. At qui in alia ciuitate sunt, hi si uiuunt aliter atque nos uiuimus in ciuitate nostra, nos utique non offendunt. Et ita cum bellum istud uel uindicatiuum fuerit, uel punitiuum, iustum esse neutrum potest. neque enim laesi sumus, ut ulciscamur iuste, neque illi nostri sunt subditi, ut puniri a nobis debeant. Quod et Didacus. Paria sunt, punire innocentem, et nocentem, quem tu punire non debes⁸.

¹ l. 4. C. de haeret. (r. 5).² Cic. r. de Nat. Deor. 2.³ Chass. cat. p. ult. consid. 78.⁴ Cic. Cato 2. 2.⁵ Cic. r. de Nat. Deor. 16.⁶ Agath. r. Goth.⁷ Bald. r. cons. 316.⁸ Alex. 6. cons. 225.

CAP. X.

Si Princeps Religionem bello apud suos iuste tuctur.

CAETERUM et de eo dispiciamus diligentius, si temeratoribus receptae in ciuitate religionis ferrum et bellum liceat intentare. Sane autem uiolatarum religionum ubique poenam aliquam fuisse constitutam, legimus¹. Et Plato in temeratores religionis sancit poenam capitis². Varias sancunt nostrae leges³. Socrates ob hanc caussam necatur Athenis: Diagoras proscribitur. alii alibi multantur, necantur⁴. Sic Abraham coactus uertere solum: qui ausus innouare religionem: et a Chaldacis pulsus cum tota domo patris⁵. Plus legimus in Decreto, proicctum Abraham in ignem, et fratrem Aran: ut quem noluerint adorare, et uenerando colere contempserunt, diuinum numen exurendo sentirent⁶. Quod et Augustinus, et Hieronymus, non quidem de scripturis, sed de traditione aiunt Hebraeorum⁷. Anacharsis sic interfectus a suis Thracibus ob Graecos ritus quibus utebatur, illuc reuersus ex Graecia⁸. Romae nulla peregrina sacra, inde usque a lege Romuli, quae de peregrinis Diis non colendis et sacris externis non operandis cauit diligenter⁹. Et nullo tamen non inuitauit ille in ciuitatem suam illectamento omnes. Et multi tamen undique populi in ciuitatem confluerunt. Ut hoc miratur fieri potuisse, nec irrepserint cum tot peregrinis religiones eorundem peregrinae, atque laudat, Dionysius¹⁰. Augustus sic coluit ueteres receptasque: et nouas non tulit, aut peregrinas¹¹. Et Tiberius sacuus etiam aduersum externas ceremonias, et Aegyptios, et Iudaicos ritus. Sed exemplorum hactenus. Ait uero Iohannes Bodinus, quod legislatores omnes, fidem subditorum in Principes ab eorundem subditorum religione pendere, censuerint, una et Philosophi¹². Et ita sane Maecenas monuit Augustum, ut ad receptam more patrio religionem omnes

¹ Sen. 3. de Benef.² Pla. 10. de Legi. (p. 908).³ C. de haeret. (1. 5).⁴ Iust. 1. Apol.; Iose. 1. Ap.; Cic. 1. de Nat. Deor. 23; Pla. Nic.⁵ Iose. 1. Ant. 7; Iudithae 5.⁶ c. 1. 35. q. 1.⁷ A. Gen. q. 25; H. c. 11.⁸ Herodo. 4. c. 76.⁹ Manut. de Legi.¹⁰ Dionys. 2. Antiq. 19.¹¹ Sue. Aug. 93; Dio. 53. 54.¹² Bod. 4. de Rep. 7.

compelleret, peregrinorum rituum auctores suppliciiis persequeretur, non modo Deum gratia, quos qui contemnit, haud dubie aliud quicquam magni faciet, sed propterea etiam, quod qui noua numina introducunt, multos pellicunt in coniurationes, aliaque quae minime commoda principatui unius sunt¹. Et hac suspicione inducti hodie non ferunt Lutheri tradita: quasi ea potestati Principum aduersentur². Alii contra, qui Luthero audierunt Principes, non uident primos libenter, siue ecclesiasticos, siue laicos: nam ecclesiasticorum turbam infinitam iurisdictioni Principum subduci uident laicorum; et subditos reliquos iudicatis haereticis; etiam filios parentibus suis fieri hostes³. Certe, quae sit eiusmodi religio aduersa Principibus, non feretur. Et merito propterea pulsati aliquando Epicuraci ab urbe⁴. nam dissoluebat ea secta prorsus administrationem imperii. ut haec erat administratio multa in religionibus et metu Deorum. Quin imo ab atheismo manifesto, et professo nihil multum distat Epicureismus. Ut doctissimi Hebraei scribunt, dictum Iudaeis Epicuracis, 'Negauerunt Dominum, et dixerunt, quia non est⁵.' Quod si uero religio Principibus non nocet subditorum aliena, Persis illis sumus improbi[ores], qui Danieli insidiabantur, si et nos alienae religionis professoribus molesti sumus: et cum iisdem dicimus Persis, 'Non sumus inuenturi contra istos occasionem ullam, nisi inueniamus de lege ipsorum⁶.' Id iniustum affirmamus. 'Bonus uir, Caius Seius, tantum quod Christianus⁷.' Sed omnisque (respondebunt) religionum diuersitas societatem quodam modo impedit. Ut unitas scilicet religionis facit, unitos homines esse. quod de suis Iudaeis scribit Philo⁸. Et Cicero, quod magistratus constituta religione, rempublicam maxime continent⁹. Et alii, quod ex ea diuersitate religionis, etiam et sectarum, exque distantia uitae atque morum, et odia sunt: atque ex odiis seditiones¹⁰. quo saepe malo ciuitates interire constat. Diuersitas religionis omnis dissoluit imperium. Ut censet Cardanus, et pertinaciter contendit modernus Politicus¹¹. Imo omnis non modo mutatio, sed etiam accessio, aut

¹ Dio lib. 52. c. 36. ² Guic. 13. 20. ³ c. 2. de iudic. c. 13. de haere.; P. Aem. 5; Nat. Co. 9.

⁴ Aelian. lib. 9. c. 12.

⁵ R. Moy. Aegy. 3. duc. dub. 18.

⁶ Daniel. 6. 5.

⁷ Tertul. Apo. 3.

⁸ Phil. de For. (p. 741).

⁹ Cic. 2. de Legi. 11.

¹⁰ Manut. de Legi.; Apul. de Philos. mor.

¹¹ Card. 3. de Sap.; Lips. Pol. lib. 4. c. 3.

deminutio in religione maxime traditur periculosa¹. cum nunquam fere (ut aiunt) mutetur religio, quin antiquorum Principum imperia excutiantur, nisi si Principes ipsi auctores fuerint cum populo nouae religionis, et duces mutationis. Et quidem sic, ut aiunt, res esse uidetur, perque magistram experientiam. Ecce, ait Procopius, 'Christiani solent de fide solertius 'disceptando, inter se altercari, et seditiones mouere².' Ecce sic prohibentur seuere legibus istae disceptationes³. Et addit his historicus alius, 'Si quando de fide oboritur controuersia, non modo parentes a liberis, et 'contra, sed etiam coniunx a marito suo, et uir a coniuge per seditionem 'dissentit⁴.' Is. id non euenisse in Iustiniano nostro, et in coniuge eius Theodora, miratur, sentientibus diuersa: uel credit ex compacto sic illos egisse. ut in rebusque aliis alios egisse, simulasse sic discordiam, scimus: qui imo concordēs, et coniunctissimi erant. Sed haec forsitan rariora. Ualentinianus, aut Gratianus, uterque laudatus Princeps, negat Ualenti, tanta sanguinis necessitudine coniuncto, auxilia, ob hanc diuersitatem religionis⁵: et adiecit, non esse aequum, aut pium, impio auxiliari, et cum Dei hoste, Arriano societatem inire. Et Iustinianus sic quoque Francos mouet pro se contra Gothos; quod isti itidem Arriani essent⁶. Et Longobardi legati idem a Iustiniano contendunt, ut ipsis is faueret, non Gepidīs Arrianis. Et ad Persas, alterius religionis uiros, a Iustiniano non desciscendum, hac potissimum ratione, quod qui uaria sentiunt, uersari simul non possunt, Colchus uir princeps monuit, et persuasit suis⁷. Atque dixit Iustinianus incredibile, uel uoluisse illos deficere ad homines diuersae religionis. Atque haec plura sunt. Quae sunt omnia in eam partem, ut uideri possit iusta Principis causa qui unam religionem uelit: adeoque defendat armis et bello in regno suo unam.

Mihi tamen placet disputatio Bodini, ut ui non sit utendum contra subditos, qui aliam amplectentur religionem. Sed semper sub hac exceptione sic dico, 'Nisi quid detrimenti illinc respublica capiat.' Sic Augustus fouissque

¹ Na. Co. lib. 2.² Procop 3. Goth.³ I. 3. C. sum trin. (1. 1); Ber. ep. 194.⁴ Nic. Call. 17. hist. 7.⁵ Zon.; Cedr.; Call. 11. hist. 49.⁶ Proc. Goth. 3. 4.⁷ Agath. 3. Goth. 12.

Iudaeorum synagogas narratur : quia non cae essent bacchanalia, aut conuenticula turbandae paci, at scholas uirtutum¹. Saepe quidem solent illiciti esse coetus sub pretextu religionis, et interdicens². Coitiones nec satis sunt tutae, et sunt uetitae semper³. Sed quum apparet, nihil fieri tale ex mala caussa, cessat lex quae prohibet⁴. Et sic Adrianus uoluit : sua coluit sacra, aliena contempsit⁵. Et sic est epistola Marci, uetans turbari Christianos nisi qui conuicti essent tentasse aliquid contra rempublicam, nec quidquam eis obiiceretur praeter religionem diuersam. Et sic Iudaeis seruaui priuilegia Alexander Seuerus : Christianos esse, passus est⁶. Etiam liberos esse Christianos, iussit Traianus antea de nostrorum isthac innocentia edoctus a Plinio. Non hodie Iudaei, Christiani, feruntur sub Turcico imperio publice? Turcae, Iudaei, Graeci, et synagogae Iudaeorum, et Ecclesiae Graecorum feruntur etiam sub Pontificis imperio Romani, Romae, Anconae. In templo Petri Romae Orientales, et Aethiopes suo more sacra facere soliti, et aliti sumtibus Pontificis⁷. Ipsi Lutherani etiam cum publico exercitio feruntur in principatibus fere omnibus qui in Germania sunt familiae Austriacae. Et diuersae religiones non a solis Lutheranis, quod ait Bellarminus, sed etiam a Catholicis, quod Bellarminus negat, feruntur⁸. Non cum una religione uiuunt in urbe Augusta, Ratisbona, Francofurto, aliis liberis Germaniae ciuitatibus. Sic Poloni, sic Heluetii, sic Rheti uiuunt. Et tu fallis nos, aut ipse falleris, Iuste Lipsi, qui negas, in uno principatu apud Germanos esse, nisi unam religionem⁹. Sane fertur nisi una a Principibus Lutheranis. Et hoc uere contra Bellarminum. Sed ab Austriacis fertur etiam Anabaptistica, non modo Hussitica, Lutherana. Adi in Morauiam, Bohemiam, Stiriam, Carinthiam, Carniolam, ipsam Austriam. Laudatur porro Constantini edictum, per quod poterat quisque uacare Deo secundum suam sectam, etiam ut ad alteram religionem transire posset¹⁰. Conuenissque id temporum tranquillitati, ut potestas unicuique esset pro eo, atque uellet, colere diuinum numen. Ualentianus hoc

¹ Phil. de Legat. (p. 1035). ² l. 2. de extr. cr. (D. 47. 11); l. 1 de colleg. (D. 48. 1).

³ Manut. pro Sex.; Asco. pro Corn. ⁴ Alc. 5. cons. 107. ⁵ Iust. Apol.; Spartia.; Call. 3. hist. 28.

⁶ Lampr.; Pli. ult. epist. 97, 98; Euseb. 3. 27. 33; Tert. Apol. 5. ⁷ Iou. lib. 18.

⁸ Bellar. 5. c. on. lib. 3. c. 19. et 18. ⁹ Lips. de Una Relig. ¹⁰ Zon.; Nic. Call. 7. hist. 41.

facto, quod inter religionum diuersitates steterit medius, et neminem adegerit ad suam, maxime claruisse memoratur¹. Etiam ais, Bellarmine, tres solos permisisse diuersas religiones, Iouinianum, qui reprehensus a synodo, Ualentem, qui Arrianus, Iulianum, quia apostata? Caeterum et respondetur, cessisse hos temporibus, quos aut ego dico, omnes: et diuersas ita permisisse religiones. Et sic clausisse templa idolorum postea Constantinum.

Ad id est, quod ego etiam disputo, proboque. Qui uelim, a Principibus curari ualde religionis unitatem. Sed et hoc, arma, et exercitus non comparari in ciuile bellum propter unam religionem. Nam, si puniendi sint haeretici, et qui hi sint, alia quaestio est: et non pertinet ad tractatum nostrum. 'Quicquid fuerit, id omne citra bellum esto.' Et meminerimus cum Augustino, haereses non semper tolli posse absque periculo reipublicae². Etiam Iuliani rationes non omnes sunt impiae, ferentis Christianam religionem cum sua ethnica³. Extant eius decreta et epistolae quibus contestatur, coactionem se nullam adhibiturum Christianis: quos nominat Galilaeos fere semper. Et quia opus sit, docere, non punire, amentes. Et quia illud sciebat, nihil ualere uim in his rebus, quae promptum, et uoluntarium iudicium desiderant, si debent esse perpetuae⁴. 'Religio sua cuique uidetur optima: ut quae non ratione, sed affectu diiudicetur a singulis, et a natura est indita:' inquit rex Agrippa Caio, an ipse Philo doctissimus⁵? Etiam in eo, quod sectas Iulianus in ipsa nostra religione passus est fuitque, ut sit discissa concideret per se, propositum quidem non laudes abominandum, sed cognoscis tamen, religiones diuersas tolerari in una republica posse. Et posse prudentem Principem omnibus recte et pacifice moderari. Feret malas ad tempus; coercebit, quantum poterit. ut sic Constantinus alias tulit, sed Christianis solis militiam, et reliquam rempublicam tribuebat, necdum puniens Ethnicos⁶. Sic Theodosius magnus, sic Zeno, sic alii. Sic ipse Ioas, alii probati reges⁷. Quid, quod alternis uicibus et diebus Christiani et gentiles Romae orarunt⁸? Et non necesse unquam fuit

¹ Amm. lib. 30. c. 9. ² Aug. 3. con. Parm. 2. ³ Amm. 22. c. 5; Eutr. 10. c. 8.

⁴ Nic. Call. 8. hist. 20.

⁵ Phil de Legat. (p. 1031).

⁶ Cedr.

⁷ 2 Reg. 12.

⁸ Oros. lib. 4. c. 17.

armis decertare. Sileat noster Politicus, qui dixit necesse, armis interdum decertare; dum suam religionem singuli aliis anteferre conantur: aut religio non sit religio, quae sic frigeret. Quid ais? Ego praecia et bella audio illic, ubi religioni alicui non datur locus. Illic non audio, ubi diuersis est locus religionibus. Imo religio non est (quod scio Cuiacium scribere, et est uerissimum) quae calet in caedes ciuium, et perniciem patriae. Aegyptii, si cum portentis illis religionum impetebant se bellis mutuis ex hac causa, (quod apud Trismegistum lego, et Dionem¹) an non tibi cum saturo habito portento? Nescis de Diodoro, non tuo, sed Siculo, uarias illas in Aegypto religiones huic fini inductas a rege, ut subditi dissiderent, et in Principem non conspirarent, dum alteri alteros oderant quasi impios²? Ne addam aliud, quod tentare ita patientiam Aegyptorum uoluerit rex ille Busiris³. At nos de Principe quaerimus qui legitimam praefecturam putet imperium⁴, qui non malit tyrannus esse, quam populi pater. qui non adeo uelit sibi, quam suis regnare. qui pacis, et amoris, non seditionum, et discordiarum auctor, et caput sit. Sed et specta homines Aegypti. Supra alios soliti ex scintilla minima ignes magnos accendere⁵. 'Sunt enim Aegyptii uiri ' uentosus, furibundi, iactantes, iniuriosi, atque adeo uani, liberi, nouarum rerum ' cupientes, et quibus praesentia semper cum enormi libertate displiceant⁶. Et addit Latinus historicus epistolam Adriani, in qua idem traditur, Aegyptum totam leuem, pendulam, et ad omnia famae momenta uolitantem, genus hominum seditiosissimum, uanissimum, iniuriosissimum. Et eadem alii attestantur, etiam ex Aegypto⁷. Haec illorum natura dicitur causa seditionum, et in rebus religionis. Sic 'Patriarcha, cum Aegyptum uenerit, ab aliis Sera- ' pidem adorare, ab aliis cogitur Christum.' Sic narratur, quemadmodum Aurelianus diuina praeceperit mente Saturnino, uiro Gallo, et Duci magno, ne unquam Aegyptum uideret. Cogitabat enim uir prudentissimus Gallo- rumque naturam inquietissimam. Et uerebatur, ne, si perturbidam uidisset prouinciam, quo eum natura ducebat, societate quoque hominum duceretur.

¹ Trism. de na. Deo.; Dio. lib. 42.⁴ Alex. Com. const. Bonifidii.⁶ Vopis. Satur. c. 1; Dio. 39. 42.² Diod. Sic. lib. 2.³ Isocr. Busir.⁵ Phil. Flac. (p. 967).⁷ Herodia. i. c. 53; Amm. 22. c. 16.

Hoc primum Augusto prouisum, et Tiberio, ne quis senator, id est, potens, et illustris uir Aegypto processet, aut etiam Aegyptum adiret¹. Sane uero et Gallis tribuunt mobilitatem et leuitatem ueteres omnes, et noui scriptores rerum, bellicososque eos esse, et ad bellum mobiliter, celeriterque excitari contestantur: et mentes ipsorum duras, ac retrogadas, et imperantibus graues². Quae itidem bellorum causa illic ab omni acuo semper. Nam religio his ultimis temporibus tantum praetextus. Quando sine bellis internis, aut externis Gallia fuit? Ante Caesaris aduentum (quae sunt nobis in tenebris tempora) fere quotannis accidere bella consueuissse, prodidit ipse Caesar³. Item ille apud Tacitum, 'Bella per Gallias semper fuere, donec in Romanorum ius concederent'⁴. Etiam tumultuum Galliae dicitur causa, magnatum et nobilium status: qui potentes ualde cum sint, et liberi, nec dent, si rex petat, aliquid, nec regi obediant, si quid imperet: regis magnitudini aut inuideant, si nihil det, aut sint damnosi, si dederit. conspirant potentes. irascuntur ambitiosi. et insoliti uidere magistratus, a ciuitatibus sepositi, quisque ruri cum suis familiis, discordiis, seditionibus, contentionibus necessario exagitantur⁵. Sic non est religio causa malorum Galliae. Sed hic mihi simile conficiendum foret opus, quale confecit Orosius. qui item calumnias refutaturus eorum, qui clamitabant, bella, et mala aduenisse orbi Romano, postquam religio illic Christiana fuit, imo mala et bella illic, et in orbe uniuerso fuisse semper, ostendit. Occurrerant alii aduersus calumniam⁶. Cyprianus a senio mundi esse haec ait, a peccatis hominum, ab aliis falsis religionibus, et a persecutionibus seruorum Dei. 'Non quia dii non coluntur, sed quia Deus non colitur. Lapidis coluntur. Deus solus non colitur, aut non impune,' ait Cyprianus. Ait aliud Augustinus. at refero ad tertium librum: ubi hoc idem est retractandum. Jam satis iudicatum de ueris causis, reiectum de praetextu. Atque si dicitur, bene uel praetextum hunc tolli seditionum: responderim ego, uerius inno occurrendum seditionum causis. nam praetextu uno aulso, non deficit alter.

¹ Tac. 2 Ann. 59. ² Polyb. 2. 3; Caes. 3 B. G. 20; Liu. 5. 7. 10; Lampr. Alex.; Pol. Gal.; Vopisc. Sat. 1; Scal. 3. po. 17. ³ Caes. 6. B. G. 14. ⁴ Tac. 4. Hist.

⁵ Card. Efcio. Nero.

⁶ Cypri. adu. Dem.

CAP. XI.

An subditi bellent contra principem ex causa religionis.

QUID uero si princeps mutare religionem subditis uelit omnino, aut antiquam receptam retinere? Et probatum mihi est, bellum non iustum a subditis esse in principem suum hic. Et multo minus, si nihil ipse subditis praescribat: at sibi aut mutat, aut retinet religionem. Quod enim sibi populus fieri nollet, et nos diximus, fieri populo non oportere, id a populo nec fiet, nec debet principi fieri. 'Unusquisque patienter ferat, si non extorqueatur imperatori, quod modeste ferret si ei extorquere cuperet 'imperator:' et cetera hac de re Ambrosius¹. Neque tamen exempla, aut rationes in contrarium desunt. Etenim si propter desertum cultum Dei a rege, mala populis contigisse, narrant libri sacri²: et, 'Quicquid delirant 'reges, plectuntur Achiui.' Quid non se defendant subditi contra principem? Et principem non cogent in cultum diuini numinis? Etiam, 'si 'quis de populo deuiat, solus perit: uerum Principis error multos inuoluit; 'et tantis obest, quantis praeest.' quod Princeps ad Principem scribit, dicente Bernardo³. Cicero autem elegantius: 'Nec tantum mali est peccare 'Principes, quantum illud, quod permulti etiam imitatores Principum ex- 'istunt,' etc.⁴ Bulgari contra regem suum armantur, qui factus Christianus fuisset⁵. Adiabenorum satrapae petunt, regi suo a Persis inferri bellum: quia factus Iudaeus, patriam religionem deseruerit⁶. Quid narrem maledicta in Alexium Comnenum⁷? Et seditiosas uoces olim in Francum regem? qui descuerint a recepta religione: et minus pii erga Deum nisi subditis sunt⁸. Uiden' Francisci praesentia bella, hoc eodem modo commota a multis Galliae et ciuitatibus et nobilibus aduersus hunc Henricum quartum, quem tandem et uident suae religionis? Romanus exercitus obsequentior Iouiniano, recusanti delatum imperium, quoniam

¹ Ambr. epist. 54.² 2 Chr. 28.³ Bern. epist. 127.⁴ Cic. 3. de Legib. 14.⁵ Zon. 16. c. 2; Cedr.⁶ Zon.⁷ Niceta (p. 232 B).⁸ P. Aem. lib. 5.

Christianus ipse uir imperare pagano exercitui non posset. nam professi nomen Christi sunt milites, et amplexi Christianam religionem: atque imperium Iouiniano adfirmarunt¹. Persae Saraceni contra non detulerunt imperium in se Turcis, quin hi prius ad religionem eorum non accederent, ut ita mihi scribit Onuphrius Panuinus, eruditissimus uir; 'Saraceni his 'condicionibus imperii summam Turcis reliquerunt, ut Mahumeti sectam, 'relicta idololatria susciperent, Saraccenorumque sacris initiarentur. quod 'a gente barbara. et dominandi audissima haud difficulter impetratum 'est².' Sed haec ego non agnosco. Et illud puto memorabile, quod recitat Suida, aliquem mutasse religionem, ut regi placeret: et a rege plexum capite statim, elogio addito; 'Si Deo fidem non seruasti, quomodo erga 'homines sanam conscientiam retineres?' Ego iustum non puto, ut subditus supremum hic cogat magistratum. Deus potest cogere: qui supremus superest. Neque uerum est, 'plecti populum propter haec peccata 'regum, sed propter sua.' Et sic sacra Biblia, 'Eo quod reliquissent Deum 'maiorum suorum,' de ipso aiunt afflicto populo, postquam de Achazo rege idem dixissent. Et Tertullianus, quem sequor, nec probat, obsisti principi statutentique de religione subditis, audi, 'cui bello non idonei, non prompti 'fuissemus etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur? Sed de- 'esset nobis uis numerorum, et copiarum? Sed absit, ut igni humano uin- 'dicetur diuina secta³.' De quo et Cyprianus hausit, discipulus Tertulliani studiosissimus et assiduus lector⁴. Et hunc audi, 'Quamuis nimius et 'copiosus noster populus, non tamen aduersus uolentiam se ulciscitur, 'patitur,' etc.⁵ Nec sunt aptae personae subditorum hic. Atque de uere subditis accipi definitionem admoneo, non de his qui principem omnis potestatis non habent. ut Imperatorem Germani ita non habent. non Spartani olim habuerunt reges suos. non reges suos temporibus uetustis Aegyptii⁶. De priuatis prorsus hominibus definitio est: qui nihil re ipsa retinent publici. Nihil est enim retinere tantum nomine tenus. ut retinent scilicet ciuitates omnes, et honorarii multi alicubi, ueluti in Anglia,

¹ Zon.; Cedr.; Call. 10. hist. 38.⁴ Hier. de Script. Ec. Tert.² Panui. de Imp. Ro.⁵ Cypr. ad Demetr.³ Tert. Apol. 37.⁶ Diod. lib. 2.

Marchiones, Comites, Barones, qui non plus habent in Marchiis, et Comitibus iurisdictionis et imperii, quam de populo alius¹. 'Liberæ' quæ appellantur 'ciuitates Germaniæ,' illæ sunt, quæ præstationibus quibusdam, ut plurimum pecuniariis, obstrictæ Imperatori, de reliquo regunt se ipsas penitus². Atque ita in proposito certa regula uideri potest, ut si qui re ipsa retinent publicam rationem et speciem, hi subditi sint in quibusdam: aut de caetero subditi, hi in quibusdam sint nec subditi. Et in priori casu, nisi religio excepta ostenditur, omnino nec obtinet definitio de cedendo magistratui summo. posteriore, itidem nisi religio excepta ostenditur, defendetur forte definitio, ut magistratui cedendum sit. Nam ratio utriusque conclusionis uidetur, quod exceptio statuatur regulam in non exceptis. 'Obstrictio in quibusdam uidetur a caeteris liberare,' ut apte hic dictum est³. Et locus subiectus certis pactis et conditionibus, in caeteris manet liber⁴. Et qui se subiecit in quibusdam, uidetur se seruasse in reliquis liberum⁵. Sed est tamen infirmior secunda collectio. Quoniam ut exceptio statuatur regulam in omnibus non exceptis: non tamen uerum est, ut sub regulam concludatur, quod alias conclusum non foret⁶. Atque religionis causam non esse conclusam, uerius fuerit, quia in omni subiectione et omni iuriurando creditur semper a supremi Principis auctoritas reseruata et salua, itaque et cultus diuini ratio⁷. 'Estote subditi potestatibus,' inquit Apostolus, quod nemo tamen non sic intelligit, nisi si quid illæ præcipiant alienum a cultu Dei⁸. Et Canonicum ius igitur non ualeat hic, quod de Augustino dicit, 'Pactum societatis humanæ generale, regibus 'obedire:' sed magis quod affert de Gregorio, admonendos subditos, ne, plus quam expedit, sint subiecti. Et id genus alia plurima, et de Augustino, et de aliis⁹. Et ergo de religione sensum nihil esse existimaueris, sermone utcunque generali, quo non id continetur, quod qui loquitur nunquam expressisset, aut pollicitus fuisset¹⁰. Et tale est negotium religionis, quod Deo, non Caesari adprobare oportet, in quo 'oportet Deo magis, quam 'hominibus obedire'¹¹. Quinimo si religionis causa expressaque fuisset,

¹ Dec. 3. cons. 19; Ceph. 615. ² Guic. 7; Al. l. 3. de u. S. (D. 50. 16). ³ Bal. 5. cons. 409; Dec. 152. Castald. de Imp. 159. ⁴ Rom. cons. 444. ⁵ Panorm. c. nostra, de sepult.

⁷ l. ult. de in ius uoc. (D. 2. 4) ubi Ias. et alii. ⁸ Rom. 13; Dec. serm. post cons. 151.

⁹ c. 2. dist. 8; c. 51 et seqq. 11. q. 3. ¹⁰ l. 6. de pign. (D. 20. 1); Ceph. cons. 642. ¹¹ Act. 5. 29.

subditi isti non prorsus subditi conuentis stare non tenerentur, si religionem aliam meliorem uiderent, et crederent. Nam receptum est, nec iuramenta ualere quae non habent illos comites tres, 'iustitiam, et iudicium, et ueritatem'.¹ Quibus omnibus hic destituimur liquido: ubi falsam religionem probauimus ignari, et tenere spondimus. Audis, 'Quae ad fidem pertinent, ea non seruare interdum est iustum'.² Et a temerario atque inconsulto iureiurando recedere, non est periurium, sed officium, etc.³ Et ita igitur censeo, ut qui subditus priuatusque non est, is se defendere contra principem in ista caussa religionis etiam per bellum possit. Qui subditus simul et priuatus non est, is ultimo loco, et pro remedio ultimo potest se in aliis caussis bello tueri⁴. ut, quem non iuuat ratio propter potentiam domini, arma cum defendant. cum id genus aliis. quae sic definiunt, quod quaesitum et indefinitum relictum alibi a Baldo est⁵. Defensio iusta contra omnes est, nec debet ullum patrono honorem⁶. Priuatus qui homo est, nihil istorum potest. Sed ex Christi iussu fugere tantum habet⁷. Durum spoliari patria, fortunis. At Christi iussus hic est. Lex etsi dura hominis, ea seruanda est tamen⁸. Et tamen uidentum hic quoque est, si ex priuato in publicum itum sit. quod quando possit uideri, crit alicubi postea adnotatum.

CAP. XII.

Utrum sint caussae naturales belli faciendi.

SEQUITUR de naturalibus belli causis. Atque bellum a natura uidetur, si a primis elementis ad homines usque descendendo naturam rerum intuearis. Ecce etenim nobis bellum elementorum, per quod mori in dies mundum, et nasci, philosophi dicunt⁹. quodque etiam (inuito Lucretio) pium dicunt,

'—cum maxima mundi,

'Pugnent membra, pio nequaquam concita bello'¹⁰

¹ c. 2. 2. q. 2. ² Cic. 1. de Off. 10. ³ l. ult. qui sa. co. (D. 2. 8) et can. 22. q. 4.

⁴ Bal. 3. cons. 371. 371.

⁵ Bal. 1. cons. 326.

⁶ l. 10. 14. de in ius uoc. (D. 2. 4).

⁷ Matth. 10. 23.

⁸ l. 12. qui et à qui. (D. 40. 9).

⁹ Arist. de Mu.; Phil. quod mu. sit im.

¹⁰ Lucr. lib. 5. 381.

Et hoc bellum adumbraverit Homerus, dum in Troiae campis non solum Troianorum et Graecorum pugnas, sed et aquarum, et flammaram pingit¹. Et de hoc Empedocles et Heraclitus disseruerunt: censentes, bellum esse omnium parentem. itaque amici pacis non fuisse iudicati sunt a uulgo². 'Non uides,' inquit Seneca, 'quam contraria inter se elementa sint? grauiam et leuia sunt: frigida et calida: humida et sicca. tota huius mundi concordia ex discordibus constat³.' Et haec eadem alii⁴. Et ecce quoque rerum aliarum, animae expertium et animantium, omnium multiplex repugnantia, ut sic Plinius effert, quam dicunt Graeci antipathiam⁵.

Sed ecce naturale, ut dissentiant homines: et hinc bella⁶. Et ecce Graccos a barbaris alienos: Hebraeos a mortalibus reliquis⁷. Audi Philippum Macedoniae regem, 'Cum alienigenis et barbaris aeternum omnibus Graecis bellum est. eritque: natura enim, quae perpetua est, non mutabilibus in diem caussis, hostes sunt⁸.' Sic Plato ait, a natura Graecis bellum cum barbaris⁹. Audi Isocratem, 'Barbari natura nobis hostes: et perpetuo insidiantur. Et nos natura sic illos odimus, ut nullis fabulis magis gaudeamus, ac Troianis, et Persicis, e quibus clades eorum intelligamus.' Audi Hecubam apud Euripidem, 'Nunquam amicum barbarum genus fiet Graecis.' Atque tu Graccorum nomen nunc intellige non nationis, sed rationis, ut ipse idem dicebat Isocrates. Qui enim ratione praediti sunt humana, hi Graeci sunt: et a barbaris, hoc est ab hominibus agrestibus et ferarum mentem gerentibus, mirifice dissident. 'An tu maiores ulla inimicitias putas esse, quam contrarias hominum sententias, ac dissimilitudines studiorum, et uoluntatum¹⁰?' Omnis sapiens omni stulto perpetuus hostis¹¹, sic non natura distinxerit (esto) inter amicum, et hostem: at mores distinxerunt: qui altera natura sunt¹². Et ad haec Aristoteles dicit, natura imo factos barbaros ad seruiendum: itaque et iustum bellum contra eos esse, et quasi uenationem contra feras¹³. Uenatio bellum est¹⁴. Palestinos porro naturales hostes Iudaeis legimus¹⁵. Et Saracenos naturaliter hostes

¹ Ma. Tyr. 16. ² Plu. Dem. et de In. An. 4; Apul. de mu.; Lucia. Ica. ³ Sen. ult. Na. Q. c. 27.

⁴ Cl. Ale. Str. 1.

⁵ Plin. 32. c. 2.

⁶ Bal. 5. de iust. (D. 1. 1).

⁷ Tac. 5. Hist. 5.

⁸ Liu. lib. 31. c. 29. ⁹ Isocr. Pana. conf. 3; Pla. 5. de Rep. (p. 470). ¹⁰ Cic. Verr. 2. 3, 3; Apul. de Phil.

¹¹ Phi. de Cons.

¹² Dio. 41.

¹³ Arist. 1. Polit. 7. 5.

¹⁴ Xen. 8. Cyro. 1.

¹⁵ Iose. 5. Ant.

Christianorum¹. Natura hostes nationes externas Romanis, Sallustius ait in oratione ad Caesarem de republica ordinanda. Sed et illud audimus, a natura omnibus esse, bellum gerere: et itaque Cretenses omnia ad bellum in republica sua constituisse². Ceterum haec ego vera non puto. Imo enim natura sumus cognati omnes³. At uitium hoc est generis humani, ut dissensiones sint, quod iniquis, et indomitum, semper in certamine libertatis, aut gloriae, aut dominationis agit⁴, quae Salustius. Et neque caussa astrorum (ut de his alibi legitur⁵) siue decursus, siue rotatio, uel fatum etiam, sed cupiditas et iniustitia hominum⁶, quod Agathias, summae scriptor auctoritatis⁷. Et itaque hominibus cum hominibus non est repugnancia per naturam. Sed neque antipathia est inter animalia eiusdem speciei. Igitur nec sit inter homines. 'Canis caninam non est'⁸. Diabolus diabolos non uexat⁹. solus olor olorem est, et apes aliquando praeliantur, atque alia pauca animalia speciei eiusdem inter se dissident. Et nec ista aliter tamen, quam si ita tulerit res. ut notat Aristoteles. Qui et hoc notat, ritum sic esse hominum, ut inter se sint infesti, si res tulerit. Quae alia causa est, non naturae. Amicitiae, atque inimicitiae in belluis uictus, uitaeque ratione existunt. Sic et efferratissima degunt collegio: etiam ferocissimus leo pastus et fame uacans, facilis mitisque cum suis est. Etiam quae diuersae speciei sunt, si abunde sit cibarii, in pace agunt. Alioqui et suos pullos expellunt: ut aquilae quarum paria singula tenent propterea longum tractum: neque ullo pacto patiuntur uicinos.

Si abunde non est gloriae, dominationis cupiditati hominum sine fundo, hoc non naturae ius, sed est uitium. Nunc Graecorum illa partitio et superba erat, et Graecis ipsis damnata¹⁰, et nec satis antiqua¹¹. Sed et Hebraei damnati sunt alii, quod se ipsos partem hominum duxerunt, et a reliquis se sciunxerunt¹². Sane hae naturae nec Graecis, nec Hebraeis esse debuerunt ad hostilitatem cum reliquis. Ut de hac nos quaerimus in praesentia. Populus alioqui Dei rectissime ab omni gente distinguebatur

¹ Alc. 7. cons. 5. ² Aelia. de Instr. Ac. ³ 1. 3. de iust. (D. 1. 1). ⁴ Prisc. lib. 5.

⁶ Agat. 1. Goth. 1. ⁶ Arnob. 1. Co. Ge. ⁷ Bod. ult. de Rep. 5.

⁸ Arist. 9. Hist. 1. 2. 18. 22. 24. 40. 44. ⁹ Bertach. s. u. Iudaei, (p. 129).

¹⁰ Pla. Polit. (p. 262).

¹¹ Thuc. 1. c. 3.

¹² 37. Dio. 17.

unus. 'Et inter Babylonem et Hierusalem nulla pax est. sed guerra 'continua:' ut Bernardus ait¹. Si uere caussae essent a natura. omnino iustum et bellum ex ipsis esset. Sed non sunt huiusmodi caussae. Natura homines inter se inimici non sunt². Sed actiones, et mores, siue similes siue dissimiles, in concordiam uel discordiam nos inducunt. Dicunt, neque amicos natura. quam partem ego non sequor. Nec igitur iuste Hispani aut hanc caussam, aut illam religionis obtenderunt bello Indico³. non barbari contra Graecos. non Graeci contra barbaros. Nisi quia et Graecis et barbaris tum receptum praeterea ut hostes essent. Quae alia caussa est. Et forte tamen a natura non longe est. nam ab educatione est, quae altera natura est.

Atque ita haec sunt. Et dixit ergo Pomponius, non eam gentem esse nobis hostem. cum qua neque amicitiam. neque hospitium, neque foedus amicitiae caussa factum habemus⁴. Hic tamen aliquid praeterea dicit, quod contrarium his sit: 'hi hostes quidem non sunt,' ait: 'quod autem ex nostro 'ad eos peruenit, illorum fit: et liber homo noster, ab eis captus, seruus fit 'et eorum. idemque est si ab illis ad nos aliquid perueniat. hoc quoque 'igitur casu postliminium datum est.' Imo stare haec simul qui possunt, ut hostes non sint, et sit tamen seruitus, et postliminium? Adde quod scribit Proculus, 'Non dubito, quin foederati et liberi nobis externi sint, 'non inter nos atque eos postliminium esse. etenim quid inter nos 'atque eos postliminio opus est, cum et illi apud nos et libertatem 'suam et dominium rerum suarum aeque atque apud se retineant, et 'eadem nobis apud eos contingant⁵.' Sane autem non una tentatur uia, ut isti iurisconsulti non pugnantia dixisse uideantur⁶. Et Cuiacius eo tandem deuenit, ut dicat, dissensisse iurisconsultos⁷. Ego malim considerare foedera dupliciter. uno modo si sic contrahitur cum gente aliqua externa, ut bellum cum ea non sit, aut ut finiatu si quod nunc est: nihil praeterea adiectum est, non praeterea contentum de amicitia est. altero modo quum praeterea et amicitia contracta est. Et hoc posteriore casu locutus sit Proculus. Et exempla occurrunt passim. In priore

¹ Ber. 2 Parab. 1. ² Demosth. adu. Aristoc.; Proc. 2. Vand. ³ Vict. Relect. 4.

⁴ l. 5. de Capt. (D. 49. 15). ⁵ l. 7. de Capt. ⁶ Cuiac. 11. Obs. 23. ⁷ Cuiac. 2. Obs. 23.

uero loquatur Pomponius. quod et uerba ipsius ostendunt, 'neque foedus 'amicitiae causa factum habemus.' Scilicet non sit satis, foedus factum nisi et sit factum amicitiae causa. Et ita cum Pomponio accipe illa apud Festum, 'Cum populis liberis, et confederatis,' non tamen amicitiae causa, 'et cum regibus, postlininium nobis est, uti cum hostibus.' Atque huius confederationis, quae habet tantum cessationem armorum, exempla hodie nobis cum Turcis sunt. Sic domui Austriacae et aliis, ut bella desinerent, et publica quaedam esset pax, et cessatio ab armis illis iustis, id est bellicis. ceterum si qui Turca ad nos peruenisset, aut inter depopulandum captus fuisset, is seruus sit. Et contra, si Christianus ad illos peruenisset. Et sic impetrari fides publica securitatis utrinque solet. Si qui nostrum ingredi eorum fines, aut aliquis eorum ingredi nostros uelit, exempla olim extitisse non dubito Romanis cum Germanis, et Parthis, et Lusitanis. Quia uero illud Proculi solenne erat: ideoque generale caput initiis foederum apponi consueuerat, AMICITIA ESTO: propterea Proculus nec expressit ad foederatos¹. At Pomponius, ne uerba sua de foedere solenni caperentur, id de non amicitia exprimere habuit. Uidelicet et sic sine amicitia essent aliquando foedera, aut cur sic dicere uoluisset iurisconsultus? Et de iurisconsultis his hactenus. De re ipsa sic respondendum uidetur, esse a ratione remotum, ut in publica pace sit priuatis iniuriis locus. Et quidem barbaricam feritatem dicunt leges, et iniuriam, ut citra bellum quis seruus fiat². Et itaque non receptum postea sit ius (ut Bodinus tradit) propter illam quae homini cum homine intercedit humanitatis rationem³. Quod tamen de non recepto iure non uideo. Sed id est quod quacrimus, ut a natura bellum esse nullum sentiamus. Et est fere a natura tamen nobis cum Turcis, ut Graecis cum barbaris fuit. Cum Saracenis (hi Turcae) bellum nobis irreconciliabile⁴. cum aliis externis sunt etiam commercia: certe non est bellum. Non est bellum propter religionem, non a natura, cum aliis et neque cum Turcis. Sed est cum Turcis bellum: quia illi ferunt se nobis hostes, et nobis insidiantur. nobis imminent. nostra rapiunt per omnem perfidiam, quum possunt, semper. Sic iusta semper causa belli

¹ Briss. 4. de Form. ² l. ull. C. de post. (8. 51); l. 19 D. de capt. (D. 45. 15). ³ Bod. 1. de Rep. 7.

⁴ Alex. 7. cons. 130; Cuiac. c. 21. de Testi.

aduersus Turcas. Non eis frangenda fides est: non. non inferendum bellum quiescentibus, pacem colentibus, in nos nihil molientibus: non. Sed quando sic agunt Turcae? Silete theologi in munere alieno.

CAP. XIII.

De necessaria defensione.

QUAMQUAM autem dico, causam a natura nullam belli existere: sunt causae tamen, propter quas natura duce bella suscipimus. Ut est causa defensionis¹. Et quum bellum suscipitur, quia aliquid negetur dari quod ipsa tribuit natura. Et itaque, quia ius naturae uiolatur, bellum suscipitur. Sed defensionem dicemus aliam necessariam, aliam utilem, aliam honestam: omnem tamen existimauerimus necessariam. 'Qui se defendit, dicitur necessitatus².' Nec distingui uult Baldus, siue se, sua, suos defendat, siue prope, siue posita longe. Necessaria defensio eius est, et factum ad necessariam defensionem. contra quem ueniat armatus inimicus: et eius, contra quem inimicus se parabat³. Et huic deberi auxilium per foedus, docet idem Baldus uere: quem alii etiam probant⁴. Hoc susceptum dicemus bellum contra Mithridatem olim: et contra maximos apparatus eius⁵. Neque enim expectare sapientes oportuisse, dum ille hostem professus se esset: at in facta illius respici, quam in uerba magis. Sic, necessitatem dum dicimus, proprie quidem non loquimur, at eam intelligimus, quae in rebus humanis non rara est, et dici necessitas consueuit: quae potest nec necessitas illa uera, praecisa esse. Ecce Tusculani intransibilibus hostiliter fines suos Romanis, pacata omnia, et pacifica praebent, et portas urbis patentem, et cuncta amica: et, se quiduis uelle potius quam bellum, declarant⁶. Qua patientia pacem ilico, nec multo post etiam ciuitatem impetrauerunt. Et easdem artes tenuit Amalassuntha, Gothorum regina: quae legatis Iustiniani, bellum minitantibus, responderit, nolle armis contendere: et eum, qui certamen non altero aduersante inierit, haudquaquam referre

¹ Cle. 2. de sent.² Bal. 3. cons. 458. et 5. cons. 405.³ Clar. § Homicidium 33.Bal. ad d. l. 32. loc.; Ias. Dec. l. ut uim. (D. I. 2. 3). ⁴ App. Mithr. ⁵ Liu. lib. 6. c. 25.

decentem uictoriam¹. Scilicet iniquissima est conflictatio, ubi parte altera agente patitur tantum altera². Et idem a legatis Gepidarum dictum, quod qui stare aliorum sententiae student, hi uiolari non sine iniuria possint³. At haec non pertinent ad iustitiam. Nam iusta est defensio, et caedes, etsi fugere occidens possit absque periculo, et ita se seruare. Et siue occisor iste, qui se defendit, eius sit condicionis cui sit et dedecus fugere, siue dedecus non sit. Quae receptae sententiae in caussis sunt priuatorum⁴. Et mihi in publicis multo magis probantur. Defensio etiam brutis ius est naturae⁵: non opinione nobis, sed innata quadam ui, persuasum et constitutum⁶. Et necessarium ius est, nam quid est quod contra uim (ait Cicero) fieri sine ui possit? Hoc super omnia iura est probatissimum. Uim ui repellere, omnes leges, et omnia iura permittunt⁷. Lex una, et perpetua, salutem omni ratione defendere⁸. ‘Omnis est honesta ratio expediendae salutis. hoc ratio doctis, necessitas barbaris, mos gentibus, feris natura ipsa praescipit. Et haec non scripta, sed nata lex.’⁹ Cum id genus aliis. Hic tamen de modo et ratione defensionis non dico, quod pertinet ad sequentes libros. Res etiam ut nostras defendamus, necessaria (quod et diximus) defensio haec est¹⁰. Et iusta haec causa, etiam si bello petiti bellum promeriti nos essemus. Quae alii, et Paulus Castrensis docere. Atque sequor ego. Et illam addo rationem, quoniam ius siue uis belli non finitur consecutione prius expetitorum, at pro uictoris arbitrio ambulat. ‘Quis tantundem contentus reponere uindictae, quantum accepit iniuriae?’ ait Augustinus, et sciunt omnes¹¹. Hoc uero arbitrium refugere omnes non subditi possunt iuste. Et ergo se aduersum armis defendere. Testes, iudices repelluntur inimici: etsi caussam inimicitiae dederint hi contra quos nunc agitur. Exceptio, quod ipse fuerit causa inimicitiae, non obstat petenti, caueri sibi, non offensum iri¹². ‘Arma tenenti omnia dat, qui iusta negat:’ dicebat Caesar¹³. Nec de moderamine hic illo quaeritur inculpato, ubi nec est

¹ Procop. 1. Goth. 3. ² Phi. de Prin. (p. 729). ³ Procop. 3. Goth. 34. ⁴ Clar. § Homicidium 32.

⁵ l. 3. de iust. (D. 1. 1); l. 4. ad le. Aq. (D. 9. 2); Ceph. cons. 721.

⁶ Cic. 2. Inu. 22.

⁷ c. 3. de sent. exc.; c. 18. de homicid.

⁸ Ammia. 23.

⁹ Cic. pro Milo. 6.

¹⁰ Castr. l. 5. de iust. (D. 1. 1).

¹¹ Aug. 19. cont. Fau. 25.

¹² Rip. rub. de da. inf.

¹³ Couar. Reg. Peccatum, p. 2. § 9.

superior. Haec itaque fugiuntur. Et itaque recta mihi Romuli dicitur causa, qui aduersus ingruentes Sabinos bello se defendit. etsi quoque dederit ipse caussam bello, et offensionem, dum mulieres sine more rapuit. Qua de re et disputo late in secundo libro de armis Romanis. 'Uis necessitatis tanta est, prementibus armis, ut quae iniusta sunt, iustissima uideantur,' bene Bodinus¹. 'Iustum bellum, quibus necessarium: et pia arma, quibus nulla nisi in armis relinquitur spes'². Ab omni uide licet lege necessitas extrema exempta est³. Et tamen ad istam extremam necessitatem non cogo praesentem definitionem. aut extremam capio (ut dixi) pro condicione rerum hominum. Esto enim nec sit necessitas, quae non necessitas esse potest. potuerit bellum uitare Romulus, raptas reddendo. at tamen defendere se etiam potuit aduersus hostes mox aduentantes⁴. Non mihi mora est in ista definitione. Nam illa est quaestio spectans ad ciues, si, qui offendi bannitus impune potest, is defendere se possit tamen⁵.

CAP. XIV.

De utili defensione.

UTILEM dico defensionem, quum mouemus nos bellum, uerentes, ne ipsi bello petamur. Non celerius quisquam opprimitur, quam qui nihil timet. et frequentissimum est initium calamitatis securitas⁶. Hoc primum. Deinde expectare non debemus praesentem uim, si futurae occurrimus tutius. 'Maior spes, maiorque animus inferentis uim, quam arcentis.' et rursus, 'Plus animi inferenti periculum, quam propulsanti:' Liuius⁷. Et Uegetius, 'Si semel hostis praecuerit, metu uniuersa turbantur'⁸. Oportet igitur, (quod Nicephorus, non contemnendae auctoritatis historicus) qui citra periculum uelint uiuere, eos occurrere impendentibus malis, et anteuertere. nec esse cunctandum, aut expectandum, ut acceptam iniuriam cum periculo ulciscaris, si in praesentia crescentis plantae radicem praecidere possis, et

¹ Bod. 5. de Rep. 5. ² Liu. lib. 9. c. 1. ³ c. 23. de U. S. (D. 50. 16). ⁴ Tert. de Cast. 11.

⁵ Castr. l. 1. de iust. (D. 1. 1). ⁶ Pater. lib. 2. c. 118. ⁷ Liu. lib. 21. c. 44. lib. 28. c. 44.

⁸ Veget. lib. 3.

aduersarii male cogitantis conatus opprimere¹. Et Suida, imo Demosthenes, non esse cunctandum, sed bellum urgendum, ne priores affecti iniuriis uim propulsare cogamur². Hoc (ut Latinus Demosthenes ait, Cicero) dedecus quoque, ut si possis praecuenire futuris, uelis praesentibus opitulari malis³. Etiam rudis ille adolescens, (sic natura ipsa ius hoc praescribit) 'Malo ego, nos prospicere, quam ego hunc ulcisci accepta 'iniuria'.' Philo autem bellissime, quod serpentem occidimus ad primum aspectum statim: etsi ille nos non laesit; nec laedet fortassis. ita enim nobis praecauemus, prius quam se commoueat⁵.

Num tibi sum nimius in istis nominandis auctoribus: qui nec auctores nostri sunt? Sed uariorum, atque multorum auctorum consensus ratio magna est. etiam cum auctoritate cuiusque rationem semper audimus aliquam. etiam auctores isti hic sunt maxime nostri: harum rerum, quas tractamus, peritiores. Etiam Cicero eximius fuit iurista: ut ait Baldus, et eum allegat. summus non solum fuit orator, sed etiam iurisconsultus: ut inquit Duarenus⁶. Aut quisquam ne est, qui ignoret? Illud est forte uerendum magis, ne apertam aperire rem, certam frustra confirmare uelim. Neque omitto tamen, quae prouerbiorum quasi locum tenent: adeoque multum probant, quod significant: 'Uenienti occurrit morbo.' 'Principiis obsta: sero medicina paratur. Neglecta solent incendia sumere uires⁷.' Ecce deque auctoribus iuris. 'Melius est, intacta iura seruare, quam post quaerere medicinam. Melius est occurrere in tempore, quam post exitum uindicare⁸.' Praecuenire licet. Parantem offendere offendo licite, et id genus reliqua. quae magis ad humanitatem definita dicuntur, et iudiciis comprobata⁹. Nemo exponere debet se periculo¹⁰. Nemo expectare debet, se percuti, nisi sit fatuus. Obuiam offensionem cundum non modo quae est in actu, sed ei quoque, quae est in potentia ad actum. Uim uero repellendam, ac propulsandam: adeoque non expectandam: in qua etiam expectatione et sunt alia supra dicta certa incommoda, et id quod in causis traditur priuatorum, ne forte

¹ Niceph. lib. 5. ² Dem. 1. adu. Aristoc. ³ Dio. lib. 45. c. 36. ⁴ Ter. 4. Eun. 6. l. 24.

⁵ Phil. de Sp. Le. ⁶ Bal. l. 1. de iust. (D. 1. 1); Duar. l. 1. de pact. (D. 2. 14).

⁷ Pers. 3. Sat. 64; Oui. Rem. Am. 17; Hor. 1. Ep. 18. 86.

⁸ C. lib. 2. tit. 41. l. 1. ul.; lib. 3. tit. 27. l. 1; lib. 9. tit. 16. l. 4. ⁹ Bal. 4. cons. 13; Ias. l. 3. de iust. (D. 1. 1).

¹⁰ Bal. 1. cons. 369. 4. 312; Alex. 2. 144; Cla. § Homicidium; Zas. l. ut uim. (D. 1. 2, 3).

primum ferendo ictum, concidamus; ne aut fugiendo cedamus, et opprimamur iacentes. Sed nec fugere est uim repellere. Itaque ratio a uerbis, itaque sumta a rebus ipsis sic est. Et haec quoque illi nostri. Quae clara, et explorata, et bellicis tractationibus multo aptissima.

Quod sequitur: habet dubitationem. quando res eo uenisse uidetur, ut iam sit ad utilem istam defensionem procurrendum. Iusta causa metus requiritur: suspicio non est satis¹. Iustus autem metus definitur timor maioris malitatis: quique merito in homine constantissimo cadat². Ego tamen in magna hac causa imperiorum non facile definitionibus istis nunc adquiesco priuatorum negotiorum. Nam si quid priuatus in priuatum admiserit, id mox restitui uere non sit, sed causa tantum timoris iusta. Non etiam (quod est apud Euripidem⁴) quum quis metuit, quum non conuenit. Alioqui quis est qui prohibere possit, quominus quis umbram horreat suam? Sic audio Ciceronem, 'Non quaero, fueritne aliquid pertimescendum. puto, arbitrio suo quemque timere oportere⁵.' Sic illa Marii ad Ciceronem, hoc etiam seruis semper fuisse liberum, suo potius quam alieno timerent arbitrio. Etiam quod ait lex, aptes hic. Non praescribendum, cur quis metuat⁶. Illa sic sunt Ciceronis, 'De tantis periculis cum quaererem omnia, multa audirem, non crederem omnia, cauerem omnia.' Quod et Seneca, 'Cum magna horreas, quae posse fieri non putas, metuas tamen⁷.' Scilicet id hic est admittendum, quod de maiori malitate est. Et de quo post dicemus. At

¹ Dec. cons. 603. ² l. 5. 6. quod met. cau. (D. 4. 2). ³ de damn. inf. (D. 39. 2) et. l. 27. loc.

⁴ Eur. Troa.

⁵ Cic. pro Do. c. 4; pro Syl. et 11. Fam. 28.

⁶ l. 4. ad Tre. (D. 36. 1).

⁷ Sen. 1. Oed. l. 26.

de praecueniendo sunt apud Gellium notabilia, 'In omnibus rebus cauendis
 ' non eadem caussa; neque humanae uitae negotia, et actiones, et officia,
 ' el occupandi, uel differendi, uel ulciscendi, uel cauendi. Gladiatori,
 ' composito ad pugnandum, pugnae haec proposita fors est, aut occidere,
 ' si occupauerit; aut occumbere, si cessauerit. Hominum autem uita non
 ' tam iniquis neque tam indomitis necessitatibus circumscripta est, ut
 ' idcirco prior iniuriam facere debeas, quam, nisi feceris, pati possis¹.' Et
 Cicero, 'Quis hoc statuit umquam, aut cui concedi sine summo omnium
 ' periculo potest, ut cum iure potuerit occidere, a quo metuisse se dicat, ne
 ' ipse posterius occideretur²?' Sed recte tamen Mitilenci contra Athenien-
 ses, 'Si cui uidemur iniurii, quod priores defecimus, non praestolantes, dum
 ' plane cognosceremus si quid illi nocerent, is non recte considerat: nam si
 ' ex aequo ualuissimus, et tendere illis insidias uicissim, et cunctari potuis-
 ' semus tuto, tum ille diceret uerum. at cum penes eos semper sit facultas
 ' nocendi: penes nos hoc decuit esse, ut defensionem anticiparemus³.'
 Quid rursum postulamus Bartolos, Baldos: quorum aut nudis nominibus
 adquiesceremus? Et defensionem Reipublicae nobilissimae, imo Thucididis,
 hominis nobilissimi et sapientissimi, sententiam, ratione communitam,
 pluris non faciamus? Cum autem non una probabilis timendi causa sit:
 et generaliter de ea definiri nihil possit: hic dicemus tantum, quod semper
 fuit ualde consideratum, et hodie, et deinceps considerandum est, ut
 principibus potentibus et ambitiosis obuiam catur: illi enim nullis con-
 tenti finibus, omnium aliquando fortunas tandem inuadent. Sic Romani
 mouent bellum contra Philippum: ne subacta is Graecia moueret in ipsos
 prior⁴. Sic Lysimachus, ubi Demetrius regnum adeptus fuit, ne se ille
 prouocaret metuens, primus arma commouit. et sciebat, paternum Demetrio
 inesse de promouendo imperio cogitare semper⁵. Sic Lacedaemoniorum
 legati monent regem Siciliae ad bellum: quia uictis reliquis Graccis Persa
 et in Siculos arma uerisimiliter moturus esset. 'nobis opem ferendo temet
 ' tutaris,' aiunt⁶. Sic ipsi Lacedaemonii, ab Acanthiis persuasi, bellum
 suscipiunt contra Olynthios: qui subigendo uicinos undique, et ad remotiora

¹ Gell. libr. 7. c. 3.² Cic. pro M. Tull. frag.³ Thuc. lib. 3. c. 12.⁴ Zonara. lib. 9. c. 15.⁵ Paus. lib. 1. c. 10.⁶ Hero. lib. 7. c. 157.

semper progrediendo, finem bellorum non faciebant, et potentiae amplificandae¹. Sic Campani pro Sidicinis contra Samnites. et inquirunt, 'Pugnauius uerbo pro Sidicinis, re pro nobis: cum uideremus finitimum 'populum nefario latrocinio Samnitium peti: et ubi conflagrassent Sidicini, 'ad nos traiecturum illud incendium esse².' Quae et Hermocrates, iustus uir Syracusanus, 'Arbitratur aliquis nostrum, remotiore uicino iam subuerso 'non deuenturam in se quoque calamitatem³?' Sic Perseus, sic Mithridates aduersus potentiam Romanorum monebant alios, et inuocabant⁴. Neque enim occasiones desunt belli his qui ad imperium contendunt et iam odiosi propter potentiam sunt. quod suis his Romanis ait Appius alicubi. et uerissimum apparuit. nam sociis atque amicis auxilia mox ferendo nacti imperium orbis sunt⁵. Sed haec plura exempla, quae et alii sic adnotarunt, et quae sic nobis declarant ius quod quaerimus gentium⁶. Turcis illinc, Hispanis hinc, meditantibus ubique dominatum, et molientibus, non ob-sisterent omnes iustissime? Non quidem facit multis Turca iniuriam, et nec Hispanus: neque id ille potest, aut iste: sed quibusdam facit. atque uni qui faciat, is plurimis nimitatur⁷. Expectentur arma ipsa? Audiuius de Turcis ante, et omnes cernimus. De Hispanis si quis non cernit, is audiat a P. Iouio, impotentia et istorum esse ingenia, atque auida imperandi: quique cum irrepserint semel, ad summam semper potentiam artibus cunctis intendunt⁸. Obsistendum igitur. Et cauere satius est, ne homines augentur nimium potentia, quam contra potentiores postea remedium quaerere⁹. 'Dum paruus est hostis, interfice. Nequitia, ne 'zizania crescant, elidatur in semine.' cur non ista Hieronymi et hic apta¹⁰? Obsistendum communiter periculo communi. Etiam separatissimos congregat communis timor. ut a natura sic est inditum: et de Aristotele docet Baldus noster¹¹. 'Atque sic est ratio imperiorum, ne noceri possit.' ut probe quisquis ille apud Dionysium¹², nihilque uerius, et uelut ab oraculo profectum: iudicio Bodini. 'Posse nocere, sat est. Quodque potest alios 'perdere, perde prior¹³.' Apte hic poeta ingeniosus. Et pergraue est

¹ Xen. 5. Graec. 2. ² Liu. lib. 7. c. 30. ³ Thuc. lib. 6. c. 77. ⁴ Sall. frag. lib. 4. Hist.

⁵ Dion. Ha. lib. 9.

⁶ Bod. 5. de Rep. ul.

⁷ P. Syr.

⁸ Iou. lib. 1.

⁹ Arist. 5. Pol. 8.

¹⁰ Hier. Ep. 2.

¹¹ Bal. 2. cons. 266.

¹² Dion. Ha. lib. 6.

¹³ Oui. 5. Fast. 8.

scilicet, posse nos iniuriam pati, etsi non patiamur. quod Plutarchus¹. Et Baldus, quod licet facere ad obuiandum: nec debeat in potestate esse aduersarii, si uelit: et quod considerandum sit, quod officit, quodque officere potest². Etiam persecuerantia concordiae infer elementa sic ab aequa partitione est: et dum in nullo aliud ab alio uincitur³. Et id illud est, quod sapientissimus, et pacis studiosissimus, ac pacis pater, Laurentius ille Medicus procurauit semper, ut res Italarum principum paribus libratae ponderibus forent. unde et Italiae foret pax: quae et fuit eo uiuo et custode huiusce temperationis: et quae desiit pax, quum desiisset ille, et illa temperatio⁴. Magna proles Medicea, et urbi suae, et Italiae reliquae praesidium magnum. Non hoc agit etiamnum, ne unus possit omnia, et Europa uniuersa in unius nutum deueniat? Nisi sit, quod obstare Hispano possit, cadet sane Europa. 'Ut medium si quis uellat de fornice saxum, 'incumbunt cui cuncta, simul deuexa sequentur cetera⁵.' Non, non hoc permittendum est unquam, ut cuiusquam principatus in tantum crescat, ut neque de manifesta iniustitia liceat apud eum dubitare, quod Polybius ait⁶. et ait, quod Hiero propterea Carthaginenses in bello iuuit contra mercenarios, ne Carthaginensibus oppressis Romani omnia possent. Sic Liuius de diuersis hominum studiis super bello Romanorum et Persci, quemadmodum alii huic, alii illis fauerent, tertia autem 'pars optima et prudentissima⁷ eorum esset qui neutram partem uellent fieri potentiorum oppressa altera. ita enim futuros se optima conditione, protegente altero semper ab alterius iniuria⁷. Et haec ingenue M. Cato pro Rhodiensibus: qui odio Romanis, quasi uoluntate saltem, uotisque fauissent Persco, 'Noluerint, nos regem uicisse. sed et multi alii populi, et multae nationes. 'atque partim non nostrae contumeliae caussa, sed quod metuerent, si 'nemo esset homo quem ueremur, quicquid liberet faceremus. Et unus- 'quisque nostrum, si quis aduersus rem suam quid fieri arbitratur, summa 'etiam ui contra nititur, ne aduersus eam fiat⁸.' Id apud Rhodios sic disseruerat legatus Persci, agendum, ne omnium rerum ius ac potestas ad

¹ Plut. Pomp. ² Bal. 2. cons. 195. 202. ³ Apul. de Mun. ⁴ Polit. 4. ep. 1; Guic. lib. 1.

⁵ Aus. 1. Ecol. 1. 15.

⁶ Polyb. lib. 2.

⁷ Liu. lib. 42. c. 30.

⁸ Gell. lib. 7. c. 3.

unum populum perueniret. Addit Cato de uoluntate tanto minus puniendā, quod uideri certius debet. Et non contradicit Caesar: qui de bello inferendo regi Ariouisto sic disputat, puniendum antequam potentior fieret, et intulerit quicquam mali: etiam quia uel inferre malum cogitauerit¹. Neque enim de nuda cogitatione, et uoluntate nuda accipere hoc oportet; sed de ea, quae assumpto actu. quod est alibi declaratum². Uerendus iam in Galliis ille erat Romanis rex: et eius arma periculum minitabantur. Prudenter igitur et iuste Caesar ratus est, nihil esse differendum ulterius, quin armis arma comperceret. Heluetii nuper sapientissime, neque Gallo, neque Caesari se fautores, at seruaturos foedera cum utroque, donec arma eorum periculosa Heluetiae non fuerint reipublicae³. Sed concludo. Defensio iusta est, quae praeuenit pericula iam meditata, parata: etiam et nec meditata, at uerisimilia, possibilia. neque tamen ultimum hoc simpliciter: aut dicerem iustum, dare operam bello huic statim atque aliquis fieret potens nimis. quod non dico. Quid enim si principi alicui potentia isthaec aueretur successionibus, electionibus? Num tu eum bello turbabis, quia periculo tibi esse eius potentia potest? Aliud addendum est pro iustitia. Addemus nos aliis qui quid iusti habent. Audi.

CAP. XV.

De honesta defensione.

SUPEREST de honesta defensione, quae citra metum ullum periculi nostri, nulla indigentia nostra, nulla utilitate quaesita, tantum in gratiam aliorum suscipitur. Et fundamento illi innititur, quod cognationem, et amorem, atque beneuolentiam, et beneuolentiae uinctionem (ait M. Tullius) inter homines natura constituerit. et quod gentium ius situm est in generis humani societate⁴. Quod propterea etiam appellatur ciuile a Cicerone⁵. Sic scilicet Stoici uoluerunt, ciuitatem totius mundi unam esse,

¹ Dio. lib. 38.² l. 225. de U. S. (D. 50. 16).³ Iou. lib. 34.⁴ l. 3. de iu. et iu. (D. 1. 1).⁵ Cic. 3. de Fin. 20.

et omnes homines populares, municipesque, et ueluti armentum unum compascuo in agro compascens¹. Omne hoc, quod uides, quo diuina, atque humana conclusa sunt, unum est, membra sumus corporis magni². Et mundus unum est corpus scilicet. Natura autem nos cognatos eddidit: cum ex iisdem, et in eadem gigneret. Haec nobis mutuam indidit amorem, et sociabiles fecit. Atque societas haec nostra lapidum fornicationi simillima, casurae, nisi inuicem obstarent et sustinerent se lapides³. Quod praeflare Seneca. Et quod Gellius, quasi mutuo aduersu, et fulta nisu consistit⁴. Haec 'rerum concordia discors,' ut ait Horatius⁵. Atque nos etiam antea. Nunc uero audis, totum mundum esse corpus unum, et homines omnes membra esse huius corporis, et mundum domum esse audis: et esse ciuitatem. Quae audi rursus, nam pulchra sunt. 'Mundus domus est 'maxima rerum,' sic Uarro. 'Si sociale animal homo est, et in com-
'mune genitus, mundum ut unam domum spectat,' sic Seneca iterum⁶. Mundum dicit rempublicam: Lactantius⁷. Magnam ciuitatem: unam reipublicae formam, et unum ius habentem: Philo⁸. Omnium unam rempublicam, et communem omnium ciuitatem, Tertullianus, Minutius⁹. Urbem maiorem etiam Aristoteles¹⁰. Quantum consensum sapientum? Adde de societate, quod Cicero, 'Societas est, (quod etsi saepe dictum est, dicendum 'tamen est saepius) latissime quidem quae patet, hominum inter homines: 'interior eorum qui eiusdem gentis sunt: propior eorum qui eiusdem ciuitatis.' Et alibi; 'Ita nati sumus, ut inter omnes sit societas quaedam: 'maior autem, ut quisque proxime accedit. ciues potiores peregrinis, pro-
'pinqui alienis'¹¹. Et tres ita Augustinus notat societates, primam domus, secundam urbis, tertiam orbis. atque ait, coniunctas in orbe gentes per societatem humanam¹². Quid uero ista societas et coniunctio? 'Bonis 'inter bonos quasi necessaria beneuolentia qui amicitiae fons a natura con-
'stitutus, sed eadem bonitas etiam ad multitudinem pertinet. Non enim 'est inhumana uirtus, neque immanis, neque superba, quae etiam populos

¹ Plut. 1. de Uirt. Alex. (p. 329).² Niceph. Gr. lib. 4.³ Sen. Ep. 96.⁴ Gell. lib. 6. c. 1.⁵ Hor. 1. Ep. 12. 19.⁶ Sen. ult. de Benef.⁷ Lact. de Ira Dei. c. 10.⁸ Phil. Iose. (p. 531).⁹ T. Apol. c. 37; M. Oct.¹⁰ Arist. de Mu.¹¹ Cic. 3. de Off. 17; Lael. 5.¹² Aug. 19. de Ciu. c. 3.

‘uniuersos tueri nolit :’ scribit Cicero. Et Ambrosius. ‘Lex naturae ad omnem nos stringit charitatem, ut alter alteri, tamquam unius partes corporis deferamus ¹.’ Et ita etiam Baldus, quod nostris, extraneisque nati sumus propter uinculum charitatis ². ‘Qui ciuium rationem dicunt habendam, externorum negant, dirimunt hi communionem, et generis humani societatem :’ etiam Cicero. Quod et retulit, et approbavit Lactantius ³. Et idem Cicero, ‘Spurca eorum sententia, qui ad se omnia referunt ⁴.’ Sane spurca. Nam societati homo natus ⁵. Et eius officium iuuare alios, non sibi soli uiuere ⁶. Atque nomine hoc philosophos condemnabat Cicero, quod dum altero iniustitiae genere uacarent, atque maximam quidem (ut alius scribit uir sanctior ⁷) partem aequitatis implerant, ne cui nocerent, in alterum incurrerent, quod desererent uitae societatem. desererent iustitiae partem alteram, prodesse cum possis. ‘Nonne uides, operum qui se pulcherrimus ipse mundus amore ligat?’ Iure naturali tenemur (sic interpretet iuris) ultro, citroque commodi esse ⁸. Et iidem tradunt, aequiparatam defensionem suorumque et extraneorum, maxime uero sociorum : a quibus propulsanda iniuria est. et defensionem istam diuini atque humani iuris esse ⁹. Et Plato puniendam censet eum, qui uim alteri illatam non propulsat ¹⁰. Quod autem Plato, et illi interpretes in priuatis ciuibus aiunt, id nos ad principes populosque ducimus probe. quoniam quae ratio priuati ciuis in priuata ciuitate est, eadem in publica et uniuersa hac orbis ciuitate publici ciuis, hoc est principis, et populi principis est. Sicut se habet priuatus ad priuatum, ita princeps ad principem : inquit Baldus ¹¹. ‘Homo homini in maiore ciuitate ciuis est : et in adiutorium mutuum creatus :’ ait Seneca ¹². Atque quia unum sumus corpus, si membrum nocere membro uelit, ut alia adiuuarent lacsum, quoniam singula seruari, totius interest, etiam laedentis : ita homines hominibus aderunt auxilio, nam adseruari societas, nisi amore et custodia partium nequit. Uespasianus,

¹ Ambr. 3. de Off. 3.² Bal. C. de pri. do. (11. 74).³ Lact. 6. Inst. 6.⁴ Cic. 7. Att. 2.⁵ Arist. 1. Pol. 2. 9 ; Psal. 107. 122.⁶ Gal. 6. et 1. Petr. 4.⁷ Hier. ep. 14.⁸ Claud. 4. Cons. Hon. 284.⁹ Rom. cons. 420.¹⁰ Dec. cons. 469 not. ; l. 3. l. 5. de iust. (D. 1. 1).¹¹ Pla. 9. de Leg.¹² Bal. 2. cons. 195.¹³ Sen. 1. de Ira. 5.

qui auxilia nescio quibus negat hoc praetextu, quod alienarum rerum cura sibi non conueniret. probari non potest¹. 'Quis enim est bonus, qui facit ' nihil nisi sua caussa?' iterum Cicero². Et Lazi regi Persarum, non cum propterea esse iustum, quod faceret iniuste nihil, nisi et iniuste oppressos defenderet, et uero sic auxilia et exercitus contra Romanos impetrarunt³. Non aliena homini res est, hominum tueri rem et salutem. Dixisset idem Cicero, 'si non hominis, at humanitatis rationem haberet⁴:' quae cuius homini a quouis hoc ipso debetur, quo homines aeque sunt: et alterum alteri communis omnium mater natura humana commendat. Multa hic sunt. Nobile exemplum barbari regis Mauritaniae est: qui, cum audisset, hostem suum Alfonsum, Castellae regem, armis filii premi, et fere opprimi, ingentem auri copiam misit ad Alfonsum, ipse etiam in Hispaniam cum magna militum manu se traiecit. rem indignissimam accusans, ut filius patrem regno pelleret. addens autem, uictoria parta Alfonso futurum se iterum eidem hostem⁵. Quid? Metuo barbaros hostesque et dona ferentes? Factum inimici accipi in malam partem⁶? Et uerum ait Guicciardinus, non haec fieri a quoquam absque spe alicuius emolumenti? Guicciardini dictum uituperatur a nobili Montagneo in nobilibus illis suis (dicam Latine) speciminibus. Mitto. Quacro, quid iuris sit. Quaestio est, si iure quis tenetur, alium defendere quum potest. Et negare communiter uidentur. Et ait aliquando lex, nos aliena negligere sine culpa posse⁷. Ceterum nostra propria quaestio est, si iuste quis possit sic alium defendere, in qua nemo negat iustam defensionem⁸, etiam pro extranci defensione licet alterum occidere, sententia ab omnibus doctoribus adprobata. Etiam adprobatur defensio eius qui se defendere negligit, imo defendi ab alio recusat, siue necessarius defendat, siue alius, etiam inimicus⁹. Et humanitatis sic ratio dicitur. Et sic beneficium conferri in inuitos saepe¹⁰. Sic et plures aliae definitiones sunt.

¹ Niph. Dio. 46. ² Cic. 7. Fam. 12. ³ Procop. 2. Pers. 15. ⁴ Cic. pro Quin. 31. ⁵ Iust. Gen. An. 3.

⁶ l. 6, de excu. (D. 27. 1).

⁷ l. 21. de he. vel. ac. ve. (D. 18. 4).

⁸ Castr. l. 1. de iust. (D. 1. 1); Al. 7. 17. 27; Clar. § fi. q. 87. et § homicidium; Dec. cons. 678.

⁹ l. 6, de app. (D. 49. 5); Ins. l. 3, de iu. (D. 5. 1); Dec. cons. 691; Ceph. 712; Cuiac. 20. obs. 20.

¹⁰ l. 39, de ne. ge. (D. 3. 5); l. 1. seqq. de lib. ca. (D. 40. 12); Cot. memor. s. u. beneficium; c. 11. dist. 45.

Sed et argumento non satis firmo concludunt eo modo in alia quaestione : quod accipere quis possit pecuniam pro altero defendendo : quam acciperet turpiter, si iure teneretur defendere. Nunquid enī seruusque praemium eius non consequitur, quod impune non omitteret tamen¹? Neque turpiter datur, neque turpiter accipitur gratitudinis ergo. Non per ciuem a ciuitate, non per filium male sic accipitur a patre. 'Enimuero constat, nonnulla nec fieri sine gloria, et posse non fieri sine culpa : ideoque si fiant, digna esse praemiis, non tamen supplicii, si non fiant. Et rursus, quaedam per contrarium neglecta quidem offensam contrahunt, sed impleta gloriam non merentur.' Sic Bernardus². Quibus ego addo medium, 'quaedam esse, quae neglecta offensam contrahunt, et impleta praemium merentur.' Sed et in foro conscientiae imo teneri hominem ad hominis defensionem uolunt³. Conscientia autem est arbitrium boni uiri, imo optimi⁴. Sed et in ratione honesti hoc idem tradunt. Et nos hic honestum sectamur, et illud arbitrium. Sed et in iure ciuili et in canonico contra reliquos sic inclināt Bartolus, et docent Albericus, Igneus, Decius, Alcuius, Molineus⁵. Et Baldus eleganter, quod culpa sit, defensionem alterius omittere, sui, dolus⁶. Quae et alibi censet. Huc Plato totus accedit. Hoc et Siracides, 'Exime eum cui fit iniuria de manu iniurii⁷.' Et hic ego quoque sum praesertim si, quod addunt supradicti interpretes, defensio non sit cum periculo defendentis. Nam in periculo se ponere nemo tenetur. nemo sic tenetur aduersus incendium succurrere⁸. Audis alioqui Constantinum, quod qui ex praescripto Dei uiuunt, aliis illatam, suam iniuriam esse censent⁹. Uide, quod et Romanos sic iuuat contra Maxentium. Audi iterum iuristam Baldi, 'Qui non defendit, nec obsistit iniuriae, tam est in uitio, quam si parentes, aut amicos, aut patriam deserat¹⁰.'

Atque si haec uera in priuatis sunt, quanto magis in principibus uera erunt? Hi mutuo appellatque se cognatos, consobrinos, fratres. Tanto magis uera in principibus erunt, quanto, si priuatus priuatum non defendit,

¹ l. 5. qui si. ma. ad li. per. (D. 40. 8); Pla. 9. de Leg. ² Bern. de Praec. et Disp.

³ Ins. d. l. 3; Eug. cons. 86.

⁴ Bal. l. ult. C. de iu. do. imp. (8. 34).

⁵ Alc. d. cons. 27; Mol. ad Dec. l. 5. de reg. (D. 50. 17). ⁶ Bal. 4. cons. 111; l. i. C. de ser. fug. (6. 1).

⁷ Eccl. 4. ⁸ Bal. l. i. de off. pr. ui. (D. 1. 15). ⁹ Nic. Call. 7. His. 29. ¹⁰ Cic. 1. de Off. 7.

superest magistratus, qui ulcisci priuatorum iniurias et emendare damna potest. at, qui iniurias et damna principum sarciat, nullus est, nisi is idem princeps, qui post malit malo medicinam ferre, quam a principio prohibere fieri malum. Haec uera. Sed et illud potes cum Baldo, quod etsi haec uera non essent ex philosophia iudiciorum; quae de necessariis est: sunt certe uera ex philosophia morum; quae est de persuasis¹, et quam nos sequimur philosophiam in toto hoc tractatu. Philosophia iudiciorum permittit, et se ipsum negligere. Ut Baldus scribit. Quod si praeterea, ut accidit fere semper, alia caussa specialis adiungitur huic generali honestatis, ad iustitiam accedet caussa propius. Sane uera sit per me sententia, solam hanc honestatis caussam fortassis numquam quemquam impulsisse in istam defensionem honestam. Uere dixerit Guicciardini os, principem neminem suscepturum pro Pisanis bellum, nisi cupiditate inductum lucri sui². Attamen id principibus est ignominiosum, et iustitiam non sapit. Malim autem cum Leone philosopho, 'Nouimus paucos admodum seruare uerum amorem; eiusque unius gratia ad opitulandum calamitate implicitis excitari: contra autem longe maximum esse numerum aliorum, qui spe aliquid nanciscendi ad auxilium indigentis accedunt³.' Quod lenius est dictum, et puto uerius. At ego aliud quaero. 'Plena est iustitia, quae defendit infirmos.' Sic Ambrosius, et ius canonicum⁴. Et ego istam iustitiam quaero.

Et Romani caussam hanc aliis caussis obtexuerunt, per quam mouerentur saepe ad bella suscipienda. Manifesta (inquit Dionysius) Samnitici belli caussa defensio Lucanorum: quae honestatis speciem haberet, tanquam communis et patria Romanorum consuetudo, iis opitulari qui ad eos confugerent. sed occulta, et quae magis cogebat, fuit magna Samnitium potentia: et futura maior, si Lucani subacti fuissent⁵. Sic utilis ratio latens: adeoque uisa nec ita proba, ut honesta est. Et tamen utilem quoque probam et iustam dicimus. Et iustior altera per alteram efficitur. ergo quid si chari nobis, quos uelimus defendere? Propter caritatem, necessitudinem, qua alia ratione non omitti defensionem, Ulpianus ait⁶. A natura est defensio eorum

¹ Bal. l. 10 C. de op. li. (8. 12). ² Guic. lib. 1. ³ Leo. Nou. 49. ⁴ Amb. 1. de Off. 27; c. 5. 23 q. 3.

⁵ Dion. Exc. de Lega. (p. 742).

⁶ l. 5. qui. ex. ca. in po. ea. (D. 42. 4).

qui nobis chari esse debent : teste M. Tullio. Quid si socii, et foederati? 'Qui
 ' non depellit iniuriam a socio, si potest, tam est in uitio quam ille qui facit:'
 Ambrosius¹. Et ipsi nos laedimur, si socii nostri laeduntur, quod apud
 Liuium². Male Ioannes Bodinus censet, non teneri socium et foederatum
 socio auxilium ferre, si de auxiliis cautum in foedere non est et contrarium
 ostenditur nunc a nobis, atque etiam ostendetur in tertio libro³. Quid si
 eiusdem gentis et sanguinis? Agesilaus ita suscepit bellum in Persas, ut
 Graecos Asiaticos in libertatem affereret⁴. Et Germaniae reguli, uetusto
 more gentis, implorantibus mutuum opem non adesse, nefas putant⁵. Quan-
 quam illic est praeterea reipublicae quoddam corpus: ut Achaeorum fuisse
 olim traditur. Quid si eiusdem religionis? Sociantur gentes unitate reli-
 gionis magis, quam aut iuris alterius communione, aut foederis pactione⁶.
 Et itaque sic communione naturam, foedere ius gentium, legibus rempub-
 licam, religione communi (re omnium potentissima) uiscera hominum im-
 ploramus, et eius sancti, qui communionis istius caput est. Sic bellum
 cum Persis: quia eis perfugae non reddebantur: et non reddebantur a
 Romanis, qui noluerunt despiciere supplices, professores secum eiusdem reli-
 gionis, profugos a crudelitate Persarum⁷. Hoc modo Iustinus respondit
 Persae, facere se non posse, quin reciperet religionem Christianam, descen-
 centem ad se a Persa, qui cogebat eos deserere religionem Christianam.
 Et nostri sic tradunt, moueri bellum posse, si aliqui conuersi ad religionem
 Christianam, premerentur a suis dominis, et illud propter ius societatis con-
 tractum ex conuersione⁸. Adde, quae de hoc dixi etiam in capite nono.
 Quid si uicini? 'Quid enim? mihi ad defendendum Plancium parum
 ' multae, parum iustae necessitudines erant, familiaritatis, uicinitatis, patris
 ' amicitiae?' Cicero ait⁹. Et hic caussa nostra est. 'Nostra res agitur,
 ' paries dum proximus ardet¹⁰.' Nam si quas ignis aedes coepit acriter,
 defensu haud facile sunt, quin et proximae comburantur¹¹, quod alicubi
 erat apud Sallustium. Et nunc est apud Ouidium, 'Proximus a tectis

¹ Ambr. 1. de Off.² Liu. 31. 34³ Bod. 5. de Rep. ult.⁴ Plu. Apoph.⁵ Iou. lib. 23.⁶ Oros. lib. 5. c. 2.⁷ Procop. 1 Pers.; Call. lib. 17. c. 37.⁸ Alc. l. 38. § Sacram. de U. O. (D. 45. 1).⁹ Cic. pro Planc. 20.¹⁰ Horat. Epist. 1. 18. 84; Ang. l. 2 de le. Kho. (D. 14. 2).¹¹ Chari. lib. 2.

‘ignis defenditur aegre. utile finitimis abstinuisse locis¹.’ Qui uersus prouerbiales et in hoc sunt: et prouertia fidem aliquam faciunt². Facit hic, quod licet aedes demoliri uicini, ne ad nos incendium ueniat³. Et quod de domo pestilenti quaesitum aliquando idem est etsi de hoc responsum contra est⁴. Domus tamen infecta lepra subuertebatur⁵. Et in pluribus sic est, ut liceat male aliis facere, ne nobis male sit⁶. Cauenda omnis contagio est, et maxime uicini. Mala uicini populi contagia laedunt. Romani quasi contagione quadam (ut inquit Florus) ierunt per singulos, et proximis quibusque correptis totam sub se Italiam redegerunt, et quicquid imperii habuerunt⁷. ‘Ante ignem uapor camini, et fumus:’ Siracides quoque⁸. Fumum a uicino sentimus incendio, et igni exstinguendo non accurremus, ubi est? Rescriptum est, licere cuilibet, ferre uicino opem aduersus iniuriam⁹. imo culpae quoque uideri participem, qui non opituletur etiam inimico capitali, etiam contra opem dicenti, nedum postulanti. De quo et notauit ante, et notabo adhuc sequenti capite.

CAP. XVI.

De subditis alienis contra Dominum defendendis.

QUAERO, si subditos quoque alienos defendimus iuste contra dominum? et quid si etiam iniusta eorum causa sit? Notat Ambrosius, tres illos ita cauisse Deos, Iouem, Neptunum, Plutonem, ne usurpata alienarum partium sollicitudine bellum inter se gererent¹⁰. ‘Non illi imperium pelagi,’ etc. Etiam aiunt, ‘Nos Dii habemus istam legem: nemo uult occurrere ‘cupiditati uolentis, sed cedimus semper alii aliis¹¹.’ Quae a sapientissimis uiris efficta, et ad Principes in terris accommodata sunt. Sed et sine ambage ulla Corinthii sic loquuntur Athenis, ‘Aperite negamus, aliquem

¹ Oui. Rem. Am. 625. ² Arist. 1. Rh. 16; Ceph. cons. 82. ³ l. 49. de le. Aq. (D. 9. 2); l. 3. de ince. (D. 47. 9); l. 7. quod ui. (D. 43. 24).

⁴ Dec. cons. 651.

⁵ Leuit. 14.

⁶ l. 29. ubi gl. de le. Aq. (D. 9. 2).

⁷ Flor. lib. 1. c. 9.

⁸ Eccl. 22.

⁹ c. 6. de se. ex. 6; Eug. cons. 90.

¹⁰ Ambr. 1. de Off. 13.

¹¹ Eur. Iiip.

‘ a puniendis suis esse prohibendum. nam si eos qui peccarint, defenderitis, ‘ etiam uestri a uobis deficient¹.’ Sed mihi isti aliorum subditi tamen a cognatione illa naturae et societatis uniuersi alieni esse non uidentur. Et quam si tollis societatem, etiam unitatem scindes humani generis, qua sustinetur uita. ut praeclare Seneca². Atque si illeges nec facimus Principes, nullis legibus, nullis moribus deuinctos: necesse est ut sint quoque qui eosdem moneant officii, et constrictos retineant. Quam rationem exposui in secundo libro de legationibus. Neque hic ego ullam ingerere uelim dominiorum confusionem, aut ullam inspectionem Principis supra Principem. Sed nec fero tamen distingui, quae sunt per naturam arctissime agglutinata. intelligo cognationem illam cum omnibus inter omnes. Neque hic aliter Principi inspectio sit supra Principem, quam contingat per omne aliud bellum, in quo alter alteri Principi fert se iudicem et sui, et alterius. Si inter priuatos est quaestio, alienum de ea adire Principem, fuerit iniustissimum. Si etiam inter subditum et Principem suum illis oritur, magistratus constituti sunt, qui adeantur. At quum incidit controversia de republica: non iudices ulli in ciuitate sunt. nec esse possunt. Publicam uero dico rem, quando subditorum tanta ac talis mouetur pars, ut iam bello opus contra eos sit, qui se tuentur bello. Quasi uenerint isti in partem principatus, et publici et pares Principi sint qui tantum possunt: quemadmodum Princeps dicitur Principi par, qui alteri, utcunque maiori et potentiori, uim inferenti potest resistere³. Quamquam de subditis ipsis non haec dico, nisi propter Principes alienos. qui alienis subditis ferre auxilium contra dominum uolunt: et qui non aliter ferre possint, quam in lite, ut nunc explicauimus, de re publica. Et quidem, si subditi habeantur inclementer, et iniuste, probata haec defendendi sententia etiam aliis est. qui exemplumque laudatissimum afferunt Herculis, tyrannorum domitoris, et monstrorum. exemplum et Constantini est, qui Romanos iuuit contra Maxentium, ut retuli in praecedenti sermone⁴. Filios defendimus contra iniustos patres⁵. Adde nunc illa Senecae aurea, ‘Quicquid erat, quo mihi

¹ Thuc. lib. 1. c. 40.² Sen. 4. de Benef. 18.³ Ceph. 615.⁴ Couar. Reg. Peccatum. p. 2. § 9; Bod. 2. de Rep. 5. et lib. 5. c. ult.; Cic. 3. de Off. 5.⁵ Bal. l. 4 C. de inst. et subst. (6. 25).

‘cohaereret, intercesa iuris humani societas abscedit. Si non patriam meam ‘impugnat, sed suae grauis est, et sepositus a mea gente suam exagitat, ‘abscedit nihilominus illum tanta prauitas animi. etiam si non inimicum, ‘inuisum mihi efficit: priorque mihi, ac potior eius officii ratio est, quod ‘humano generi, quam quod uni hominum debeo¹.’ Sic sane, aut facimus principibus omnes homines alienos: si statuimus, eos posse pro libitu agere et pro libidine.

Quid nunc, si est caussa subditorum iniusta? et hic negant supradicti, oportere iniustis alienis subditis auxilio esse. ne quis, sic iuuando, prouocet idem ius in regnum suum. quod antea Corinthii. etiam censet Aristoteles, nec patrem amandum prauum, nec iuuandum auxilio². Ceterum hoc de patre falsum est. ut in disputatione quadam docui, et forte est uerius, defendi a nobis posse bello hos quoque, qui sunt iniusti. Si enim iustum est bellum quod est ad iniuriam propulsandam, etsi hi qui iniuriam propulsant ipsi causam bello dederunt: uidetur idem posse constitui in defensione aliorum, etiam subditorum, propter eandem rationem. Ea scilicet est in bello iniquitas, ut idem sibi in sua caussa ius dicat, certe dicere uelit. Quo prae-textu alius princeps possit auxilium contra ferre, ut ciuilius res sine armis componantur. Idque illud est, quod Pyrrhus auxilio quum uenisset Tarentinis contra Romanos, hos monuit prius, ut per suam operam controuersiae cum Tarentinis expediri uellent³. Licet nec inique auscultare regi noluerunt Romani: aut quia habere eum suspectum merito potuerunt, accersitum ab hostibus, cum hostibus armatum, pro hostibus pugnare paratum, et hostibus consanguineum. Qui stat cum alio armatus, opem ferre eidem dicitur, et auxilium. nec opus est in id probare aliud quicquam. etiam qui se armat, de bello creditur cogitare⁴. Quod si etiam amicus inimici sic suspectus est, ut a testimonio ferendo arceatur: quanto magis arcebitur a dicenda sententia⁵. Facilius enim fit, ut quis in testem, quam in iudicem recipiatur⁶. Amicus inimici mei non statim meus intelligitur inimicus: ut nec amicus amici mei meus est amicus⁷. Sed suspicio de utroque est ualde, atque de amico inimici magis.

¹ Sen. *Ult. de Benef.* 19. ² *Arist.* 9. *Eth.* 2; *Cas.* 1. de *Sin.* *Cer.* 4. ³ *Plu.* *Pyrr.* 16.

⁴ *Crau. cons.* 224; *Ceph.* 57; *Bal.* l. 1. *C. de ser. fu.* (6. 1). ⁵ *Alex.* 7. *cons.* 2; *Ceph.* 721.

⁶ *Ias.* l. 16. de *iurisd.* (D. 2. 1); *Cic. pro Comoc.* 16; *Ceph.* 750.

⁷ l. 47. de *re. iu.* (D. 42. 1); l. 28. *C. de inof. te.* (3. 28).

ego uero redeo ad quaestionem. Tuemur et iniustos filios iuste aduersus sacuitiam patris, et seruos aduersus sacuitiam dominorum, damusque laudabiliter operam, ne per furorem (hic bellum est) quantumvis iniqui castigentur, et puniantur¹, nam furor, bellum, non habet modum. Et qui humanitate, uel misericordia ductus, uel alia adprobata ac iusta ratione seruum alienum recepit, is edicto de seruo corrupto non tenetur, atque ipsa receptatio de natura boni censetur, etc². Etiam ille laudatur, qui iratus seruis, hos alteri multandos tradebat, hoc addito clogio, quia ipse iratus esset³. Atque adeo bonus uolet princeps, irato sibi eripi saeuendi in suos licentiam, quasi pater bonus, quasi dominus bonus. censebitque semper, non regna esse propter reges, sed reges propter regna factos esse, quod uerum est. Etiam Platonium hic ualet, debere nos Rhetorica uti maxime ad accusandos amicos; quibus optimum sic retrahi uel a malis futuris. Atque ita mihi uidetur, auxilium afferri posse iniustis alienis subditis, huic tamen fini tantum, sacuitiae immoderationis et poenae inclementioris depellendae. postquam nec inhumanum est, uel his facere bene qui deliquerunt⁴. Sed ausim tamen adfirmare, honestam hanc caussam auxilii ferendi uix umquam stare, quin et necessitatis et utilitatis alia obtendi nequeat, et uero ostendi, ut antea quoque dictum est. Ecce, quae modo maxima est quaestio, si Angli auxilia Belgis contra Hispanum iuste attulerint: etiam si iniusta Belgarum esset causa: et Belgae essent etiamnum Hispano subditi. quod utrumque falsum censetur tamen. Dicebatur, suscipiendum bellum per istam occasionem, ut ita haberetur ab Hispano bona pax: quae aliter haberi non potuisse uidebatur. Et quidem sic suscipitur bellum iuste. quod nostri tradunt⁵. Et sapientissima facit ratio medicorum; ut si febris aliqua lenta sit, quae corpus teneat, quaeque nulli cedat remedio, tum mutandus sit morbus, etiam augendus interdum, et accendendus: quia curationem, ubi id quod est non recipit, potest recipere id quod futurum est⁶. Sed et absque malo illo infidae pacis suscipi bellum potuit. Ut multarum necessitudinum uincula inter Angliam sunt et Belgium: uetus amicitia cum ducibus Burgundiae: familiaritas

¹ Leo. Nou. 105. ² l. 5, Bal. l. 4, C. de ser. cor. (6. 2). ³ Plut. de Lib. Educ. c. 14; Hieron. ep. 9.

⁴ Alex. l. 20. sol. ma. (D. 24. 3).

⁵ Castr. l. 5. de iust. (D. 1. 1).

⁶ Cels. 3. c. 9; Hipp. de Loc. in Hom.

horum populorum, et prisca consanguinitas: reliqua omnia, quae ad finem notata sunt capitis superioris. et igitur cum Cicerone, 'Etiam nocentes, uiri boni, si necessarii sunt, non defendendos esse non putant¹.' Adde unum magni momenti, quod Belgae, bello uicti, conditionem omnino mutarent. atque uidemus in parte uicta, quae deiceta plurimum de pristina libertate, et praesidiis oppressa plurimum, ad solum principis nutum nunc regitur. Id autem uicini ferre non habent. Neque ullus alius est prohibendus libertati fauere². Ast uicinorum interest non paruam, alium habere uicinum³. Nam si uir uiro habet opus, quid dicemus uicinum esse uicino? ait Pindarus⁴. Et Callimachus, 'Mihi mali uicini odiosi⁵.' et sapiens aliquis Hebraeus, 'Morborum omnium pessimus uicinus malus.' et alius eiusdem gentis, 'Uae improbo, et uae uicino eius⁶.' Et Hesiodum ubi relinquo? 'Noxa magna est malus uicinus, bonus commodum⁷.' Et morales fabulae ubi silentur? 'Uicinitas mala instar infortunii est⁸.' quae etiam docent, potentiorum semper esse uicinitatem uitandam tenuioribus. Sunt a proxime habitantibus bonis bona, malis mala⁹. Sic et Plato. et sic Themistocles, quum fundum uenderet, predicare preconem iussit, bonum illi uicinum adesse¹⁰. quod interpretes ad ius notant¹¹. Atque eiusmodi plurima sunt. Quare nec si uicini hi uelint subditi mutare suam conditionem, nec si delicto in principem suum commisso mutare coguntur, ferre id alius uicinus cogitur princeps, cui neque alterius uoluntas, aut delictum afferre detrimentum debet. Ueneti legati, dum intercedunt pro Sigismundo Malatesta apud Pium secundum, etiam hoc dicunt, uicinos principes nolle alium habere uicinum: quem praeterea nec sciebant, quis futurus esset¹². Et notes, quod Sigismundus opida tenebat ab ecclesia: et criminibus admissis amittere illa merito debuit. An uera haec sint in caussis priuatorum, dubitauerit fortasse non nemo. nam priuatus posse facere de suo uidetur, quod uult, si sibi prodest, et alteri nocet¹³. uera tamen sic sunt in

¹ Cic. pro Syl. 3.² l. 3. de ho. li. ex. (D. 43. 29).³ l. 54. de leg. 2 (D. 31); Bal. l. 9. C. de pa. in. em. (4. 54).⁴ Pind. Nem. 7.⁵ Call. Hy. Cer. l. 118.⁶ Heb. Apoph. lib. 1. et 3.⁷ Hesio. 1. Op. l. 346.⁸ Faer. Fab. 57; Alc. Embl. 164.⁹ Plat. Euthy.¹⁰ Plu. Apoph. (185).¹¹ l. 35. de con. em. (D. 18. 1). ¹² Com. Pii. 2. lib. 10. ¹³ l. 26. de da. inf. (D. 39. 2); Alex. 2. 174.

caussis imperiorum. nam et de futuro cauendum est principibus, ut alter, si uelit, non possit tamen facere alteri male. quod in tractatu de utili defensione expositum est. Sed et ea regula, ut liceat cuique in suo facere quod libet. imo non obtinet alias, quam si nec peior, nec grauior uicini condicio fiat. etsi uera est, ut de lucro non curetur, quod uicinus faciebat, et quod per nullam obligationem ei debebatur¹. At uero imperiis deberi securitatem, et a uicino coniunctionem quandam amoris singularem: iam hoc scimus: quae tolluntur, uicinis mutatis. Neque uero idem populus est qui fuit, si eadem nec est quae fuit ratio reipublicae². Non licet cum subditis (iterum dico) omnia facere³. Non id licet cum subditis, quod damno, periculo foret non subditis. Non licet, arces in suo facere, quae non suis metuendae sint. audies in tertio libro. Ergo neque licet cum suis facere, quod metuendum aliis est. ut haec dicuntur paria. in suo loco facere, et in subditos suos⁴. An si disponderet uicinus meus demi tormenta, aliaque aduersum meam domum, ego neque timeam mihi, neque in uicinum me moueam? Sic. sic Belgium apparabatur, ut uiri uidere sapientes, et ut heros magnus Lecestrius sapientissime defensionem Belgarum saluberrimam reipublicae ac necessariam praecidit, suscipiendamque suasit: Ne si illud uallum Europae (et tu sic sapienter Iuste Lipsi) Hispani perurperent, nihil amodo superesset obicis uolentiae ipsorum. Et hactenus de bello defensionis.

CAP. XVII.

Qui bellum necessarie inferunt.

QUANDO igitur de iure omnis defensionis plura diximus: agite, nunc iustas inferendi belli caussas exquiramus. Atque bellum quidem inferitur eodem modo, aut necessarie, aut utiliter, aut honeste. Necessitatem autem ita consideramus, si esse nobis non licet, nisi bellum inferamus. ut an-

¹ l. 1. de aq. pl. (D. 39. 3); l. 8. si. se. vi. (D. 8. 5); Bal. 4. cons. 396.

² Arist. 3. Pol. 3. 7.

³ Bal. 5. cons. 409.

⁴ Bal. 4. cons. 396.

teaque de necessitate traditum est. Et exemplum sit, si Romani dene-
gantibus vicinis secum connubia, et in excidium sic coniuratis nouellae
ciuitatis, bellum, ut haberent foeminas, intulissent. 'Iustius bellum cum
' ea gente geri potuit, quae filias suas correptionibus, et confinalibus suis
' negasset petitas, aliquo enim iure belli iniuste negatas iuste uictor aufer-
' ret,' inquit Augustinus¹. Et licet id inquit comparatiue ad id quod
spectaculi fraude factum fuit, et per pacem: atque inquit etiam dubitanter,
adicto articulo 'fortasse,' quem nunc non exscripsi, non tamen dubi-
tandum est, quin non sic nobiscum senserit, est enim ille articulus uere-
cundioris adminiculi, temperationis nescio cuius, aut figurae, non nota in-
certae definitionis, quod saepe nobis nostri dicunt interpretes². Non dubi-
tandum est ipsam ita esse rem, ut hoc uere, non declamatorie contendo
in secundo de armis Romanis.

Alterum exemplum huius necessarii belli in his fuerit, qui cieciti
scdibus suis, aut qua occasione abire coacti, alias quaesituri sedes,
bellum inferunt necessario aliis, in quorum possessiones perueniant.
Alios excidia urbium suarum in aliena, spoliatis suis, expulerunt, alios
nimia superfluentis populi frequentia ad exonerandas urbes emisit,
alios pestilentia, aut frequentes terrarum hiatus, aut aliqua intolleranda
infelicis soli uitia eiecerunt, ut haec scribunt alii, et prosequitur alicubi
Seneca³. Multi praetulere carere penatibus propter iniurias uicinorum,
et sedes suas profugerunt⁴. Diuersum orbem gentes uniuersae peti-
erunt relicto patrio solo, Aethi, Hiberi, Albani, Siculi, Pelasgi, Abo-
rigines, Archades, ut haec apud alios adnotantur. Nequit autem haec
caussa improbari, aut, homines hominum non misereri, dignum putamus,
et mortem his solam relinquitur extorribus, pulsus patria? Uidendum
tamen est, ne profugi isti mox non contenti opibus tenuioribus, quas sci-
licet absque bello reparare sibi possent, potiora loca quaerirent. Nam
iniquae fieret id, et barbatae. Ergo ad istam normam examinare deceat
illata aliis bella Phenicum, Ubiorum, Heluctiorum, Gallorum, Gothorum,
Uandalorum, aliorum, qui patriam regionem deseruere, nouas habitationes

¹ Aug. 2. de Ciu. 17.

de act. § poenales. (4. 6. 12).

² Cuiac. 11. obs. 25; Odofr. l. 1. de do. (D. 39. 5); Zas. Inst.

³ Sen. Co. ad Helv. c. 6; Pater. 1. c. 3.

⁴ Colum. 1. de Re. Ru. c. 3; Thuc. lib. 1. c. 2.

conquisierunt¹. Probari caussa non potest, quae semper eadem Germanis fuisse dicitur transcendendi in Gallias, libido atque auaritia et mutandae sedis amor: relictis paludibus et solitudinibus suis ut foecundissimum illud solum possiderent Galliae². Non iustum est, quod Brennus, et Heluetii, et alii censuerunt, ut potentioribus cederent et dignioribus infirmiores et minus digni³. Non haec caussa ullibi, modus hic et titulus acquirendi notatur. Et notatur Plato, qui tale aliquid per suam Geometricam rationem docere uisus est⁴. Et uerberatur Cyrus, qui uestem ampliozem non domino uestis, sed uiro ampliori, breuiorem alteri aditus iudex adiudicat puer. Improborum sermo significatur is, 'Esto robur nostrum lex iustitiae⁵.' At quod Uirgilius attigit, id iustum est, ut innocuum, qua fieri potest, locum obtineant alicubi qui deiecti de suo sunt, 'Diis sedem exiguam patriis, 'littusque rogamus innocuum, et cunctis undamque, auramque patentem⁶.' Haec et concedi debent, si et concedi non incommodissime possunt. Et concedere sic Latinus uoluit Teucris⁷. Et aliis sic alii concesserunt saepe. Bene uero Ansibarii, pulsati a Chaucis, sedumque inopes, tutum exilium orantes, 'Sicut coelum diis, ita terras generi mortalium datas; quaeque sint 'uacuae, eas publicas esse. solem, et sidera nolle contueri inane solum. 'potius mare superfunderent aduersus terrarum ereptores⁸.' Sic sane, 'Deus non ad inanitatem creauit terram⁹.' Et ergo iuris naturae censetur occupatio uacuum¹⁰. Sic in prisco factum mundo. Sic Bataui, olim Cattorum pars, seditione domestica pulsati, uacua cultoribus loca quae nunc tenent occuparunt. Sic alii fecerunt, et faciunt. Sic de terris incultis, ut quaerantur occupanti quasi nullius, nostri docent. et principis territorii etsi sint, quod alii uolunt, cedent tamen occupanti propter ius naturae, quae nihil uult uacuum¹¹. Sic: et maneat iurisdictio principis. Laudatur Pertinacis merito factum primum, qui quicquid in Italia aut alibi gentium inculti esset soli, id totum occupantibus et colentibus adiudicauit. etiam immunitatem decennii, et perpetuam agricolis libertatem concessit¹². Ita

¹ Iusti. lib. 24. c. 4; Caes. B. G.; Liu. 39. 40; Proc. Van. 1. 2. ² Tac. 4. Hist. 73. ³ Strab.

⁴ Xen. 1. Cy.

⁵ Eccl. 2.

⁶ Virg. 7. Aen. l. 229.

⁷ Virg. 11. l. 320.

⁸ Tac. 13. An. 55.

⁹ Gen. 1. Isa. 45. 18.

¹⁰ l. 3. de ad. re. do. (D. 41. 1).

¹¹ Aret. cons. 15. et l. 1. de ad. po. (D. 41. 2); Alc. 5. cons. 20.

¹² Herod. lib. 2. c. 15.

debut: et deberi isthac extorribus istis, certissimum puto. aut iidem inferent bellum necessario. An isthac non sunt hodie in orbe terrarum? Scilicet non is redigitur magis atque magis ad solitudinem primi acui. Et in hac eius actate decrepita foecundior est quam antea fuerit unquam. Graecia qualis nunc est, et Turcia uniuersa? Qualis nunc est Africa? Sed illa uiris foecundissima qualis Hispania est? Et sub Hispanico imperio non uacuis ferme uniuersus orbis nouus? Nam quam te memorem, Italia, nunc, et circumiecta Aquileiae, Pisis, Romae ipsi, squalida, morbida hanc ob causam paucitatis colonorum? Uerum de his forte alio tempore. Quae non uacant, ea nec debentur. Neque enim iuris est, ut quis alium amet, se se negligat. 'Quas,' inquit Florus, 'daret populus Romanus terras, agrarum legibus inter se dimicaturus?' Et hic tamen tolerabile dispendium ferendum existimo, aut uix deerit quod exulibus istis respondeatur. Et tolerabile dispendium ferendum: quod compendioque maiori, ciuium augmento, compensatur. Sane enim, quod iustissimum est facere noui aduenae debent, ut sub imperium ueniant eius qui dominus territorii est. Audi Aeneam, 'Nec mihi regna peto: paribus se legibus ambae inuictae gentes aeterna in foedera mittant. sacra, deosque dabo: socer arma Latinus habeto: imperium solenne socer, mihi moenia Teuceri constituent.'² Iustissime nec uti uult aduena opera indigenarum. et item uult iustissime, paribus legibus suos et indigenas esse: nam dat suos in Latini regnum, et in idem corpus indigenarum. Sed et casus sunt tamen, quum exules non recipiantur sub imperio. ut si periculosa sit reipublicae multitudo. Et ut Gothi cum malo magno imperii recepti fuerunt³. Et ut Romani priores sic Gallos, Cimbros suscipere noluerunt⁴. Item si profugi isti traherent bellum secum: quia bello uicti repeterentur a uictoribus, et non redditi, causa essent belli noui aduersum recipientes se⁵. Iusta haec est causa, et aliae sic sunt, cur profugi non suscipiantur. Et forte tamen nec damnaueris profugos, si extrema fugientes mala, nunc inferant bellum istis, qui iuste negant ipsos suscipere. Quid enim facerent? Si

¹ Gl. c. nisi de auct. et us. pa.; 3. Flor. c. 3.² Virg. 12. Aen. l. 190.³ Am. lib. 31. c. 4.⁴ Liu. lib. 39 c. 54; 3. Flor. c. 3.⁵ Isoc. Pana.; Caes. 4. Gall.

cauent, ipsorum multitudinem non periculosam fore, iusti sunt. si cautionem istam praestare nequeunt, impossibilitate excusantur, ut alibi in iure, etiam difficultate¹. Bellum non trahent, si nec uidentur sponte suscepti, et nec defendentur contra repetentes uictores. Nam si uictores iniusti esse uelint, et omnino bellum ex bello serere, nullum remedium superest, et exules culpa soluti tanto magis sunt. Etiam illud facere exsules debent, quod pro securitate est statutum, ut patiantur se disiungi. Semper enim debetur statibus securitas. Atque haec cautio sic superest semper. Nam imo hic non admitto, quod modo dicebam ex iure priuato, de difficultate aut etiam impossibilitate cautionis. Et rationem differentiae utriusque iuris notaui antea. Exsules, quod omnes facere tenemur, subcant potius omne malum, quam ut cum alterius incommodo uelint commodo suo consulere². Illud exsulum corpus unitum et est suspectum, et est ilico contra rationem status. Est suspectum, nam et serui ex ergastulis et compeditibus bella atrocissima concitarunt: etiam Romanae potentiae³. Est contra rationem: quia non sic uenitur in unum corpus, sed aliud excitatur. Quae de necessariis causis.

CAP. XVIII.

Qui utiliter bellum inferunt.

UTILIS uero causa inferendi bellum erit ius ulciscendi acceptam iniuriam. Et utilis est, quia qui iniuriam non ulciscitur, is alteram prouocat, iuxta illud probatissimum Publii: 'Ueterem ferendo iniuriam, inuitas 'nouam.' tum etiam, quia damna sibi sarcire est utile⁴. Iusta autem causa est haec, quoniam nostrum nobis ius laesum, et imminutum ferre nos non oportet. Nemo tenetur ius suum negligere⁵. Natura est quae tuitionem sui, pariter et ulciscendi ius defert⁶. Haec communis mortalium omnium lex, ulcisci eos qui nostra depraedantur; ait Demosthenes: et

¹ Cast. Auth. cui relictum; C. de ind. ui. (6. 40). ² Cic. 3. de Off. 10. ³ 3. Flor. 20.⁴ Macr. 2. Sat. 7.⁵ Bal. 5. cons. 382.⁶ Cic. Top.; Inu. 2.

Plataeenses aiunt apud Thucydidem¹. Ait Demosthenes: cuius orationes ad honestum, et decorum esse dicuntur: salutis quoque ratione neglecta, licet, hostem multare². Et sic Plato, Xenophon, Cicero³, 'Iusta bella defeniri solent, quae ulciscuntur iniurias, si qua gens, uel ciuitas, quae bello petenda est, uel uindicare neglexerit quod a suis improbe factum est, uel reddere quod per iniuriam ablatum est,' sic Augustinus⁴. Cacterum perspicua haec sunt nimis. Etiam species iusti interesse dicitur ultio, uel si tantum animo satisfaciatur⁵. Et mirum igitur, quid uelit Seneca, qui scribit, 'Inhumanum uerbum est ULTIO: et a contumelia non differt nisi ordine⁶.' Qui ab altero afficitur iniuria, hunc in honore non laedi uere, Philosophi tractant⁷. Et itaque uidetur, nec debere uelle offendere ad honorem recuperandum. Stoici nostri quoque faciunt suum hominem in omnia et per omnia impassibilem. At istos hic non sequimur, sed Aristotelem, M. Tullium, qui cum uulgo tribuunt opinionibus hominum ualde⁸. Et ergo traditumque est, nec habere priuatum fugere, quia dedecus id sit⁹. Cum pluribus aliis, quae sunt scripta de iniuriis in iure nostro. Sed nec de solo hic agitur honore, uerum et de rebus, quae nobis perduntur. Etiam stant reges et regna nomine, atque existimatione. Quare nomenque tueri oportet. Et culpa (quod alibi scribitur¹⁰) fuerit, relaxare uindictam. Sic curare habet magistratus, non modo suum laeso restitui, sed et punire laedentem. Aut leuiter nimis ageretur cum delinquentibus et mali incitentur ad peccandum semper: si ultio eos non sequeretur. Atque si priuatis eam non concedunt leges: quemadmodum et de priuatis sic explicant supradicti Philosophi: ratio illa est, quod priuatarum iniuriarum constituti ultores habentur magistratus, qui personae publicae bonoque implere animo ualent partes omnes ultionis: id quod iniustorum iustitia creditum est in personis priuatis, reddentibus pro malo malum¹¹. Priuatis dicitur, ut modum inculpatae seruent tutelae: et itaque

¹ Dem. adu. Aristoc.; Thuc. lib. 3. c. 54. ² Plu. Demo. ³ P. 1. de Rep.; Cyrop. et Soer.

⁴ Aug. Ios. q. 10.

⁵ Bal. l. 5 C. si ma. ita. fu. all. (4. 57).

⁶ Sen. 2. de Ira. 31.

⁷ Ficc. 6. Mo. Ph. 21.

⁸ Arist. 4. Eth. 3. 10; Cas. 6. de Sin. Cer. 1; Cic. 1. ad Q. fr. ep. 2.

⁹ Alex. 1. cons. 190; Ias. l. 3. de iust. (D. 1. 1).

¹⁰ c. 1. de po. pr.; c. 2. di. 27.

¹¹ c. 1. 23. q. 3; c. 16. 23. q. 5.

defendant se cum instrumentis eisdem, si sic se defendere possunt¹: et ut rem suam non recuperent auctoritate propria, etiam illico: et id genus alia, quae sic uindictam negant, defensionem solam concedunt priuatis: quaeque publicis personis apta dixerit nemo, et bellis. Iure naturae ultio permessa iniuriae est. etsi hoc permissum iure ciuili non est. ut bene tradit Fr. Conanus². Est autem illud argumentum, quod et iustissimum sit, punire nocentes, ius suum ulcisci. Atque iustum sit utrumque Principum, quibus magistratus non sunt. Quemadmodum et priuatorum, singulorum erat, quum magistratus non essent: et erit semper, quum magistratus non erunt, non aderunt. Et haec uera sunt etiam in caussis honoris. Ut enim sententiae uariant, si ad honorem tuendum liceat in duellum pro-uocare: et plures concludere uidentur, non licere; quia adsit magistratus, per quem ea fiat tuitio. Tamen nec in Principibus ac bellis responderi id ualet. Et priuato etiam concedetur, sicut corporis rerumque propulsare iniuriam, ita etiam existimationis, ac famae. Finge, aliquem uelle famosum edere in te libellum; et non esse copiam magistratus. Respondeo, tibi ius esse ui et armis arcere contumeliam. Crudelis, qui famam suam negligit. Cum sexcentis aliis. Quod si iam editus libellus sit, nihil tibi priuato superest, nisi idemque, quod laeso iam in corpore, in rebus. Et pares hi casus semper. Sed quando imminutum nobis dicere ius nostrum ualemus? aut patratum aliquid bello dignum ab his contra quos bellum mouere nobis in animo est? Adhibeo iterum eam inspectionem caussarum, diuinarum, naturalium, humanarum. De diuinis autem expositum est satis. Igitur ad naturales pergendum est.

CAP. XIX.

De naturalibus caussis belli inferendi.

ATQUE hic a natura bellum dicitur, si propter id suscipitur, quod a natura tribuitur, et ab hominibus denegatur. Exemplum autem sit, si iter

¹ Alex. I. cons. 76. ubi. Mel.; et 190. 3. 14. 7. 119.

² Con. I. com. 6.

negetur: si portubus, si comneatu, si mercatura, si commercio excludimur. Et de itinere ita Augustinus, 'Notandum est sane, quemadmodum iusta bella gerebantur a filiis Israel contra Amorracos. Innoxius enim transitus denegabatur: qui iure humanae societatis acquissimo patere debebat¹.' Naturaliter omnia itinera libera, Baldus ait². Et indici olim bellum solitum ab ecclesia contra Turcas, qui prohibebant quominus iremus nos contra Saracenos hostes nostros, et referunt alii, et in iure sic probant: quia id turbulentum sit, et iuri contrarium³.

Sunt haec tamen mihi non leuis difficultatis. Nam exempla sunt et rationes eorum qui iter negarunt. et exempla et rationes sunt eorum qui concesserunt. Rex Dauid armatus obsistit regi qui per fines Iudaicos ducebat exercitum contra alium. et rex Iosias transitum negavit Aegyptio, contra Medum proficiscenti, et pollicenti, transiturum se sine maleficio⁴. et rex Sichomi, et rex Edomaeorum negarunt Moysi, pollicenti eadem⁵. et Ephronitae negarunt Iudae Macchabaeo⁶. et Franci negant Narseti: atque caussam dicunt, licet singularem, quoniam Narses Longobardos, Francorum hostes, secum haberet⁷. Et Ueneti negarunt Maximiliano primo, qui cum exercitu petebat transire Romam ad imperii coronam accipiendam, atque caussabantur Ueneti, rem pacis non egere armatis⁸. Et Euburones aliiis armatis denegarunt⁹. Et Agrippinenses olim redeuntes in amicitiam cum Germanis aliiis, 'Sint transitus incustoditi, sed diurni, et inermes¹⁰.' Periculosa haec res est, ut existimo, semper, non modo si caussae singulares sunt, uel si sunt inimico animo, qui transiri habent: ut propterea negat Caesar Heluetiis transitum¹¹. Sed Albani tamen concessere Pompeio: Arabes Cambysi: Alexius Gallis, item Cilices: et alii Graeci imperatores Germanis¹². Ceterum, ut dicam nihil, quam cesserint haec infelicer, concessiones istae caussas habuere singulares ex comunione religionis: et ex hoste communi, contra quem ibatur. Timor extorsit aliiis. Caussae aliae id effecere (ut dico) singulares illarum personarum, non generales questionis

¹ Aug. Nu. q. 44; c. ult. 23. q. 2.

² Bal. 3. cons. 293.

³ Alex. 7. cons. 130; Couar. Reg. Pecc. p. 2. § 9. ⁴ 2. Sam. 8. et 2. Reg. 23; Zon. lib. 2. c. 24.

⁵ Num. 20; Deut. 2; Iu. 11. ⁶ 1. Macc. 5. ⁷ Procop. 4. Goth. c. 27. ⁸ Guic. lib. 7.

⁹ Iou. lib. 41. ¹⁰ Tac. 4. Hist. 65. ¹¹ Caes. 1. Gall. 7. ¹² Zon.; Hero. 3; Nic.; Greg. 4.

ipsius. Sententiam item Augustini supradictam minus probant alii quidam, doctissimi theologi¹. Attamen pro ea id mihi uidetur, quod non sit uerisimile, uoluisse Moysen petere minus iniustam: et ob eam non impetratam quasi iustum mouere bellum. Dicam Herculem, qui regem occidit Orcho-meniorum, armato sibi negantem transitum ac impediendum²? Teneo cum Augustino, si nec timendum sit, ne noceatur: et certum sit, noceri non posse. ut haec est ratio imperiorum: de qua antea explicauimus. Etiam Francorum, et Caesaris ratio bona hoc nomine est, quod timere ab hostibus semper oporteat. Sed et si nulla omnino causa timoris sit, negatur iuste hostibus transitus, etiam adducentibus hostes. Et hi enim, propter illam coniunctionem cum hostibus, quasi hostes sunt. Atque male hostibus facimus iuste. Antonio, ducenti secum hostem, clausurunt Brundisini portas. et idem fecere Carthaginenses filio Masinissae³. Hoc (fateor) est bellum facere⁴. Sed sic licet ex causa facere. Et qui hostes ducit, ipse rem tentat illicitam, ducere eo homines, ubi esse non possunt. Licita amittit, qui tentat illicita⁵.

Quod si igitur causa non est, cur transitus denegetur, et denegatus sit, causa belli hinc iusta est. Transire per agrum alienum, fas est⁶. Ingredi fundum alienum uenandi causa, licet item per gentium ius, et ergo nec fuerint iniusti, si qui transeunt uenia non petita, nec prohibiti⁷. Lex facit domino fundi potestatem prohibendi uenatori ingressum. Quod contra praesentem definitionem nostram facit. Nam quae ratio fundi priuati ad priuatum est; eadem fundi publici, territorii, ad publicum esse uidetur. Sed responsio facilis est. Quod diuersa imo sit ratio uenationis, et transitus. Sicut uenatio posset prohiberi in fundo, ita et bellum in territorio: ut bellum, et uenatio ualde sunt similia. At transire aliud est. et fas est. Uenatio incommoda est agro. Transitus non est incommodus: aut si incommodus est, iam nec conceditur. Quod nobis non nocet, alteri prodest, cur non concederetur? At uero si non exercitibus, et armatis, at aliis iter prohibetur, nec hostibus, nec suspectis, nec criminosis, nec similibus: tum, iniuriam fieri certum. Liber enim, et licitus, est transitus

¹ P. M. Iud. ² Soph. Trach. ³ Ap. 5. Ciu. 56, et Pun. ⁴ Aug. Ios. q. 26.

⁵ l. 3. de susp. tu. (D. 26. 10). ⁶ c. 1. dis. 1. ⁷ l. 3. de ac. re. do. (D. 41. 1);

l. 16. de se. ru. pr. (D. 8. 3).

per vias publicas, nec cuiquam prohibendus¹. Et haec ut vindicetur iniuria, et ius naturae asseratur, bellum iuste mouebitur. Audio dici, principes non tuto peregrinari tamen. Et itaque petere solitos ab aliis principibus, per quorum territorium est eundem, ut caucatur, tuto futurum, et libere iter. Et uero si ipsi principes aliquod tale sibi constituerunt ius, non est, cur alter alterum ualeat accusare iuris gentium laesi. Sed tamen Georgius Buchananus, captum contra ius gentium Iacobum regem Scotorum ab Anglis, appulsum in littus terrae Angliae, scribit².

Nunc reliqua prosequor. Et ad portus, atque comitatus quod attinet, iusta uisa est Megarensium accusatio, et quaerela, quod praeter ius gentium omni comitatu, et commercio, ac portibus Atheniensium prohiberentur. etiam creditum contra libertatem Graeciae³. Sane qui ista tollit, societatem humanam laedit. In portibus enim, nauigationibus, communicationibus, commodationibus alternae humanitatis est nexus firmissimus. quod Trismegistus dicebat⁴. ‘Hic segetes, illic ueniunt felicius uuae⁵:’ atque addit Seneca, ‘Ita in regiones descripta sunt, ut necessarium mortalibus esset inter ipsos commercium.’ Et alter plenius, ‘Si quis adeo tenax fuerit, ut bona distribui nolit: ei cauendum erit, ne legem per orbem terrarum ferat omnis improbitatis auctorem: et omnes congressus, omnia commercia funditus tollat, beneficentiae diuinae ingratus. Neque obscurum cuiquam esse potest, ullum a diuina prouidentia bonum cuiquam contingere, ut solus eo fruatur. Quod si ex aequo omnia omnibus natura dedisset, mutui amoris causae facillime praeciderentur. Itaque factum ut petamus, et demus per uices perpetuas. Quod est amicitiae lex, et uinculum firmissimum. Sic telluri praestat, ut mari nauiget: mari, ut in tellure ambuletur: ut flumina longissimos cursus in diuersas terras extendant⁶.’ Et idem Seneca, ‘Uentus omnibus inter se populis commercium dedit, et gentes dissipatas locis miscuit. ingens naturae beneficium, si illud in iniuriam suam non uertat hominum furor⁷.’ quum scilicet deficiente terra ad iniurias aliorum in oceano ignota quaeruntur. Adde illa Philonis, ‘Omnia se

¹ 1. 2. 3. de di. re. (D. 1. 8). ² Buch. Hist. Sco. 10. ³ Diod. lib. 12 c. 39; Plu. Peri. c. 29.

⁴ Trism. de Na. Deo. ⁵ Virg. 1. Georg. 54. ⁶ Nic. Greg. lib. 8. ⁷ Sen. 4. Na. Qu. 18.

‘inuicem amant propter usum mutuum, et permutantur ad uniuersi mundi complementum!’ Illa Horatii non uera itaque, ‘Nequicquam Deus absedit prudens oceano dissociabili terras: si tamen impiae non tangenda rates transiliunt uada.’¹ Imo sunt qui obseruarunt, nullam esse adeo repostam terram, sepositam insulam, ad quam ex alia terra non pateret aspectus. et factum a Deo uolunt, ut haec esset societas in oculis, et accessus ubique mutuus². Et non male obseruarunt de plerisque terris omnibus. Et optime conficiunt uniuersale documentum: etsi non uniuersaliter uera obseruatio sit. neque enim ex terra alia aspicimus Aciores, quas Cassiteridas insulas quidam uolunt. Nam orbem, quem nouum dicimus, iunctum, cognitumque Indis extremis semper fuisse, hodie non dubitatur³. Atque haec una est caussa, per quam defendi iustum uidetur bellum Hispanorum in eo orbe, quod incolae arcuerint alios a commercio. et proba esset defensio, si uerum factum narraretur⁴. Est enim commercium iuris gentium. quod non mutatur aduersus cundo⁵. At Hispani non illic commercium, sed tentarunt dominium. Et pro certo hoc habuerunt, licere terras illas occupare quae non cognitae nobis erant. quasi si idem esset in nullius esse bonis, et in cognitione nullius nostrum. Unde et Castellanis et Lusitanis regibus controuersia fuit, quam diremit Romanus Pontifex, in quam quisque partem occupandam proficisci iure uideretur⁶. Credo commune esse omnibus barbaris, ut hospites pellant⁷. Caeterum neque negari commercium dicitur, statim atque ritus aliquis negatur commercii: sed quum omne negatur commercium. Quid enim si negetur importari, quod incolis uidetur improbum? Quae ad effoeminandos animos pertinent, ea mercatores ad Belgas olim non afferebant⁸. Quaedam huiusmodi non afferebantur in ciuitatem Lycurgi, aut Platonis. Quaedam contra religionem regionis: quaedam contra disciplinam sunt: et similia. de quibus contendere aduenae non habent: qui nec ius habent mutandi mores et instituta indigenarum. Quid praeterea, si negetur mercatoribus aditus ad penitiora regionis, et accessus

¹ Phil. de Cherub. (pp. 126, 127).² Hor. 1. Od. 3. l. 21.³ Camd. Bri.⁴ Sept. 5. Hip. de Aer. 30.⁵ Vict. Relect. 5.⁶ l. 5. de iust. (D. 1. 1).⁷ Hippol. Princ.⁸ Str. lib. ult.⁹ Caes. 1. Gall. 1; Bod. 1. de Rep. 7.

detur tantum ad limites? Quod fecisse olim Britannos, nunc facere Sincenses, audimus¹. Mihi neque uestitum uidetur commercium. Hospes namque pelli non dicitur, qui in omni parte domus non excipitur. Et licet clam habere regni arcana: arcereque omnes qui aut scrutari uenerint aut scrutari possint². Etiam licitum uidetur, prohiberi aliquando quaedam exportari, ut aurum, argentumque, ne uel exhauriantur prouinciae: ast merces cum mercibus (quod ius priscum, et Lycurgi³) permutentur⁴. Sic olim consul Cicero iussit⁵. Sic Hispanus alicubi regnorum suorum facit. Anglus sic facit. Dicam de ferro in tertio libro. Extra hos casus aut alios singulares si commercium impeditur, bellum suscipitur iuste. Etiam Bononienses susceperunt contra Uenetos bellum ex hac caussa⁶. Etiam, quum per bella impediuntur (quod ualde solenne est) commercia, suadetur bellantibus pax a Principibus aliis: et, impersuasis pacem facere, bellum infertur, ut exempla apud historicos sunt bona⁷. Praesertim cum diu est, quod bellant. Ut sic in iure canonico dicitur, cogendos ad pacem inimicos post longum tempus⁸.

Uerum de commerciis satis. Nunc de mar. Hoc natura omnibus patet, et communis eius usus omnibus est, ut aëris⁹. Non igitur prohiberi a quouam potest. Littora item a natura omnibus uacant: item ripae: item flumina, hoc est, aquae fluentes.

‘Quid prohibetis aquas? usus communis aquarum est.

‘Nec solem proprium natura, nec aera fecit,

‘Nec tenues undas: ad publica munera ueni.’

inquit Latona rusticis Lyciis, qui de fonte bibere eam uetabant¹⁰. Et Ilioneus Didoni contra eius ciues,

‘Quod genus hoc hominum? quaeue hunc tam barbara morem

‘Permittit patria? hospitio prohibemur arenae¹¹.’

¹ Caes. 4. Gall. 20. ² l. 4. C. de comm. (4. 63). ³ l. 1. de con. emt. (D. 18. 1); Arist. 5. Eth. 8; 3. Iust. 3; Seru. 3. Geor. ⁴ l. 2. C. eod. ⁵ Cic. Vat. 5, ubi Ma.; Scip. Gent. 2 Parer. ⁶ Sig. ult. de Re. Ita. ⁷ Treb. Vale. 6; P. Diac. lib. 16. ⁸ c. 9. dist. 90. ⁹ l. 2. 5. de di. re. (D. 1. 8); l. 13. co. pr. (D. 1. 4). ¹⁰ Oui. 6. Metam. l. 348; Vacon. Decl. 11. ¹¹ Virg. 1. Aen. l. 540.

Defendit quidem suos Dido, sed priuata ratione,

‘Res dura, et regni nouitas me talia cogunt
‘Moliri, et late fines custode tueri.’

Sed ius generale est quod dico. Atque ita Latinus,

‘Ne fugite hospitium, neue ignorete, Latinos,
‘Saturni gentem, haud uinco, nec legibus aequam,
‘Sponte sua, ueterisque Dei se more tuentem’¹.

Quod est, tutos hospites habere apud se naturali instinctu, non lata lege, sed nata. Ut sponte est, quod naturale est. Audiamus et de Cicrone, ‘Seruanda communitas in omnibus rebus, quas ad communem usum hominum natura genuit. sic ut in prouerio, Amicorum omnia communia. ‘Quicquid sine detrimento possit commodari, id tribuatur uel ignoto. Ex quo sunt illa communia, Non prohibere aqua profluente: Pati ab igne ignem capere’². Sic quod ait Seneca, ‘Quis beneficium dixit, ignis accendendi factam potestatem’³. Imo, quod aliquis apud Plautum, ‘Datur ignis, tametsi ab inimicis petas.’ ‘Cur tu aquam grauare amabo, quam hostis hosti commodat’⁴. Etiam, panem ab hostibus impetratum, legimus⁵. Sed officia haec humanitatis non statuo leges hostibus. De non hostibus nunc dico. Noster legislator supradictas res omnes, et usum portuum eadem definitione notat⁶. De quibus intelligimus, quod illud ius sit, quo Galli, Angli, forte et alii utuntur circa naufragia. Est enim ius iniurium: ut suis dominis eripiantur, quae eiecta in illorum portus aut litora sunt per naufragium. Et uero Iustinianum ius, quod de naturali et gentium iure plurimum collectum est, iniusta haec facta condemnat late atque seueriter⁷. Et Andronicus imperator pertinaciter uoluit, hoc idem ius nostrum obseruari: et piraticam istam inhumanitatem compescuit poenis asperioribus⁸. Quanquam uero usum horum omnium dicimus communem

¹ Virg. 1. Aen. l. 563, Aen. 7. l. 203.

² Cic. 1. de Off. 15.

³ Sen. 4. de Ben.

⁴ Plau. Tri. 3. 2, Ru. 2. 4.

⁵ Plu. Sy.

⁶ Inst. de re. di. (2. 1).

D. de in. ru. na. (47. 9); C. de naufr. (11. 5); Authen. nauigia; C. de fur. (6. 2). ⁸ Niceta. lib. 2. c. 3.

omnibus, tamen eaque dicitur opinio adprobata, ut quaeri illorum possit possessio, et possint possidentes prohibere alios illis uti¹. et ita Uenetos posse prohibere alios ingredi mare illud: non quia facti sint Ueneti domini maris, quod in dominio esse nequit, sed quia sic sint possessores. Uerum mihi opinio non placet: quae laedit per inanes logos ius naturae. Ut si mare patet per naturam omnibus, id quidem claudi nemini debeat. Usurpatio isthaec esset. Et usurpationem, hoc est, factum illicitum, ait Ambrosius². Iurisdictione, protectione potiuntur Ueneti illius maris, alii aliorum. Et sic ‘Littora, in quae populus Romanus imperium habet, populi ‘Romani esse arbitror’³. Quae scilicet usu omnium communia; proprietate nullius; iurisdictione et protectione sic sunt Principis⁴. Sic sunt et publica⁵. Sic quae proprietate priuata, usu publico. Sic illa profluens aqua communis est, et ipsum flumen non tamen commune est. Et aqua profluenti sic utimur omnes, quasi alia qualibet aqua, etiam quae non esset fluminis, ueluti ad hauriendum, ad lauandum, ad aquandum. Aqua autem ueluti fluminis nec est communis, et ea sic utimur non quasi qualibet, sed non aliter, quam in flumine, ut nauigando. Hoc est, non in omnium usu, sed certi populi. Illud est omnium. Etiam omnium illud est in mari. nam mare auidis commune omnium: flumina autem publica: et itaque a mari distingui. Est autem et in mari iurdictio: aut nullus ulciscetur magistratus admissa in mari. Sed est et magistratus in mari⁶. Et magistratus iuris est gentium: itaque etiam iurdictio. Et itaque, sint ista ubique necesse est. Porro magistratus ac iurisdictionis ratione tribui Principi plurima in mari, sicut et in terra, id certum est, et iuris explorati: quae nemo subterfugiet, qui nauiget. Ipse Princeps, si mare neget in reliquis, commouebit bellum in se: quod inferent iuste illi, quibus, quod tribuit natura, negat. Agit priuatus iniuriarum pro his apud magistratum. non priuatus igitur bellum infert⁷. Et tantum de naturalibus caussis. Restat de humanis.

¹ Ang. cons. 290.² Ambr. 1, de Off. 28.³ l. 3. ne q. in lo. p. (D. 43. 8); Alc. l. 5. de iust. (D. 1. 1); Alex. 2. cons. 194; Bartol. 7. de di. re. (D. 1. 8).⁴ Bal. l. 2. de di. re. (D. 1. 8); Ang. d. l. 3. ne q. in lo. pu. (D. 43. 8).⁵ l. 23. 4. ne q. in lo. p.; l. 1. de fl. (D. 43. 12); l. 30. de. ad. re. do. (D. 41. 1); Don. 4. com. 2.⁶ l. 2. de or. iu. (D. 1. 2).⁷ l. 13. de iniu. (D. 47. 10).

CAP. XX.

De humanis caussis belli inferendi.

HUMANAS caussas dicimus alias omnes: quum uiolato aliquo iure hominum ad bellum descenditur. Nam, iustum esse, ulcisci iniurias, et punire nocentes, et ius suum uindicare, definitum est. At quando uiolatum dicemus ius? Utique quum certi de ea re erimus, ut est quoque expositum: et theologi itidem scribunt¹. Neque enim hic est bellum, nisi pars quaedam iustitiae, quae punire crimina uelit. Non est autem poena nisi criminibus certis². Et dubium tamen si quod uidetur, neque id uelit princeps relinquere indiscussum et indefinitum, tardius quidem, sed accedet tandem ad arma etiam pro re dubia, si alter a quo uiolatum ius creditur, neget inermem subire disceptationem, aut per istam disceptationem non absolutur res. Uidelicet uincitur mala causa eius qui se probari non patitur. Et numquam necesse est, nos deserere inuestigationem iuris nostri. Leuem uero iniuria esse numquam oportet quae malum adeo atrox commoueat³. Audisti, quae de iusto metu tradidimus. Ut enim pro leui et damno, et iniuria priuatorum detur priuatis actio, non tamen magistratus exerit gladium nisi ex grauissima causa. Et medici non nisi grauissimis morbis remedia grauissima afferunt: eumque censent imperitum et inhumanum, qui ferrum et ignem meditatur aliter atque molitur. Uituperatus et Draco ab omnibus, qui pro delicto quouis sanguinem et uitam posebat: et sanguine uerius, quam atramento leges conscripserit. Monet Aristoteles, ne bellum suscipiatur ob leuem causam⁴. Augustus laudatur, quod non ob leuem suscipere causam consueuerit⁵. Et barbari illi non barbare, 'Quibus-uis caussis moueri, uanissimum, si tolerabilia sunt, nec absurdum stare, at insanabilia et ingentia pati et indecora, hoc timidi, et desidis⁶.' Et ita maximus auctor Polybius, 'Fugiendum bellum, non tamen ut omnia pati

¹ Bell. 5. Cont. 3. c. 15.² l. 5. de poen. (D. 48. 19).³ Sen. Suas. 5.⁴ Arist. 7. Pol. 14. 21.⁵ Suet. Aug. 21. 25.⁶ Agat. 3. Goth.

'uelimus, ne in id incidamus. pax, si iusta, ea pulcherrima. alias nihil in-
'iuste faciendum, nihil turpiter patiendum, ut pacem habeas¹.' Et de leui
sic caussa ante etiam indicaui.

Contrarium autem his non est. quod bella multa, saepe et in exitium,
ob leuissimas causas fuerint: ut hoc alii obseruarunt². Nam facta nos
non quaerimus, aut ex factis ius constituimus: sed ex iure examina-
mus facta, et faciendis praedudicamus. Neque Uirgilius (quod temere
in eo reprehendunt grammatici³) belli Troianorum, et Latinorum caus-
sam facit cerui caedem. Et si faceret tamen, non insolentissimum (ut
audis) faceret. Primos belli motus ex eo excitatos, ait Scaliger prope
ad meam sententiam. Minturnus ita, 'Uenatu Ascanii excitatum
'sic bellum, nemini non probatur⁴.' Occasio scilicet, et principium
belli illic, non caussa. Ut itidem ceruus facit proclium conseri inter
Lucullum et Mithridatem, uel nolentes⁵. Sic equus aliquando unus, aut
leuis lixarum rixa attrahit proclium iustum. Et sic ut Tacitus loquitur,
'Discordiae raptu frugum et pecorum inter agrestes, iam per arma atque
'acies exercebantur⁶.' Caussae a principiis sunt distinguendae, quod
causae in rebus primae sunt: principia ultima caussarum. principia primae
hominum actiones in rebus, quae iudicatae, atque deliberatae sunt: caus-
sae, quae iudicium, deliberationemque praecedunt, quaeque efficiunt, ut ita
iudicemus. Ut ita de caussis et principiis bellorum Polybius⁷. Et sic
Virgilius de illo ceruo, 'primae exordia pugnae⁸.' De caussis belli ante
praecesserat, aut de caussa potius, Lauinae nuptiis, propter quas Juno et
Alecto mouent Amatam, et Turnum, et bellum. Ecce ante, 'Arma amens
'fremit: arma thoro, tectisque requirit: Saeuit amor ferri, et scelerata in-
'sania belli.' 'Ergo iter ad regem, polluta pace, Latinum indicit primis
'iuuenum, et iubet arma parari, tutari Italiam, detrudere finibus hostem.'
Et hinc quoque rectius dicitur principium belli, quando prima illa pro
caede cerui secuta pugna est. Audi tamen de caussa, 'Lauinia uirgo
'caussa mali tanti.' Sic oracula, sic monstra, sic omnia, sic suprema Turni
uox, 'Tua est Lauinia coniux. Ulterius ne tende odiis⁹.' Sed iam multa

¹ Polyb. lib. 4. c. 31.² Bod. 4. de Rep. 7.³ Mac. 5. Sat. 17.⁴ Scal. 3. Poe. 9; Mint. Poe.⁵ Plu. Luc. 15. 7.⁶ Tac. 4. Hist.⁷ Polyb. lib. 3. c. 4.⁸ Virg. 7. Aen. l. 40.⁹ Virg. Aen. 7. l. 460, 467; 11. l. 479; 12. l. 938.

nimis contra grammaticos. Sed non multa tamen contra Modestinum iuriconsultum, qui itidem cum grammaticis ad septimum Uirgilio, 'Belli caussa fuit uiolatus uulnere ceruus.' Non leuis porro haec caussa, uxor regno dotata. magna Turno amanti caussa: cui et toties data dextera. Et haec magna caussa Aeneae, cui Lauinia sponsa. Magna belli caussa Helena rapta, et simul uiolatum hospitii ius, ut ita scribit Strabo: et defendit Plutarchus contra Herodotum: qui dixit, bellum susceptum a Graecis stulte propter malam mulierem: quae utique nec rapta fuisset, si ipsa rapti noluisset¹. Plutarchus ui raptam uult. ego illud dico, iniuriam uiro eius factam maiorem, si non per uim rapta fuit, at uolens, et corrupta. quoniam animus alienus uiro redditus hic est, illic non est. Qua ratione fuit Athenis poena eorum leuior, qui per uim potiti alienis uxoribus essent². Et in iure nostro actio iniuriarum nascitur patri, uiro, domino, siue uolentem siue nolentem, filium, uxorem, seruum alterius quis re laeserit, aut uerbis. et de corruptione est quoque actio³. Et licet est quaestio inter nostros interpretes, an pax rupta dicatur ex adulteratione uxoris; et plures negant ruptam. tamen et nec pauci, nec contemnendi sunt alii, qui contrarium adfirmant: et priores pessime docuisse⁴. Etiam et de rupta pace quaestio alia est, quod expono in tertio libro. Sane etiam decennale fuit bellum inter Phocenses et Thebanos propter foeminam raptam⁵. Et itidem decennale ob eandem causam inter Phocenses et Cyrrheos. Haec raptio foeminarum caussa illa hostilitatis immortalis Graecorum et barbarorum, ipsique adnotata Herodoto in primis est. Illud eius regis ridiculum, ut ut Plutarchus referat in Apophthegmatibus ad Traianum, qui ridebat bellum ex hac caussa susceptum, et de suis ipse plures pro una reddere mulieres pollicebatur. Quasi omnis mulier ea esset, pro qua periclitari Theseus, et omnis coniuurare Graecia posset: ut in laudibus Helenae scribit Isocrates: aut quasi is aestus libidinis, qui bellum accersiuit Troianis, Graecos in bellum impulerit. Horatius et hoc falso, 'Nam fuit ante Helenam⁶.' Honestas mulierum attaminata belli causa est. nec enim aut ab hoste tangi

¹ Str. lib. 13; Plu. de Hero. Ma.; Hero. lib. 1. c. 4.

² P. Vict. 32. lect. 15.

³ I. 1. 26. de iniur. (D. 47. 10) et C. de ser. cor. (6. 2).

⁴ Rom. cons. 183; ubi add. Alex. 115. 4; ubi add. Mo. Alex. 113. 2.

⁵ Athen. lib. 13.

⁶ Hor. 1. Sat. 3. l. 107.

honestas debet, quod proximo libro exponam. Et quid rebelliones populorum unam hanc ob causam memoro? Illa Romanorum a Superbo nota. 'Superbia bonis est crudelitate grauior. Tamdiu tamen superbiam regis 'populus Romanus perpressus est, donec aberat libido. hanc ex liberis eius 'importunitatem tolerare non potuit!'. Ecquid igitur si etiam negligitur haec uindicari iniuria? superadditus contentus est: qui nec modica iniuria est. Et ita Strabo recitat, iuste illatum fuisse bellum Messeniis, qui non multarint compellatores conuiciosos alienarum mulierum². Iniuria fuerat, appellatione, quae nunc aucta sic est³. Et Augustinus sic adfirmat, iustum fuisse bellum cum Sichimitis, qui tantam intulerunt iniuriam Iacobi filiis, contaminata eorum sorore⁴. Quod si Iacobus et spiritus Dei imo bellum illud uituperat, lateat hic aliquid⁵, ut idem ait Augustinus. Et illud hoc est, quod et per fraudem foederis bellum fecerint: eadem bellicam in pace designarint, ut in simili casu Dauid⁶. Excesserunt quoque illi fratres multo iustae uindictae rationem. Audi ecce uerba Iacobi, 'Simeon, et 'Leui fratres: instrumenta uiolentiae conuentiones eorum, pro ira sua occiderunt uiros: et pro arbitrio suo auulserunt boues. maledicta ira eorum, 'quia uehemens, et furor eorum quia saeuus.' Et Hieronymus, 'Foederatos uiros interfecerunt, contraque ius pacis, et amicitiarum sanguinem 'fuderunt innocentem, et quasi quodam furore sic crudelitate rapti muros 'hospitae urbis euertunt⁷. Innocentes autem iste intellexit aut non obstrictos illi contaminationi, aut etiam omnes post compositam pacem. Nam antea erant nocentes: contra quos et esse bellum poterat. Et sic itaque idem Augustinus ex persona ecclesiae contra synagogam, 'latronum ritu 'uastasti innocentes Sichimitas⁸. Fuit bellum Israelitarum contra Biniaminitas eandem ob causam uiolatae, nec uindictae mulieris, atque bellum ore Dei sancto probatum, et gestum forti manu est⁹.

Sed sunt aliaque caussae bellorum: quas omnes aut persequi, aut enumerare longum foret. Narro in secundo libro de armis Romanis, quae horum fuerint omnes bellorum caussae. Traianus bellum contra regem Armeniae

¹ Flor. lib. 1. c. 7. ² Str. lib. 8. c. 4; Iusti. lib. 3. c. 4. ³ l. 15. de iniur. (D. 37. 10).

⁴ Aug. Ge. q. 167.

⁵ Gen. 49; Ose. 6.

⁶ 1. Reg. 2.

⁷ Hier. q. Gen. c. 49. v. 5.

⁸ A. Alt. Ecc. et Syn.

⁹ Iud. 19. seq.

mouit. quod is non a se. sed a rege Parthorum. coronam regni accepisset¹. et iusta belli caussa fuit. magnum enim est magno rege cliente spoliari. Atque ab imperatoribus Romanis coronam rex ille Armeniae sumere magis sueueerat: quod illud regnum usque inde a Tigrane per Magnum Pompeium uicto sic pertinere ad Romanos uidebatur². Digna mihi causa uidetur. cur Cyprus auferretur regi. et bellum in eam rem decerneretur. quicquid hoc scelus. hoc latrocinium. rem nefariam clamitet Cicero non uno loco. et alii etiam scriptores aut auaritiæ factum condemnent³. Nam Clodii. inimicissimi hominis. laudare nequit Cicero actionem: quam tamen sanctissimus Romanorum. M. Cato egit. et tutatus est. Quis Catonem coegisset. prouinciam illam suscipere. quam non probasset? Rex ille Clodio. a piratis capto. in redemptionem duo tantum talenta prae auaritia dicitur contulisse⁴. Quod si (ut est uerisimile. et ut Rhodii pacto tenebantur. uel uni cuiquam Romano cui. quoties opus esset. succurrere⁵) et iste Cyprius rex debuit adesse Clodio: iam habemus regem delinquentem. et (quod scribit Strabo⁶) ingratum aduersus benemerentes Romanos. quorum fretus imperio (ut ipse inquit Cicero) perfruebatur otio et regno. Dico alibi. et iterum de hoc uitio ingrati. Quod si. rebus non repetitis. aliis non actis solennibus iustisque. res ea peracta est. (ut item accusat Cicero) crimen ego non defendo hic. nam de materiali causa hic quaerimus bellorum; illa alia quaestio est de formali. Et hoc de facto Cypriico etiam trado in libris de armis Romanis. Uidemus hic etiamnum de una atque altera materiali. Hercules non iuste bellum mouere in Troianos uisus. ob equos sibi ex pacto debitos. nec praestitos⁷. An quia leuis causa rei leuis et ferendae iacturae? Idem igitur erit iudicium de bello altero. quod Augiae intulit. ob mercedem non acceptam purgati stabuli⁸. Atque ita uerum de eo Homerus dixerit. quemadmodum multa fecit iniuste. et multa tulit⁹. Bella eius furiosa propter mulieres alibi accusantur. et haec quidem recte¹⁰. Ut Dariusque uituperatur. qui bellum contra Scythas

¹ Zonara. lib. 11. c. 21. ² Suet. Aug. 21. Ty. 41. Ner. 13; Tac. An. 2. 3. 6. 11. 12. 13. 15.

³ Cic. pro Do. 8; pro Sext. 26; Am. lib. 14. c. 8; Sex. Ruf.

⁴ App. 2 Ciu. 23.

⁵ App. 4. Ciu. 70.

⁶ Str. lib. 14.

⁷ Str. lib. 13. c. 1.

⁸ Paus. lib. 5. c. 1.

⁹ Hom. Hy. Herc.

¹⁰ Sen. Her. Oc. 2. l. 425.

mouit, quia filiam regis eorum nequirit impetrare uxorem¹. Nec enim fit iniuria illi, cui aliquid non datur, sed cui suum aut debitum denegatur. Belle scriptor historiae Darii huius, 'malo publico uerecundiam, et libidinem suam studuit uindicare.' Ceterum ad mercedem quod attinet, Baldus scribit, inferri bellum posse ob debitum pecuniarium non solutum, scilicet quod ciuilitate fieri nequit, id facto liceat facere². Et ui, et dolo uti possimus sic ad nostrum consequendum. Et quidem ob raptas res non bella Romanis plurima, et prima? Sed tamen capiendus est Baldus de re nec leui. Et nec leuis erit iniuria, quae facta personae sit digniori³. etiam et defendi potest Hercules, quasi ultor perfidiae atque periurii, non damni sui, et illa est causa honestatis, de qua sermo ultimus huius libri est.

CAP. XXI.

De malefactis priuatorum.

ATQUE supradicta sunt, si princeps, aut populus peccauit. imo et si peccauit priuatus; atque huius emendare peccatum neglexit princeps, aut populus. Uerum de his priuatorum, et populorum factis cognoscenda nonnulla sunt adhuc. Et illud primum, quod priuati nocere uniuersitati non possint iuste. etenim nec quacrum uniuersitati⁴. Non imputatur uniuersitati delictum singulorum⁵. Et nota haec sunt omnibus, dicente Baldo, aliis⁶. Scilicet aliud singuli, aliud uniuersi. et itaque singuli ex contractu nec obligantur uniuersitatis⁷. Et itaque Lilius scribit, nullo fuisse Sabinos auxilio publico a Ueientibus adiutos: at ualuisse pactam cum Romulo fidem induciarum apud eos: quicquid uoluntarii quidam, et uagi ex plebe inopes, mercede ducti cum Sabinis fuerint⁸. Et sic Latinos respondisse, alibi narrat. De plebeis responsum. nam in bello cum Uolscis gesto, cum pars maxima captiuorum ex Latinis atque Hernicis fuisset in-

¹ Ior. de Or. Ge.; Oros. lib. 2, c. 8. ² Bal. l. 5. de iust. (D. 1, 1). ³ l. 7. 9. de iniur. (D. 37. 10).

⁴ Dec. cons. 221. 667.

⁵ Fely. c. 6. de Const.

⁶ Bal. 1. cons. 439; Alc. 5. cons. 23.

⁷ Bal. 3. cons. 47; Alc. 3. cons. 7.

⁸ Liu. lib. 1. c. 30.

uenta, addit Lilius, nec hominem de plebe, ut credi posset mercede militasse, sed principes quidem iuuentutis inuenti, manifesta fides, ope publica Uolscos adiutos. Quae disputationes sunt pro illis Gallis, de quibus notauit antea in fine capituli quarti. Et scio tamen coniecturas has esse ualde incertas. Non etiam obstringent uniuersitatem, si illi capti sic contra ciuitates suas, ut Latini illi, et Hernici fecisse dicuntur, quod publico essent missi consilio, testarentur. Neque enim nisi leue facit indicium testatio eius qui ait, mandatum sibi maleficium extitisse¹. Non eius probat testimonium qui sperare commodum ex eo potest quod pro testimonio dicit. ut sperare isti priuati possunt maximum: qui ius belli sic habebunt, si a publico missi sunt². Si qui uere habent mandatum a publico, dicant tamen, non ex mandato fecisse se, sed sponte sua: ego putarim, non esse publicum excusatum. etsi in aliis casibus sic excusari mandator solet³. nam hic tenentur mandatarii isti parere iussui. itaque necessariae causae tribui factum oporteat⁴.

Sic igitur priuatus non nocet uniuersitati. Et sic illud in formula foederum, SI DEFEXIT PUBLICO CONSILIO. Iniquissimum uidelicet existimarint, ut unus aliquis trahere bellum contra ciuitatem, aut contra regnum integrum possit. Quam priuatus fecit iniuriam, non debet luere respública. Rex Galliae conquerebatur, eum Uenetiis comitatum, et puluerem tormentarium, aduectumque hostibus suis⁵. Sed responderunt Ueneti, ciuitatem illam liberam, ubi nemini umquam interdictum negotiari: et factum illud a priuatis mercatoribus fuisse. Sed Romani tamen iustum non putarunt, quod respondit Teuca regina Illyriorum, curaturam se, ne qua ab Illyriis suis iniuria publice Romanis hominibus inferretur: priuatam autem Illyrios e mari capere utilitatem prohibere, non esse regibus consuetum⁶. Nam responderunt huic responsioni Romani, sibi que morem esse optimum, priuatas iniurias ulcisci publice, et iuuare laesos: adeoque daturos operam, ut cogeret illa regis illiusmodi consuetudines emendare. Recte. nam tenetur ciuitas ciuem defendere⁷.

Et hic dico ego, duas esse quaestiones: alteram, si factum priuatorum ilico

¹ Clar. § fi. q. 21; Ceph. cons. 113.

² Bar. l. 18. de iu. fi. (D. 49. 14); Ale. 6. cons. 15.

³ Dec. 3. cons. 104.

⁴ l. 1. de solut. (D. 46. 3).

⁵ Guicc. lib. 5.

Polyb. lib. 2. c. 8.

⁷ Bal. 4. cons. 106.

illaqueat uniuersitatem : alteram, si uniuersitas negligit illud factum emendare, iam nunc illaqueat ipsa se. Et in priori sic conclusimus, uniuersitatem non illaqueari. Atque id est, quod Romani tantum a Teuca petunt, ut piraticam illam uctet in posterum. Et iidem legatos mittunt Carthaginem sciscitatum, publicone consilio Annibal Saguntum oppugnasset¹. Nec antea uolunt indici Carthaginensibus bellum, quam isti publicum assererent factum aut ipsa re : ut est scilicet ratihabitio etiam fortior quae re fit, quam quae uerbo : et est delicti quoque ratihabitio². Satisfaciendum fuit Romanis, quod factum fuisset, aut poena soluta criminis de quo agebatur, aut eo dedito qui deliquerat³ : alioqui inferri uniuersitati bellum possit. Atque ita in posteriore quaestione adfirmamus, ipsam se uniuersitatem bello obstringere, quae cum possit, et uero etiam debeat, suos in officio continere, hoc facere negligit male. Culpa caret, qui scit, sed prohibere non ualet. quare quae scit, admonita uniuersitas, et debet eadem, potestque per suam iurisdictionem prohibere delicta suorum, in culpa crit, et in crimine, si non prohibet⁴. Et ita illatum Messeniis bellum a Lacedaemoniis scimus ob interfectorem Lacedaemoniorum quendam non deditum⁵. Haec belli causa Eleos inter et Lacedaemonios : quod Lacedaemonius uir ab Eleis habitus male⁶. Haec Israelitarum cum Beniaminitis. Haec Romanorum cum Teuca. Haec plura. Et nostri haec quoque ita docent interpretes⁷. Sed et represaliae hic indicuntur saepe, non bellum : quemadmodum ob denegatam iustitiam, ita etiam ob neglectam⁸.

Etiam illud traditum est, non modo laedi publicum focus, si expresse neget uniuersitas lacsis satisfacere, sed etiam si longo tempore feret iniuriam fieri, licet a principio nulla fuerit communis deliberatio⁹. Sic sane concludunt, ciuitatem tencri pro delictis ciuium non momentaneis, sed successiuis, continuatis. et hoc tamen si et sciuit, et potuit prohibere. ut prohiberi successiua posse uidentur a ciuitate potenti : quia tempus supersit¹⁰. Successiua, dicam delicta an non? successiua certe ea sunt, quae cum periculo magno, ac detrimento regni Angliae

¹ Liu. lib. 21, c. 18. ² Alc. 5, cons. 51; Cla. § fi. q. 87; l. 152. de reg. iu. (D. 50. 17).

³ Cic. 1. Ver. 2. ubi Manut. ⁴ l. 50. 109. de reg. iu. ⁵ Paus. lib. 4. c. 5.

⁶ Paus. lib. 6. ⁷ Alc. l. 5. de iust. (D. 1. 1) et cons. 23. lib. 5. ⁸ Rom. cons. 169.

⁹ Dec. cons. 486. ¹⁰ Ferr. cons. 2; Alc. d. 23; Ias. l. 27. si ce. p. (D. 12. 1).

foederatorumque, facere tentant alii, ut ad Hispanos deferant commectum, et quod in bello usui esse solet: etiam facere pergunt rogati ne faciant: etiam petunt, ne rem istam rogentur: quae contra ius gentium, et commerciorum libertatem est. Magna quaestio: hinc iure stricto pro his, illinc stante pro Angli acquitate. Sed quis tamen nescit, 'in omnibus rebus 'praecipuam esse iustitiae aequitatisque, quam stricti iuris rationem?' legem aequitatis iuri antestare stricto? sententiam scripto? bonum, et aequum esse ius¹? Esse autem aequo acquius: et fauorabili fauorabilius? et utili utilius²? Lucrum illi commerciorum sibi perire nolunt. Angli nolunt quid fieri, quod contra salutem suam est. Ius commerciorum aequum est: at hoc acquius tuendae salutis, est illud gentium ius: hoc naturae est, est illud priuatorum: est hoc regnorum. Cedat igitur regno mercatura, homo naturae, pecunia uitae. Istae sunt rationes soluendi legum pugnas: ut digniori, utiliori, aequiori cedatur legi³. Ut sacra cedatur a profana; spectanti animam a spectante corpus: spectanti corpus, a spectante fortunas; iuri naturali a lege, quae etiam aequum contineat et ius naturale; statuenti tuitionem suorum, a statuente tuitionem alienorum: habenti bonum publicum, ab habente priuatum: aequae a rigoro-rosa; necessarij casus a non tali; praecipienti et uetanti a permittente; ueteri a noua; priuilegiatae causae magis, etc. Haec in ciuitate est ratio, cur de suo saepe facere nequeant homines quod uellent: ne quid respublica caperet detrimenti: ne quid etiam non aequi in alios priuatos rediret⁴. Et hic ratio publicae rei est, publicae partis orbis. Hic tantum illud sumus admonendi, etsi in promptu est, ut animaduertamus, quum iuuare uolumus, nos uti excusatione aduersus alios quos inuiti offendimus, quacunq̄ possumus, quare id quod facimus, necesse sit, nec aliter facere possimus: cacterisque operis et officij futurum quod uiolauerimus, compensandum⁵. Haec Cicero, si quando alios contra alios tueamur: quae tanto sunt certiora in defensione propria nostra. Et disputatio eiusdem lata, quod contra naturam sit, et contra leges populorum, hominis incommodo suum commodum

¹ l. 8. C. de iudi. (3. 1); Cic. 2. de Inu. 48; l. 90. de reg. iu. (D. 50. 17).

² Bal. 5. cons. 233. 371; Dec. cons. 25.

³ Steph. Fred. de Int. p. 2.

⁴ l. 2. de his, qui su. su. (D. 1. 6); l. 1. de aq. co. (D. 43. 20).

⁵ Cic. 2. de Off. 19.

augere: etiam quam omnia incommoda subire, uel externa, uel corporis, uel etiam ipsius animi, quae iniustitia uacent. esse etiam quae pro aliis facere liceret, nullo modo pro nobis ipsis¹. Ea disputatio lata nec aduersatur nobis: qui hoc defendimus cum eodem auctore, sic licere tamen de commodis detrahare alienis, si utilitas multa reipublicae, atque hominum societati pariat. Quod enim inutile reipublicae sit, id cuiquam ciuium utile esse non possit. Reponantur hic, quae de societate diximus hominum latissime. Et quod isti societati consulitur perualde, si medium non uellitur de fornice saxum, etc. Illi ipsi, alii, qui nunc ferunt aegre, commercia sic impediri sibi, illi abstinere commerciis his, illi prohiberi deberent ab aliis, etiam quum negligerent Angli rem. Placere ipsi etiam Collatino debuisse innocenti exilium suum, quod urbi utile uisum fuit. Placere his mercatoribus debet interdictum sibi commercium, lucrum creptum, quod utile tantae parti est orbis, imo orbi omnino uniuerso. Tolerent id mali ad tempus. Id nec est impediri commercium: ut neque, quum nisi ad loca aliqua impeditur. Tolerent certum praesens incommodum minus propter maius etiam incertum futurum. Sic auctores iuris². Quod autem pro Anglis dixi, idem dico et contra Anglos, et contra alios, qui nunc, bello durante inter Caesarem et Turcam, commoda bello ad Turcam ferrent. 'Quod tibi fieri non uis, alteri ne feceris.' Atque de his hactenus.

Quaeri autem de eo nunc potest, 'quod sit factum publicum aut priuatum.' Nam Polybius publicam a priuata iniuria distinguit magnitudine³. Hyperides contra, re parua, triremi una, publicum factum censuit, in oratione de foedere Alexandreo. Grauior est autem iniuria, quae fit a pluribus: sed tamen non ideo publica est⁴. Atque ita nostri iuris interpretes rectius, et explicatius docent, factum esse publicum, quod deliberatum a legitime congregata uniuersitate est⁵. Itaque non esse publicum, quod uel a magistratu factum, uel etiam a toto populo per aliquem concursum aliter est. Eleganter Augustinus, 'Aliud est, quod in populo quisque habet peccatum ' proprium, aliud, quod commune, quod uno animo fit, et una uoluntate ali- ' quid multitudine comparata committitur. Ubi uniuersi, ibi et singuli: non

¹ Cic. 3. de Off. 6.² Panor. c. 17. de Spons.³ Polyb. lib. 4.⁴ Soc. 1. cons. 43.⁵ Pa 1. de Con.; Bal.; Alex. 6. con. 13; Fer. 2; Eug. 86; Bal. 1. 283; Felx. c. 6. de Const.

‘ autem ubi singuli, continuo ibi uniuersi. Singuli enim esse possunt sine uniuerso: uniuersi autem non possunt nisi ex singulis quibusque constare. ‘ nam singuli quique congregati, uel in summam reputati, faciunt uniuersos¹.’ Addunt nostri explicatius, quod factum a maiori parte dicitur ab uniuerso factum, et publicum, si a maiori non singulorum, sed uniuersi parte factum est². Quod et certum. De legitima congregatione aiunt, aut sono tubae, uel campanae, uel alio modo consueto oportere eam esse congregatam. Et quando non tota conueniret ciuitas, etiam debere consilium praecedere commune ad factum, nec esse satis, si bellicis ciuitatis instrumentis et signis procederetur. Si tota conueniat ciuitas, nihil interesse, an haec interuenerint, et concilium. facta enim sic sunt satis, ut uerba. Et sic de Ancharano Ferretus docet. Quae hic satis. Si non omitto illud quoque dicere, quod ut ut haec exigantur ad delictum facti, non exiguntur tamen ad delictum non facti. hoc quippe non facti admittitur sine tanta solennitate³. Et exemplum est, quum uniuersitas negligit factum priuatorum emendare. Recte. Nam cur non se congregat? Aut sic erit in potestate ciuitatis, culpam semper et bellum effugere.

CAP. XXII.

De uetustis caussis non excitandis.

SEQUITUR nonnulla alia quaestio. Et prima haec, si uetustae causae afferri possunt ad bellum faciendum. In qua ego sane arbitror, non afferri posse. Non decet. reges meminisse iniurias ueteres, quod ipsique audet Ioui Prometheus dicere⁴. Et historicus, ‘ obsoletis criminibus perfricta ‘ fronte renouandis rex Siciliae bellum imperatori minitur⁵.’ Et ita Ioannes Bodinus quoque, ‘ Uetera huc non afferentur⁶.’ Alioqui quid uetat, quominus causa sit semper aliqua, si persequi, et producere antiqua, et antiquata possimus? Probaui ego semper Annibalis supra Polybii et Liuii

¹ Aug. Leu. q. 26.² Alc. l. 27. si ce. pe. (D. 12. 1), cons. 23. lib. 5.³ Bal. d. 283.⁴ Lucia. Prom.⁵ Niceta 1. Alex. 7.⁶ Bod. 5. de Rep.

iudicium: qui duo historici ducem illum reprehendunt, quod moturus in Romanos bellum, non a repetenda Sardinia, quae ablata suis per occasionem belli mercenariorum, statueret, diceret causam belli, sed inanes et ratione carentes alias Saguntinas: unde sibi principium nasceretur Romani belli¹. Nam, ut putem, non ueras fuisse causas, quibus in bellum Saguntinum moueri se, Annibal afferebat: at illas fuisse ueras, puduisse Carthaginenses, nobilem populum, ablatum mare, raptas insulas, adiecta sibi tributa: quod tamen transactum de his erat, induci potuit postea de iisdem minus recte, et disputari². Siciliam nimis celeri desperatione rerum concessam; et Sardiniam inter motum Africae fraude Romanorum, stipendio etiam superimposito, interceptam; uerum sit, hic tamen nodus est, si quod per suam desperationem male in finiendo bello fecerunt, id post retractare Carthaginenses iuste potuerint, et certe non potuerunt. Nec enim ista dicuntur in bellis, disputationibus uiolentis. Sed et quis rescindit transactionem litis ciuilibus, praetextu hoc: quod ad eam descenderit quia, aliis tum litibus occupatus, et aliis distentus negotiis, superesse ei praeterea liti nequisset? Hoc praetextere Carthaginenses habuere pro Sardinia. Nam si fraus praeterea, et perfidia aliqua Romanorum intercessit, (de quo disputo in libris de armis Romanis) concludi pro Carthaginensibus posset, et tamen res fuerit semper impeditior. A Sagunto rectius omnino Annibal qui, nec moueri a se in Romanos bellum dixerit, etsi Saguntum oppugnaret. Quaestio est scilicet, si comprehensi foedere cum Romanis Saguntini essent; et, comprehensi licet essent, quod tamen hostibus Annibalis subsidio, et perfugio fuerint, eos Annibal oppugnabat iustissime. Ipsos etiam Romanos, quibuscum per tot foedera iunctus erat, oppugnasset recte si Romani sic subuenissent hostibus Carthaginensium, quemadmodum Saguntini subuenerunt; et ex recenti (ut nunc quaerimus) causa intulisset. Hanc recentem causam quaesiere Romani, bellum suscipientes contra Philippum regem Macedoniae, neque enim priores ab eo acceptas iniurias, sed praesentem Gracciae statum obfendunt, 'eam causam praetextentes, quod Gracciam Philippus inuasisset,

¹ Polyb. lib. 3. cc. 8, 13; Liu. 21. c. 5.

² Flor. lib. 2. c. 6; Liu. 21. c. 18.

'sed reuera ob priores iniurias,' ait historia¹. Ille speciosus, et commodus esse potuit titulus: sed et hic praestitit ad iustitiam. Si quidem iniuriarum titulus non superesse uideretur, quasi abolitae dissimulatione essent iniuriae². Et semper praestat causa recentior: etsi altera nec dudum antea extitisset. Etiam prudenter, pax dum componebatur inter Gallum et Hispanum ante annos aliquot, uisum fuit, ut, antiquis silentio praetermissis contentionibus, tantum de recentioribus tractaretur, quae componerentur³. Quod si nolumus existimare, eos reges uoluisse pro parte amicos fieri, controuersias antiquiores pro antiquatis habuisse intelligentur.

Non sic de iure priuato per omnia. Sed nec inter principes lis ciuilis finita quidquam faciet, quominus alia existere uel de antiquiori re queat. At in hoc armorum iudicio, quod est hostilitas, et cuius finis amicitia et pax est, composita omnia esse habent, ut suo tempore exponam. Ceterum quod in causis priuatorum fit, et in publicis etiam, si ciuilitate disceptetur, ut praescriptione temporis excludantur actiones, an et bellica actio itidem excluditur? Et quae olim esse potuit iusta belli causa, ea post multorum decursum annorum est iusta? Sane si iure legitimo sic arcentur actiones, quid non etiam causae belli, et hac arceantur actiones armatae? Bono publico introducta est usucapio, et praescriptio, ut sit aliquis litium finis⁴. Quid ni et bellorum? Aiunt Lacones, 'Hanc colimus ' terram ab Herculis posteritate datam, Delphico oraculo confirmatam, et ' incolis eius bello ' (nota triplex ius possessionis) 'superatis. Non uos latet ' possessiones, siue priuatas, siue publicas praescriptione longi temporis confirmari. Messenam tenuimus amplius quadringentos annos⁵.' Atque eadem fere omnia, id certe, quod modo quaerimus, etiam Iepthes respondit Ammonitarum regi de iure praescriptionis, 'Dum habitauit Israel in ' omnibus illis ciuitatibus trecentos annos, quare non eripuistis eas tempore illo⁶?' Et id est, quod alii theologi⁷ (nam alii uolunt, quod contra ius istud praescriptionis est⁸) in proposito sic obseruant, Iudacos numquam fecisse uerbum de iure Semi, auctoris sui, quod aduersum Chananaeos erat,

¹ Zonara. lib. 9. c. 15.² l. 2. de iniur. (D. 47. 10).³ Nat. Com. lib. 2.⁴ l. 1. de usucap. (D. 41. 3).⁵ Isocr. Archid.⁶ Iud. 11. ubi not.⁷ P. M. Iud. 1.⁸ Epiphani.; Aug. de Te. ser. 105.

occupatores terrae eius. longissima enim praescriptione quingentorum annorum eam terram Chananaci tenebant. quae si non ualeret praescriptio, uix ullus dici legitimus princeps posset. Ueteres Persarum ac Macedonum terminos, et possessa Cyro et Alexandro 'per uaniloquentiam' reposecbat Artabanus, Parthorum rex, a Tyberio, ut inquit Tacitus¹. Et Solimanus longe uarius post annos mille iura repetebat Constantini. et Carolus quintus haec et alia superiorum Augustorum²; et a Constantino ipso, et a filio eius et ab Alexandro Seuero ante. Rex itidem Persarum omnia quae olim usque ante Alexandrum Magnum fuissent imperii Persici³; et incepte Masinissa longissimam Carthaginensium possessionem uellicabat, et imperium longissimum⁴. Antiochus Magnus eodem praetextu Acoles Ionasque bello est aggressus, quoniam illi populi maioribus aliquando subditi fuissent suis⁵. Sed et refutatur is a Romanis eodem iure praescriptionis. quod etsi proauus eius per bellum habuerit urbes illas; pater tamen et auus non habuerint: et ipsae urbes per multos annos, nullo ambigente, usurparunt libertatem. Hic nobilis est lusus, quem reges sic ludunt, respublicae et imperatores, et cui sic est theatrum orbis terrarum omnis per secula omnia, quod eleganter aduersum has ipsas longas memorias Montagneus, clarus scriptor Gallus, et itaque ius praescriptionis istud et hic iustum. Sunt uero interpretes iuris, qui sic exponunt de rege Francorum, cum praescriptione saltem esse exemptum ab imperatoris subiectione⁶. Contra quos non apte affert Alciatus, quod nulla temporis praescriptio obtineat contra imperium⁷. Hoc enim nec est uerum in praescriptione temporis eius cuius initii non extet memoria: id est quum nemo, ut communiter creditur, est, qui aut ipse uiderit, aut ab aliis audierit contra quam nunc est. et id est tempus centum annorum⁸. Alioqui memoria ab historiis aliunde deesse uix ualet. Ita uero mecum de ista praescriptione temporis immemorabilis adfirmat post Angelum, Decium, Bellonum doctissimus praceptor meus M. Antonius Eugenius in responsis⁹. Contra principem item ualere praescriptionem centum annorum, magis etiam com-

¹ Tac. 6. Ann. 31. ² Iou. 30. 34. ³ Herodi. lib. 6. c. 6; Zon. lib. 4. c. 17; Amm. 17. c. 5.

⁴ Liu. lib. 34. c. 62. ⁵ App. Syr. c. 1; Liu. 33. c. 40. ⁶ Fulg. Sacc. l. 1. C. tit. 1.

⁷ Al. l. 5. de iust. (D. 1. 1). ⁸ Alex. 5. cons. 16; Alc. 3. cons. 24. ⁹ Eug. 1. cons. 86.

munis opinio est: ipsique probata Alciato¹. Et practerea quae sancita sunt in iure ciuili subditis, ea trahi ad principes facile non oportet. subditi enim difficiliter bonam fidem et iustum titulum obtinebunt.

Uidendum et cum principibus est de titulo, ut praescriptio possit esse. Ecce enim Sabaudus, qui Niccam pignori habuit a rege Gallo, iniuste urbem domino non restituit: et nullum aliud quam inueteratae possessionis ius illic sibi esse fatetur². Neque enim titulus pignoris aptus praescriptioni³. Atque contra ipsum regem Galliarum, qui Perpinianum pignoris tantum iure tenebat ab Hispano, sic P. Iouius grauissimus ac luculentissimus historiographus, (quibus eum titulis merito ornat iurisconsultus, pariter grauissimus, et luculentissimus, Tyberius Decianus, in responsis⁴: alii quicquid garriant) sic scribit Iouius, 'parum sincera fide ueteris pacti conditionem multis iuris 'cauillationibus inuoluebat'⁵. Latissime etiam consuluit Ioannes Cephalus in casu isto: quum pro pecunia mutua datus pignori comitatus esset. et magis communem opinionem dicit, et ueriores docet, in quaestione tamen (ait) ualde dubitabili. non esse praescriptionem⁶. Uidendum autem de his quae ad praescriptionem requiruntur, siue ratione tituli, siue fidei bonae, per latissimas nostrorum interpretum disputationes, et copiosos qui hoc de argumento toto extant tractatus. De bona fide aliquis etiamnum theologus docere tentat possideri a Turca bene omnia erepta nobis: nam Dominus Deus uelit nos propter peccata nostra eiectione de terra nostra⁷. Quae ridicula sunt. Quis enim non iam fuerit per hanc rationem in bona fide? Aut Turcae opinio latrocinantis cogitat de iusta illa uoluntate Dei? Aut boni sunt affectus et effectus prauissimorum hominum, quia ad uoluntatem suam Deus utitur pessimis illis bene? 'Etsi iustam dicimus Diaboli potestatem, non tamen et uoluntatem. Non Diabolus, qui inuasit hominem; non 'homo qui id meruit; sed iustus Dominus qui id uoluit. Non a potestate, 'sed a uoluntate iustus, iniustusue quis dicitur,' etc., apud Bernhardum⁸.

At abundum nunc non est a iure hominum. De tempore sic mihi uidetur, ut quae contra res fauorabilissimas ualet centum annorum, siue

¹ Alex. 1. cons. 84; Ale. d. 24. et ad l. 25. C. de pact. (2. 3). ² Iou. lib. 34.

³ l. 9. C. de pig. act. (4. 24); Dec. 3. cons. 108. ⁴ Dec. 5. cons. 19. ⁵ Iou. lib. 1.

⁶ Ceph. cons. 102. ⁷ D. B. 5. Contr. 3. c. 16. ⁸ Bern. Epist. 90.

temporis cuius non sit memoria contraria, ea et hic ualeat semper. Aratus ille Sicyonius aut quinquaginta annorum possessiones, quae et sub tyrannide iustis ablatae dominis, mouere non nimis aequum putabat¹. At sequitur difficultas tamen. Nam, si non ualentem agere non currit praescriptio, uideri potest, nec praescriptio hic currere, ubi princeps, qui agere et mouere bellum habet, facile possit dicere, neque se neque praedecessores suos potuisse mouere bellum. Et notandum est, quod regula haec et est naturalis, et obtinet etiam aduersus praescriptionem istam temporis immemorabilis². Dicere autem illud princeps poterit: quia non, ut in legitimis disceptationibus fori definitis, fuisse facultatem agendi ei qui iudicis copiam habuit, et rei conueniendi potestatem, et ipse impeditus non fuit, ita in controuersia isthac armorum expedieris. Uis enim armorum, et Mars iudex fuerit hic: quem sibi iniquum dixerit, et persuaserit, qui aduersarium potentiorum olim conuenire uoluisset. Sic neque conueniendi reum facultatem tenuerit: et ipse fuerit impeditus. Dormit propter metum praescriptio tempore tyrannidis³. Et ei qui agere non potest commode, succurritur aduersus praescriptionem⁴. Cum id genus aliis. Et igitur qui aliena tenuit diu, non sibi placeat propterea, sed fortunae imputet, quae dominos impediit, inquit Demosthenes⁵. Sic sane credimus, neque hic currere praescriptionem impedito agere. Sed si non subfuerit impedimentum, tum admittimus praescriptionem. Posse autem non subfuisse impedimentum, cur negemus? Et quae in priuatis rebus saepe cernitur negligentia et ignauia, eadem et in publicis non cerni possit? Quam hic optamus agendi commoditatem? Certum sic Martem amicum, ut dubitare de uictoria non habeamus? At numquam sic est Mars. et neque in lite ciuili id desideramus. 'Audentes fortuna iuuat.' Audendum hic est. Ita Alexander. ita Caesar, ita alii, qui audendo clari. Semper aut significatione uoluntatis ius retinere suum, oportet. Ut sic reges Angliae uolunt ius retinere in regno Francia, et alii reges in aliis regnis, quae sibi occupata putant, dum reges se dicunt, et insignia illorum regnorum sua faciunt. et ciuilem quasi possessionem adseruant, naturali altera, siue corporali amissa. Neque enim ea intitulatio

¹ Cic. 2. de Off. 23. ² Bal. Auth. nisi, C. de lo. ma. (6. 60); Ceph. cons. 697; Gabr. cons. 163.

³ Alc. 1. cons. 8.

⁴ Bal. l. 1. de ann. ex. (c. 7. 40).

⁵ Demo. ad Maca.

inepta est, si possessio non de iure, sed de facto impeditur. ut hic Baldus exposuit¹. Quid si neque protestatione uel clandestina princeps disceptet de iure suo? Adhuc dicimus non eum negligentem? non currere contra eum praescriptionem? Sed est et alia difficultas. quod cum regna, et principatus, non ut priuata patrimonialia a uoluntate praedecessorum deuenire in successores dicantur, sed ex sola lege, et consuetudine, habere hic locum praescriptio neque posse uidetur². siquidem qui ex persona sua agit, ut successor ita omnis agere princeps potest, ei praescriptio superiorum temporum non obstat, et negligentia praedecessorum³. Cui difficultati, et in his principibus, qui tantum illi legi consuetudinique regnum acceptum ferunt, nihil multum respondere aliud possum, sed hoc solum, quod generaliter in principio dixi, absurdum esse, ut nec post secula desit armorum et controuersiarum bellicarum praetextus iustus. An quid magis ridiculum, quam quod dicunt aliqui⁴, tamen non ridiculi interpretes iuris, posse etiam imperatorem Romanum agere ad regnum Hispaniae, quod captum et possessum Saracenis diutissime fuit, et per diu etiam tenetur ab Hispanis hominibus. Sed et iidem tradunt, abhorrere certe a sensu naturali, ut numquam sit usucapio. nec umquam auditum a condita legali doctrina, ut usucapio moueatur seculorum⁵. Quid ni successoribusque praediudicetur hic; sicut et feudum, quod ex prima inuestitura et prouisione primi inuestiti pertinet ad successores descendentes omnes, amittitur a mediis saepe, et ad sequentes non uenit⁶. Quid ni praediudicetur successoribus principibus a praecessoribus, si successores sic uolunt, aequumque putant, nomine, auctoritate, commodo a praecessoribus frui? De aliis principibus, qui aut domini sunt, aut liberae reipublicae magistratus, res est expeditior. nam primi possunt statuere de imperio suo libere: et itaque successoribus etiam praediudicare. secundi sic praediudicant: quia uniuersitas illorum hominum secum, quae item libere potest de se et suis constituere ea est, quae hic praediudicat. Nunc de uniuersitate uerbum audi. Uideri quidem eundem esse populum semper: et usucapere tamen rem alienam: quia praesumatur illa desinere scientia, quae fuerit rei alienae. Hoc Corneus⁷.

¹ Bal. l. barbarius (D. 1. 14). ² Hot. Ill. Q. 1 et de iu. suc. fra. l. 1. ³ Alc. 9. cons. 119.
⁴ Alc. l. 5. de iust. (D. 1. 1). ⁵ Alc. 4. cons. 4. ⁶ Clar. § feudum q. 66. ⁷ Corn. 2. cons. 43.

CAP. XXIII.

De regnorum eursionibus.

SEQUITUR nunc quaestio. Quod ut uerum sit, imperatorem Romanum posse bello repetere omnia quae Romani fuerant imperii: attamen, imperatorem nunc Romanorum non esse, et Romanum cuanuisse imperium, dicent¹. Illa quaestio est nihili si Romanus imperator possit orbis uniuersi sibi uindicare imperium. quicquid nostri nugentur interpretes. Nam contra alios disputat late et bene Didacus Couarruias: et concludit, quod imperator non aget, nisi ad ea quae olim fuerunt imperii: et falsum esse, quod ille sit dominus totius orbis². Nos diximus, quod nec ad ea aget quae ante secula fuerunt imperii. Nunc est quaestio, si, qui nominatur imperator Romanorum, is uere sit Romanorum imperator. Et constare tamen apud omnes uidetur, imperium esse Romanum id cuius in Germania sedes est. Et itaque Romanorum imperatorem audimus, et sacrum Romanum imperium, et sacri Romani imperii Electores, et reliqua. Sed ex contrario tamen, hoc non esse Romanum imperium, disputaueris: quoniam de Romano imperio nihil in totum superesse uideatur; at dissipatum sit, et ab aliis gentibus occupatum teneatur. Distingue autem terras illius imperii, ut una pars sit quam Turci, et alii barbari tenent: alia quam tenent Angli, Franci, Hispani: tertia sedes olim imperii, quam Romani pontifex, Ueneti, et alii Italiae principes habent: postrema quam Germani ipsi, qui titulum hunc Romani imperii soli retinent. Atque ad Turcas quod attinet, expeditum nobis esse uolo, non esse eos Romanum imperium, qui nec nomen Romani imperii tenent. Saracenorum dicitur eorum imperium rectius: quando quidem a Saracenis quasi successores regna et religionem acceperunt³. De Romano imperio acceperunt, sed non Romanum imperium. In Francia nec est imperium Romanum: ubi nec sunt iam diu imperatores Romanorum. et Franci francos se semper ab illo

¹ Cuiac. c. ult. de fo. co.² Couar. Reg. Peccatum, p. 2. § 9.³ Cuiac. c. 21. de testi.

imperio asseruerunt. et illud regnum datum Francis olim ab imperatoribus Romanis, et auulsum a corpore imperii prorsus fuisse uidetur: ut Anastasius chlamydem imperatoriam et coronam auream Francis regibus dedit, et Iustinianus imperium Galliarum eisdem rescripto suo confirmauit¹. Hispani itidem, et Angli extra imperium illud sunt: qui populi Romanis imperatoribus derelicti, aut numquam subditi Romanorum, regna isthaec aut de illo rapuerunt imperio, aut de his qui rapuerant Romanis antea: et sibi iam habent per secula multa. Ridicula illa nostrorum commenta, qui uolunt, iure subiectos et hos esse imperatori populos, de facto non esse. Atque Alciatus nunc prudentius, circumscriptis huiusmodi auctoritatibus nostrorum, ait posse sustineri, subditos imo non esse imperatori hos populos². At de Italis non unum fuerit iudicium. Nam sunt quidam imperii Germanici, quod Romanum appellamus: ut Mediolanensis ducatus, Mantuanus, alii quidam; atque de his id erit, quod de ipso erit Germanico imperio. Sunt porro, qui nec eius sunt imperii, nec cum eo imperio quidquam habent: ut Ueneti. Est deinde, qui aliquid habet cum imperio, Romanus pontifex; cui sunt feudatarii illi, Ferrariensis, et Parmensis, et alii duces, et ipse Neapolitanus rex. Et de pontifice loquitur nunc, ut nunc sunt res eius accisae. Nam pertinuit ad illum aliquando Liguria, Corsica, Longobardia, Uenetia, Istria, ecquid non in Italia³? Imo etiam extra Italiam aut feudataria, aut tributaria eidem extitere regna Hiberniae, Angliae, Scotiae, Poloniae, ipsum Germanicum imperium, ipsum regnum Francicum⁴. Ceterum in imperio etiamnum habere uult aliquid, uel sede uacante imperando, uel uiuum imperatorem etiam iudicando⁵. In Italia urbes Etruriae, Florentia, aliae quaedam, de Romani imperii corpore exemptae sunt; quae abhinc trecentis amplius annis libertatem emerunt ab imperatore Rodulfo⁶. et tamen nunc esse ducatu Etruriae magno aliquid cum imperio uolunt nostri quidam, et sane ius quoddam feudi. ego uero non disputo. et nec refert ad praesentem inspectionem. nam eius tum iudicium ducatus idem et imperii Germanici erit⁷. De quo quidem imperio

¹ Procop. 3. Goth. 33; Zon. lib. 15. c. 4.² Alc. l. 5. de iust. (D. 1. 1).³ Bonfin. 1. Ung. 9; Hot. de Feu. cc. 8 et 9.⁴ Cuiac. c. 7. de des. imp.⁵ Pano. c. caussam, qui fi. si. le.; c. solitae, de ma. et obed.⁶ Egn. Rodul.; Sigo. ult. de Re. Ita.; Alc. 4. cons. 17.⁷ Dec. cons. 19.

putem sic esse, ut dicitur. et recipitur. imperium esse uetus Romanum, Carolus enim Magnus hic in Occidente Romanum imperium de manibus pontificis Romani, scitu Romani populi accepit: et (quod inquit Alciatus¹) instaurauit². Aiunt alii, partum hoc armis imperium Carolo: ut suntque litterae pontificis in id recantantes³. Sed non ego statuo multum momenti in ea differentia. Satis est, quod Romanum imperium accepit. Et non facit Caroli persona externa, quominus illud imperium manserit. sicut neque id fecit persona Numae, Prisci, Seruii, quominus regnum manserit Romanorum. Neque differunt haec: quia Priscus et Seruius iam tum facti Romani erant, quum ad regnum assumerentur. Nam de Numa quid dicimus? Et Carolus etiam erat antea Romanus: qui patricius, et nescio alius qualis fuit Romae⁴. Simul cum imperio accepto fuit Romanus. est enim imperator de imperio: ut est caput de corpore. Neque excipietur contra ipsos eligentes: quasi is populus non Romanus fuerit, qui elegit Carolum, sed externorum colluuius quaedam. item neque populum potuisse, neque pontificem ad eam electionem ire, Romano Constantinopolitano imperatore domino nec iubente, nec consulto. Nam ad identitatem populi quod attinet, etsi dici idem populus non possit, si uno momento sublatus uetus omnis esset, et nouus iste colluuii substitutus, tamen idem est certe, si paulatim mutatus est, etsi totus. sicut nauis eadem est, sic in totum mutata⁵. et eadem legio sic est: ut ita dux quidam ad Tertianos, quod sub M. Antonio Parthos, sub Corbulone Armenio post Sarmatas pepulissent⁶. Sane enim post annos centum, quum iste loqueretur, nemo superesse Tertianorum potuit, qui sub Antonio militarunt. Et non ille alius aequae, qui clamat, desiisse olim Athenienses, tot cladibus extinctos, at colluuiem tantum nationum superfuisse⁷. Uerius, aequius Caesar, qui et his parcat Atheniensibus, et 'seruari eos a mortuis' contestatur⁸. Atque de responsione ista non dubito, quin uera sit. Subditos uero destitutos auxilio principis⁹, ut destituti Romani tum a Constantinopolitano erant, et armis afflictos hostilibus, ut tum Romani a Longobardis affligebantur, posse ad alium

¹ Alc. l. 118. de U. S. (D. 50. 16). ² Egn. Ca. Ma. ³ Sigo. 12. de Re. Ita.

⁴ c. 22. dist. 63; c. 3. 2. q. 6. ⁵ l. 24. de leg. 1. not. (D. 30); l. 83. de U. O. (D. 45. 1).

⁶ Tac. 3. Hist. 24.

⁷ Tac. 2. An. 55.

⁸ Dio. lib. 42.

⁹ Castr. Rep. l. 5. de iust. (D. 1. 1); l. 19. de poe. (D. 48. 19).

confugere principem, quem et sibi adsciscant, nostri docent, et ratio euiden-
tissima demonstrat¹: quod domini et subditorum status connexus est, et hi
tenentur illum defendere, et ille hos². Correlatiua sunt dominus et uasal-
lus; princeps et subditi: ut sicut isti sunt obligati bene obedire, ita domi-
nus bene imperare³. 'Subdens se priori, acque alligat et priorem. Duo
' fiunt per unius sponsonem alteruter debitores, fidelis curae unus, alter
' humilis obedientiae:' etiam de monachis sic traditur⁴. Et Lycurgus
sic 'populum in obsequia Principum, Principes ad iustitiam imperiorum
' firmavit⁵. Et quis non? Fides reciproca est inter dominum et uasallum.
unde et dicti 'coniuges' sunt in libris feudorum, quasi communi fidei
uinculo coniuncti. et de ea fidelitate iurat domino uasallus, uasallo domi-
nus⁶. Itaque domino fidem non seruanti fides iuste non seruatur⁷. Sic
neque alienatur uasallus inuitus, quia is nec alienat dominum inuitum⁸.
Cum id genus uariis. Nequit princeps male subditos habere, nam haberi
bene uolunt entia. quod de Aristotele ait Baldus⁹. Et quaestionem in im-
peratore disputat inutili, mente capto, ebrioso, qui non sufficiat reipublicae
gerendae: an istum populus Romanus priuare imperio possit, eiue adiu-
torem dare. et refert, Cynum, ac Raynerium adfirmare. Sed et alii ad-
firmant. Ipse Baldus negat. quoniam ea potestas sit papae: cui imperator
iurat. Atque adeo facit Baldusque caussam iustam, sed censet, deesse
potestatem populo. Sic et alii de imperatore tyrannice agente¹⁰. Certe,
fugere saeuientem dominum, seruisque licet¹¹. At de potestate quaerimus
nos ad illud tempus quum potestas papae non esset. Uel si potestatem
illo etiam tempore agnoscimus papae: ecce etiam papaque, populusque
transfert imperium. Uerum aduertamus, quod cum populus Romanus
antea omne imperium suum et potestatem imperatori, etiam in se, con-
cesserit, contulerit, transtulerit: neque (quod bene defendit Baldus) fuit
imperator quasi unus aliquis commissarius, neque sibi ius ullum in imperio

¹ Sigo. 3. de Re. Ita.; Macchia. 1. Hist. Flo. ² Bal. 2. cons. 188; Dec. 3. 117.

³ Bal. 1. 1. de di. re. (D. 1. 8); Alc. 5. cons. 7. ⁴ Bern. de Prec. et Disp. ⁵ Iust. lib. 3. c. 2.

⁶ Cuiac. 2. de Feu. 7. ⁷ Alc. 3. cons. 7. ⁸ Bal. 3. cons. 97.

⁹ Bal. 5. cons. 325, 409; l. 9. de legi. (D. 1. 3). ¹⁰ Castal. de Imp. c. 2.

¹¹ l. 2. ubi Bal. de his qui su. su. (D. 1. 6).

retinuit populus: sequitur, ut neque post in Carolum deferre ualuerit Occidentis imperium, sed sui tantum, et suorum: ueluti ciuitas quaelibet, quae male habita a principe priori fugit ad alium, et itaque Occidentis reliquum imperium eodem ritu dedentium se ciuitatum, aut captarum peruenit in Carolum¹. Subditi excusantur, si timore mortis et depopulationis seruiunt hostibus, et fidem iurant, et urbes tradunt². Nec dico tamen, principi hinc ius imminui. Seruus enim possessione dominum non subuertit, imo retinet dominus possessionem per eum³. Unde ego dicebam, quod si ita pax conueniret inter Anglam et Hispanum, et inter Hispanum ac Gallum, ut quae possidet quisque, ea possideret, neque alius in alius sic possessa iniicere animum ac manum deinceps posset; quod non posset Hispanus Hibernica quaedam inire, unde Angla nunc rectio depulsa est per rebellem seruum, non posset inire Gallica, unde deiectum arcetur pari modo imperium regium. Imo si ille Hibernicus, hic Gallicus quaesisset de Hispano aliquid, id nec Hispanus repeteret, quod Anglae, Gallo quaesitum esset. Scilicet acquirit fugitiuus nobis, et qui nobiscum contendit pro libertate: etsi is non sane iam possideatur a nobis⁴. Sed quod hic tracto, tradoque, id est, principem ipsum esse, qui perdit subditos suos, quos prodit nec defendit. Populum interficit, qui non succurrit ei, et iustitia facti subditorum sic inualescit⁵. Iustitia Romani populi fuit, quod et sedes illinc imperii translata in Graeciam fuerat, se Roma relicta sicuti praefectura aliqua: in qua tamen urbe sita fortuna censebatur imperii⁶. Adde mulieris tum regnum, rem inauditam, et indignam in illo imperio⁷. Aduerte ad mulierem, quae excaecato imperatore filio regnaret. Et illud tene primum, quod boni nihil ex Graecia, sed mali plurimum erat Romae et Italiae. Ceterum et traditum est, partitionem istam imperii Occidentalis et Orientalis factam cum Irene potiente Constantinopoli, et cum Nicephoro rursus, et cum Michaelae, 'Orientem cum Constantinopoli Michael usque Neapolim et Sipontum: Occidentem cum Roma Carolus habeto⁸.' Hoc autem Caroli imperium fuerit illud Romanum: etsi Gothi et Longobardi diu ante

¹ l. 1. de const. (D. 1. 4); Duar. Disp. Ann.² Dec. cons. 25, ubi Mol.³ l. 40. de adq. po. (D. 41. 2); l. 33. de usuc. (D. 41. 3).⁴ l. 25. de lib. ca. (D. 40. 12); l. 15. de usuc.; Alex. l. 3. de adq. po.⁵ Bal. 5. cons. 405.⁶ Herodia. lib. 8. c. 19.⁷ Bal. l. 5. de iust. (D. 1. 1).⁸ Bonfin. 1. Ung. 9; Egn. Ca. Ma.

tenuerint Italiam: et Romanum illic imperium excidisse uideantur. Idem enim est fluuius Niger et Tigris postquam multa passuum millia latuit sub terram fluens; et qui per lacum perrumpit; et qui etiam subter labit maria¹. Nam tale fuerit Romanum in Italia et Occidente imperium per illas barbarorum inundationes coniectum potius, quam extinctum. Ut si cuius ager fuerit inundatus, et aqua recesserit, palam est, cum fundum eius manere, cuius fuit: neque enim inundatio fundi speciem commutat². At neque tenuerunt Gothi nisi partem Italiae, et illam eis commendatam a Romanis Graecis imperatoribus. Nam Zeno senatum populumque Romanum cum ipsa urbe ac tota Italia Theodorico, Gothorum regi, commendauit, adoptato in filium, facto consuli, adeoque in participatum reipublicae Romanae adscito, externo non derelicto³. Etiam uolebant Gothi, se dici in corpore Romani imperii: ut apud Cassiodorum notaueris⁴. Ut uero ab Herulis recepit Italiam Theodoricus: ita a Gothis mox uindicauit Iustinianus: et amissam in parte sub Iustino, et aliis, occupatamque a Longobardis, manu asseruit in pristinum Carolus, collato in se titulo principatus. Longobardi nec umquam occuparunt Romam, aut exarchatum tenuerunt, etsi alia usque in Samnium subegerunt⁵. Saepe etiam agnouerunt superiorem imperatorem. saepe et uicti, et repressi a Romanis Graecis⁶. Etsi igitur in Italia aut in Occidente nec ullus fuerit, qui sedem regni haberet per annos amplius trecentos, id est, ab Augustulo ad Carolum, aut etiam a tertio Valentiniano, cum quo Hesperium sic dixerit Beda concidisse regnum⁷: fuerunt tamen semper, qui regerent nomine et auctoritate Orientalium; certe ius illic regendi et imperandi uindicarent. Sic Romani pontifices appellarunt suos dominos imperatores illos Graccos usque ad Carolum⁸. Sunt quoque qui dicunt, ante Carolum ab Anastasio ius imperii Occidentalis tributum Clodoueo, regi item Francorum: et ab hoc Francorum regno auelli non potuisse, contendunt⁹. Etiam alii, Carolo et regibus Francorum datum aiunt: et disputant aduersum praesens ius septemuirum,

¹ Plin. lib. 2. c. 103; Iust. 42. ² Iust. de re. diu. (2. 1). ³ Pomp. Lae.; Egnat.; Bonfin. 1. Ung. 7.

⁴ Cassio. 1. Var. 1. ⁵ Alc. 7. Pare. 19. ⁶ Pomp. Lae. Tib. Maur.; Bonfin. Ung. 8. 1.

⁷ Bed. 1. Hist. Ang. 21.

⁸ Bed. 1. Hist. 28. 29. 30. 32. et lib. 2. c. 18.

⁹ Cont. Ind. Coniur., C. ad le. Iu. ma. (9. 8).

quasi constitutum, per charitatem patriae et sanguinis, a Gregorio papa uiro Germano, et Othonis cognato tertii: sub quo ea de re septemuiris sanctio lata dicitur¹. At ego ad istas non abeo quaestiones. Post Carolum licet intermissum a posteris eius Romani nomen uideatur imperii per annos ferme sexaginta, id tamen ita non est. nam et Ugo, Rodulfus, Lotharius interdum sibi asseruerunt, et occupantium possessionem abruperunt². Sic duo imperatores creari soliti per ea tempora, alter in Germania, alter in Italia³. Sic ad Henricum usque primum per masculos semper de stirpe Caroli exstiteri, et coronati fere omnes⁴. Licet etiam tenuissent pacate Berengarii imperium totum Longobardici sanguinis principes, non ideo desiit imperium tamen, familia Caroli non imperante. Non est aliud imperium desinente familia Caesarum imperare. Non est aliud imperium mutata sede imperii. Imperium Romae idem, et Constantinopoli, et Rauennae, et Pragae. Auctum in Septentrione est, quod diminutum alibi est gentium, et tantum non deletum. Et alluio quaedam hic est facta. qualis fit naturaliter nonnumquam, ut pereat ager ab una parte, qui per alteram crescat: et idem manet ager⁵. idem manet mare, quod partem alicubi deserit terrae, et partem alibi capit. idem est flumen quoque, etsi mutet alueum. Est Romanum imperium semper, etsi transeat a regibus ad consules, a consulibus ad imperatores. Et quamuis isti imperatores modo successione sint, modo electione: atque hac modo militum, modo senatus, et nunc horum septemuirum. Forma imperii Romani mutata est saepe: sed Romanum imperium manet semper. Nouum imperium fuit a Romulo Romanum: quod deductum et deiunctum ex Albano, per se stetit et creuit. Et desiit Albanum esse, quod euersum a Tullo, transuelatum inque incorporatum fuit in Romanum. Sic unita ecclesia alteri desinit ipsa esse. sic quod in alterum transferatur⁶. Desierunt tot alia regna et respublicae, quae oppressa armis Romanorum fuerunt; et de dominis, siue liberis, facta sunt serua⁷. Sic alius fit, et desinit esse, qui seruus fit. ut contra, qui fit de seruo liber, et alius fit, et nunc esse incipiat⁸. Sic et fluiuis,

¹ Bonfin. 1. Ung. 10; Guicc. 13. ² Egn. lib. 3. ³ Inst. 1. Ann. Ge.

⁴ Bell. de Tra. Imp. lib. 2. c. 1. ⁵ l. 64. de euct. (D. 21. 2).

⁶ Inst. de fid. her. (2. 23); Dec. cons. 174. ⁷ Dec. 3. cons. 19.

⁸ l. 4. de ca. mi. (D. 4. 5); l. 209. de reg. iu. (D. 50. 17).

quum ingreditur fluuium, et fluuio unitur, aut mare intrat, perdit nomen, et exstinguitur. Sic Assyrium imperium desiit: sic Persicum sub Parthis, et antea sub Macedonibus¹; et sic Macedonicum: sic desiit in tam multis regionibus Romanum: quae raptae in alienam dominationem sunt, aut de seruis liberae factae sunt. At non desiit imperium, quod supersit in aliqua uel tenuissima parte. Non desinit fluuius, qui redigatur ad pertenuem aquae mensuram, et iam nominari possit riuus: nam et riuus fluuius est². Cum parte illa tenuissima seruari nomen iuste potuit, et ius imperii. Quid ni, si et a principio sic esse intra ambitum potuit urbis? Simile dixerim peculio, quod nascitur, crescit, decrescit, moritur³. Et quod in pusillo constitui ac retineri ualet. Sic seruari collegii atque uniuersi ius uel in uno, etsi hoc constitui non posset in uno, est traditum, aut propter spem redintegrationis, aut propter aliam rationem, quae et hic ualet in uniuersitate hominum: rerum enim uniuersitas, ueluti grex, non seruatur in uno⁴. Hic modicum seruat, seruat, seruat. Et seruat fuit imperium sic Romanorum, eictorum ipsa imperii sede Constantinopoli a Francis, et coactorum postea in exigua spacia, mox et moenia eius urbis uix defendentium a Turcis. Si nihil Romani superfuisset imperii: nos aut nudum nomen non curaremus: aut hoc, quod sic appellaretur Romanum, ueteri diceremus subrogatum. Et subrogatum censetur idem⁵. Sed id nolo. imo enim de ueteri superest. Regnum Macedonicum et usque ad Cleopatram superfuisse uolunt: et ita nominant⁶. Et ergo ita mihi uidetur, imperium tum desiisse, quum nulla eius uel minima exstat pars, nec superest nomen. Nam quod quosdam dicere audio, nouum intelligi oportere imperium, quod lingua, moribus, legibus a ueteri dissidet, id mihi non placet. Sic enim Romanum ipsum imperium, quod a Romulo fuit, desiisset pluries uel ante tempora barbarorum. Haec possunt mutare formam imperii, at non imperium tollere. ut ut dicitur, quod per formae interemtionem ipsa prope rei substantia interimatur.

¹ Phil. Quod De Sit Im. (p. 319) et in Iose (545).

² l. 1. de flu. (D. 43. 12); l. 1. de riu. (D. 43. 11); l. 7. 30. de ad. re. do. (D. 40. 1); Ale. 5. cons. 69.

³ l. 40. de pecul (D. 15. 1).

⁴ Bal. proe. D. et l. 9. de legi. (D. 1. 3) et C. qua. no. pe. pa. (6. 10); Castr. l. 22. de leg. 1 (D. 30).

⁵ Soc. l. 28. de cond. (D. 35. 1); Ceph. cons. 20. 58. ⁶ Iren. lib. 3. c. 25; Cl. A. Str. 1. c. 21.

scilicet id interimitur, cuius est forma, non aliud¹. Ecce monarchica interemta forma post exactos reges, etiam monarchicum imperium Romae desiit, sed imperium Romae non desiit. Alii nouum definiunt imperium, quod ab hominibus exteris ui et armis occupatum est. Ceterum si uictores nihil uelint, quam in participatum uenire ciuitatis aut imperii: et si princeps uictor nihil uelit, quam esse deuictorum princeps: impedita hic manet definitio. Cogita Aeneam, et ante ipsum, et cum ipso, et post ipsum ad usque excidium Albae, regnum Latinum. Haece ita mihi uidentur. Quae autem de Romano imperio sunt disputata, ac definita, eadem accipienda de aliis sunt quoque. De Romano disputant et theologii: et omnes (opinor) mecum definiunt.

CAP. XXIV.

Si in posteros mouetur bellum.

SED ut successores bellum mouent, an etiam in successores? hoc est, an liceat, bellum mouere contra successores et posteros, quod licitum fuisset contra praecessores. Quae est agitata quaestio ex Alexandri facto, bellum in Persas mouentis, et incenditis eorum urbes, Graecos ut ulcisceretur suos². Quamquam Herodotus principium huius saeui facti Graecis attribuit, et Persis uindicationem³. Sed de facto mihi cura non est. Quaero de iure facti: et quantum ad posteros: nam de uastitate et incendiis disseretur in secundo libro. Atque Arrianus, quem nostrarum legum ex auctoribus unum fuisse uolunt quidam⁴, laudat ubique Alexandri facta, sed uindictam istam, damnat palam⁵: cum qui iniurias Graecis intulerunt, illi iam mortui nullibi essent. Idem condemnare uidetur Q. Curtius in eo quod posteros proditorum quorundam Graeciae interfecit omnes: dum censuit improbos improborum posteros⁶. Exstat autem mihi latissima alibi disputatio in proposito, si alius pro alieno

¹ l. 9. ad exh. (D. 10. 4).

² Str. lib. 15. c. 2.

³ Herodot. lib. 5. c. 105.

⁴ Cont. l. 11. de 1 e. he. (D. 5. 3).

⁵ Arria. lib. 3.

⁶ Curt. lib. 7. c. 5; Suida.

crimine. praesertim uero si filii recte puniantur propter patris crimen maiestatis. De qua quidem disceptatione afferri huc in utramque partem plurima possunt. Ceterum quod proprium est praesentis quaestionis, tu notes, Plutarchum late tueri uindictam illam Alexandri in libro de sera numinis uindicta. Et uero ut decessorum bonis successores frui, acquum putant, et est acquum, atque de indignis quoque successoribus defendit Seneca, ita debita incommoda sustinere iidem successores simul debent¹. Haec est regula naturae². Et Persae illi, quibus bellum intulit Alexander, cum haberent urbes illas, et bona reliqua a maioribus, qui Graeciam uastarunt: nihil est, cur reprehendi ualeat Alexander. Quinimo cum ciuitas populusque tempore non mutetur, sed successione idem sit, qui olim fuit: ut hoc loco Plutarchus scripsit, et Aristoteles, et nostri iurisconsulti generaliter tradiderunt: hi profecto posterius non tam pro alieno, quam pro suo merito accipiuntur³. Et ita etiam Isocrates, quod homo sceleratus fortasse obierit antequam det poenas: non ita ciuitates: quae quodam modo sunt immortales⁴. Et idem alii, et idem nostri⁵. Nostri excipere tantum uidentur ea quae afficiunt animam, ut non transeant ad successores. exempli gratia, ut excommunicato populo non transeat excommunicatio ad subrogatos loco mortuorum: etsi idem populus et nunc sit: nisi et isti delictum admittunt, aut culpam. imo addunt, quod si conuentionem iuratam fecerint praecessores, non tamen periuri fiunt successores, qui ipsi conuentionem non seruent⁶. Rursus dum in posterum ius sic extenditur ultionis, posterorum sapere periculo maiores coguntur. Quod et cum aliis nostris notat Alciatus, et nos in Disputatione illa nostra exposuimus. Coguntur sane. nam est nobis cura posterorum: qui caro nostra et ossa sunt: et per quos nomen nostrum conseruatur, et fama⁷. Plures uiuat bonos, si gratia bonorum non cum ipsis cadit: ait Seneca. Et plures terrebit malos igitur, si odium malorum non cum ipsis cadit: aio ego. Adde, quod et ad nos pertinere posterorum fortunas, dixit Aristoteles: ⁸Fortunas posterorum, dicere, nihil conferre maioribus, longe absurdum,

¹ Rom. cons. 29; Sen. 4. de Ben.² l. 10. de reg. iuris (D. 50. 17).³ l. 76. de iudi. (D. 5. 1); Alc. 6. Pare. 17.⁴ Isocr. de Pace.⁵ Ceph. cons. 699.⁶ Castr. l. 22. de leg. 1 (D. 30).⁷ c. 21. 35. q. 3; l. 220. de U. S. (D. 50. 16).

‘et opinionibus contrarium¹.’ Et Siracides, ‘Ante mortem beatum ne
‘praedices quemquam, etiam de liberis suis uir agnoscitur².’ Atque ita
istam partem probō.

CAP. XXV.

De honesta causa belli inferendi.

SUPEREST una nunc quaestio de honesta belli inferendi causa, quae
itidem cogitur a nobis ad bellum, quod ex nulla nostra priuata causa,
sed communi ratione, et pro aliis suscipitur. Ecce tibi si qui peccant
euidenter contra leges naturae et hominum, hos coerceri bello posse a
quolibet, ego puto. Ut honoris amplissimi esse, inquit Cicero, accusare
improbos, semper eam causam plurimum ualuisse, semper eam rationem
accusandi fuisse honestissimam, pro sociis, pro salute prouinciae, pro exte-
rarum nationum commodis inimicitias suscipere, ad periculum accedere,
operam, studium, laborem interponere³. Et ita etiam Plutarchus, quod
non ignobile studium accusandi; et quod iudicia publica, et reorum accu-
sationes sic uel ad eloquentiae studium instituta iuuenibus essent⁴. Sed
sic ad punitionem criminum, rem reipublicae saluberrimam et maxime
necessariam peruenitur. Alibi cupido damnatur accusandi: et merito:
quia iustitia illic non est, ubi cupido ea est⁵. ‘Diabolus’ (inquit Augus-
tinus) ‘accusator dicitur; non quia nemo possit bene accusare: sed quoniam
‘diabolus amat accusare⁶.’ Cupido igitur absit bellandi, et bellum si
mouetur aduersum improbos, bellare non est turpe. ‘Si aliqua terrena
‘ciuitas decerneret scelera quaedam magna fieri, decernente genere humano
‘euertenda foret:’ sic Augustinus⁷. Et itaque illorum sententiam probō
magis, qui iustam dicunt causam Hispanorum: dum faciunt Indis bellum,
qui concubitus nefandos et cum bestiis exercebant: et qui carnes humanas,
hominibus in id mactatis, comedebant⁸. Sunt enim haec peccata contra
naturam humani generis⁹. Et ita omnibus peccata cognita: nisi forte
non cognita brutis sunt animantibus, et hominibus brutis. Atque contra

¹ Arist. 1. Eth. 10. ² Eccl. 11. ³ Cic. Ver. 1. ⁴ Plut. Lucul. ⁵ Cic. 2. de Off. 14.

⁶ Aug. Nu. q. 49. ⁷ Aug. 5. de Ciu. ⁸ Viet. 5. Relect. ⁹ Clar. § Fornic. et § Sodom.

istos sic bellum suscipietur, ut ait Isocrates, ueluti contra feras¹. Sic in ciuitate ad publicum crimen accusandum quilibet admittitur²: etiam qui de ciuitate non est, quum res defenditur non ciuitatis propria, sed uniuersalis omnium³. ut ita distinguunt interpretes, exterum agere de itinere et uia ciuitatis non posse, de libertate hominis posse, et similibus. Et illi, quos modo appellauimus, non reperient defensores aut aduocatos⁴. Alii quoque (scimus) patrare soliti facinora illa Indorum libidinis ferae, foedae, infandae: et de Erulis haec et bruta et maria Procopius⁵. de Taifalis etiam foediora Ammianus⁶. de Gallis priscam legem abominandam Aristoteles, Diodorus, alii⁷. de Lydis, et colonis Lydorum Thuscis, paria Athenaeus⁸. et de prostibulis his impurius apud Romanos aliquando sub Caesaribus et apud Iudaeos, profanae, et sacrae litterae prodiderunt⁹. Ne tu tuae patriae magnae blandiaris, quisquis es, quem me sentio dicere: quia legeris in declamatione, 'Sanctius ad oceanum uiuitur'¹⁰. Ceterum nec de iure naturae tollitur propter delicta hominum. Et bellum istis facere, licitum fuisse, et esse, contendimus. Quae apud Carthaginenses consuetudo fuit litandi humano sanguine, ea sublata a Gelone cum laude: qui illis pacem nec dedit prius, quam abrogarent morem adeo inhumanum¹¹. Etiam a Persia rex hoc, missa legatione, petiit, et tenuit a Carthaginensibus, ne humanas hostias immolarent¹². Atque praetextus religionis hic admitti non potest, ubi ius simul hominum laeditur. Et sic nostri interpretes, bellum esse contra idololatrias licitum, si idololatria sit cum caede innocentium iuncta, esse enim innocentibus succurrendum¹³. Et ita iustum fuisse bellum in Cananaeos: ubi sacrificia isthaec, etc.

Illud ego non probo, probatum licet aliis, in caussis belli Hispanorum contra Indos, ut bellum esse possit contra eos, qui audire praedicationem Euangelii nolunt. Hic enim solus est praetextus religionis. Et quamuis dictum est, 'Ite, praedicate Euangelium omni creaturae:' non propterea consequens est, ut quae creatura audire nolit, ea bello et armis cogenda

¹ Isocr. Areop. ² Inst. de pu. iu. (4. 18); Manu. Diuin. ³ Aug. l. 2. ne q. i. l. p. (D. 43. 8).

⁴ Dec. 3. cons. 83. ⁵ Proc. 2. Goth. c. 14. ⁶ Am. lib. 31. c. 9.

⁷ Arist. 2. Pol. 9; D. lib. 5. c. 31; Cl. Ro. Anag. 8; Buch. 2. Hist. ⁸ Ath. lib. 12. 13.

⁹ Lamp. Alex.; Iust. Ap. 2; Cl. A. 3. Pae. 3; 1. Reg. 14. 15. ul. ¹⁰ Quinct. Decl. 3.

¹¹ Plut. de Se. Nu. Uin. (552). ¹² Iustin. 19. c. 1. ¹³ Conar. Reg. Pecc. p. 2. § 10.

sit. Stolidae argutationes istae sunt. Non Innocentium, non qui sequitur Innocentium, possum probare P. Castrensem, dicentes, iustam esse belli causam contra infideles, charitatem¹. Nec tamen improbo Dagobertum, Carolum Magnum, diuum Ludouicum, qui istam necessitatem audiendi concionatores uerbi diuini Frisiis, Saracenis, Afris iniunxerunt. nam uictis iniunxerunt: non mouerunt propterea bellum². Quae de uictis alia quaestio est: de qua explico in tertio libro. Etiam probaueris Carolum Martellum: qui bellum mouit propter istam causam aduersum eosdem Frisos. nam hi, olim uicti, id ipsum ex foedere debebant. Bellum sacrum contra Phocenses, et simile indictum Spartanis ab Argiuis, et gestum quingentis ab hinc annis in Syria. sic defenditur, quod honesta causa fuit ulcisci templa nostra et communes religiones uiolatas. ut ita Lacedaemonii et ob alias causas, et ob hanc mouent bellum Atheniensibus, qui communium religionum uiolatores apud se haberent³. Et Athenienses contra Lacedaemonios, qui eductos de templis supplices obrunxerunt contra ius gentium. Haec honesta belli causa: quae communis. Quid mihi improbet reliquisque Couarruias, aliud bellum, quod uiolatoribus iuris naturae, iuris communis, infertur, illis anthropophagis, et concubitoribus⁴?

Bellum fit piratis iuste. Et mouerunt iuste Romani contra Illyrios, Balcares, Cilices: etsi nihil Romanorum, aut sociorum, coniunctorumue aliorum attigissent isti. nam uiolarunt commune ius gentium. Et si aduersum piratas facit etiam, quod tum proximi charitas, et ut sub securitate in pace uiuatur, armat omnes iuste: tamen et commune ius ipsum laesum generaliter idem attribuit, et communis natura laesa⁵. Piratica est contra ius gentium, et contra humanae societatis communionem⁶. Et itaque promeretur bellum ab omnibus: quia in eo iure laesi omnes laeso: et singuli in se laedi deinceps possunt: an non est ita? Et ergo quoniam laedi possumus item singuli ab istis uiolatoribus naturae, bellum eisdem fiet a singulis. Nullum neque his debetur ius, qui ius fasque omne abruperint, et qui, coniuncti in eadem natura nobiscum, iunctioni huic aspergunt maculas abominandas. Sic est non modo ciuile ius sponsio

¹ Castr. Rep. l. 5. de iust. (D. 1. 1). ² P. Aemil. lib. 1. 2. 7. ³ Thuc. lib. 1; Diod. 12. 16.

⁴ Couar. Reg. Pecc. p. 2. § 10. ⁵ Bal. 5. cons. 439; Castr. l. 1. de iust. ⁶ c. 15. 14. q. 5.

et unculum inter ciues, et ius gentium inter gentes, sed et naturale hominum inter homines¹. Et nostri legum conditores non fuerunt reprehendendi: qui ius definierint naturale, quod natura omnia animalia docuit. Etsi non sit tamen ius, id est communio, homines inter et animalia. Nam ut omittam de iure nobis cum animalibus commune dicere, de nostro in ea dominio: certe quod est naturale hominum, id negare inter homines commune non ualemus. Matrimonium, liberorum procreatio, educatio, iuris eius est, quod ab his laeditur, et quidem hominibus omnibus, quibus cognati sociique, naturae eripiuntur.

Sed neque argumentum Couarruiae quicquam contra ualet: quod si bellum facere non licet propter idololatriam et infidelitatem: neque licebit ob ista, quae enormia patrentur contra legem naturae. Et enim aut argumenti nexus est, quod si non licet bellum facere propter crimina atrociora: nec liceat propter minus atrocia. aut est nexus, quod si non licet propter ius aliquod in uno aliquo laesum, nec liceat propter idem laesum in alio ius. Et utroque modo solum est argumentum, neutro nexus nectit. Neque enim atrocitas, sed qualitas criminis praestat quale ius. Idololatria, infidelitas non praestat diuortio causam, praestat inoechia. ut alibi disputo. Et religionis ius non est idem cum iure aliarum rerum; ut antea est adnotatum. Fides est donum Dei singulare², et Christus Iesus gentibus stultitia est; at illa naturae nota sunt naturaliter. Etiam religio aliqua est a natura. Et ergo si athei aliqui essent, omnis expertes religionis, bonae, malae, bellum contra eos quoque iustum uideri poterit quasi contra feras. non enim dici homines merentur, qui exuunt naturam hominum, et dici ipsi nolunt homines. Atque uindicatiuum est hoc bellum: quo communis natura uindicatur.

De quo iam satis. Quoniam quae dicta sunt de honesto defensionis, eadem et hic apta sunt. hoc excepto tamen, quod arma ad offensionem iungi nolim armis iniustis. Scilicet malum illud iniquitatis hic iuuaretur, quod ibi depellitur. Sic Cicero, 'Sordidum est, ut accusator nomineris, neque tamen ut hoc fugiendum est, ita habendum est religioni, nocentem aliquando et nefarium impiumque defendere.

¹ l. i. de legi. (D. i. 3); l. i. de iust. (D. i. 1); Inst. de iu. na. (t. 1) ubi Hot.

² 1. Cor. 1; adi Ber. ep. 77.

‘ uult hoc multitudo, patitur consuetudo, fert etiam humanitas¹.’ Etiam in libris feudorum ita constitutum est, ut uasallus domino belligeranti opem ferat, uel si dubitet de iustitia domini. quod si et de iniustitia sciat, ad defensionem tantum iuuare tum teneatur². Et ita etiam alii interpretes, et Baldus asseruerunt³. Et ita Augustinus, ‘ Uir iustus si forte sub rege, homine etiam sacrilego, militet, recte potest illo iubente bellare si quod sibi iubetur non esse contra Dei praeceptum certum est, uel, utrum sit certum non est: ita ut fortasse reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi⁴.’ Quae relata, probata iurique canonico, et interpretibus iuris. Non est subditorum, scrupulosius inquirere, quis iustius induat arma⁵. Et plerique sic ignorant milites, an bella iusta sint⁶. Subditi excusantur, non alii, qui militent iniustae caussae. Subditi excusantur citra distinctionem belli offensiuui, defensiui⁷. Et Baldus sic quoque de subditis, quod etsi bellum non sit iustum in capite, tamen necessitas facit iustum in subditis⁸. Quod tamen extra forum dicit conscientiae: ubi subditus non sic tutus sit, si habet conscientiam laesam. Sane Indi non militarunt regi, iniuste belligeranti⁹. Et subditus non iuste interficit innocentem ex mandato principis¹⁰. Sed de subditis mitto; non tamen illud quod est ad quaestionem, bello se uasallum posse defendere aduersus iniustitiam domini: at bellum aduersus eundem promouere non posse¹¹. Et filium defendere patriam contra patrem: hunc nec hostem offendere¹². Defensio semper, et ubique multo est fauorabilior. nam iuris naturae est. Priuatus arma et armatos sic cogit; etiam ad recuperandum ex interuallo quae sunt amissa; si iuris publici tutela non sufficit, aut sera sit¹³. Uidelicet et concedunt multa propter periculum morae, quae alias non concederentur. Defendere se potest miles gnarus iniustitiae suarum partium; quia non cogitur talem pati mortem: sed ipse aggressor esse non debet¹⁴. Si

¹ Cic. 2. de Off. 14.² Feud. 4. tit. 27. ex. Cuiaec.³ Alc. l. 5. de iust. (D. 1. 1) et 2. Para. 21; Bal. qui mo. se. am.⁴ c. 4. 24. q. 1; Rom. cons. 19. ⁵ Alc. 5. cons. 132; Ceph. 75. ⁶ Cas. 2. de Si. Ce. 14.⁷ Castr. l. 5. de iust.⁸ Bal. 2. cons. 385.⁹ Suida.¹⁰ Vict. 5. Relect.¹¹ Bal. 3. cons. 313; Alc. 5. 132.¹² Ang. l. 38 de adult. (D. 48. 5).¹³ Castr. l. 5. de iust.; Alc. d. 132.¹⁴ Sot. 5. de Iust. q. 1. a. 7.

bellum inferebant Romani, non id sibi duxerunt licitum per quosdam dies. at in bello excipiendo nullus dies obstabat illis, quominus uel salutem uel dignitatem defenderent¹. Quis enim obseruationi locus, cum eligendi facultas non supersit? et simile habes Macchabaeorum²: quicquid Dio et Plutarchus scribat, Iudaeos in magno Sabbatho non se domo mouere, etiam si hostes scalas moenibus admouerunt; et ita captum a Pompeio eorum fuisse templum³. Et ad eundem de his Iosephus: qui inter opera distinguit hostium hic⁴. Scio Baldum alibi hoc improbare de iniustorum defensione: et in eo quod probarunt compositores iuris feudalis, non uereri illos appellare pecora⁵. Scio quae generaliter disseri contra possunt. At rationes nostrae speciales id probant, et stant pro illis compositoribus. et pro illis etiam Barbatius disputauit: quia tutela non est proprie maleficium: etsi iniusta defensio est⁶. et quia etiam difficile sit, ad unguem discernere causas bellorum occultas, non ferente id aut tempore aut loco, cum id genus reliquis.

Rationes Baldi non mouent; nam falsum hic est, non licere propulsare legitimum aggressorem. Priuato non licet, uim domini sui legitimam a se, aut ab alio propulsare⁷. Sic legibus et naturae contrarium est, auxilio esse scelerosis: impeditur enim iustitiae executio, quae fit per magistratum, publicam personam. quod non contingit, quando opera datur, ne quis per uim armorum iratus sibi ius dicat. Item quod affert, eam defensionem iniustorum esse contra iustitiam et ius: cum uelit iustitia, suum cuique tribui; et ius sit ars boni et aequi: id nec nocet nostrae conclusioni: quoniam defensio a nobis neque probata est, nisi quae ad iustitiam et ad aequitatem uelit uim et arma retrahere. Subditus per me tenetur semper sequi dominum. Uasallus debet in iniusta causa defendere tantum; etsi uasallus tenetur in amplius quam libertus⁸; et libertus in amplius forte quam subditus. de quo uidentum est tamen. Alius princeps defendet etiam iniustos subditos alienos. Dic uero tria adhuc exempla pro supradicta distinctione: et fac finem. Ger-

¹ Macr. 1. Sat. 16.² Macc. 1.³ Dio. lib. 37. c. 16; Plut. de Superst. (169).⁴ Iose. Antiq. 14. c. 4.⁵ Bal. c. 1. hic fi. lec.⁶ Barb. ad Bal. ibi.⁷ l. ul. C. de sa. ha. reit. (1. 6).⁸ Ceph. cons. 18.

mani abnuunt militiam aduersus Caesarem et consanguincos suos: ceterum, quae iam capta essent, ea se tutaturos Gallis contra omnes, et repulsuros iniuriam pollicentur¹. Henricus septimus Angliae, se auxilio futurum Britanno, amicitia incolumi cum Gallo, huic significat per legatos. nam in ipsa Britannia tantum defensurus Britannum esset². Athenienses foedus cum Corcyrensisbus incunt solum ad defendendum. atque foedus ne frangerent Corinthiis, iubent, suos contra istos non pugnare aliter, quam si contra Corcyrenses proficiscerentur³.

Et haec sunt, quae iustas bellorum causas praebere possunt. Et iustorum uirorum est tamen, incidere causas bellorum pullulascentium⁴. ut Iustinianus noster dicebat. Tu pater iustitiae, Deus, etiam has tolle causas nobis. tolle bellum omne. da, Domine, pacem in diebus nostris, da pacem. 'At nobis pax alma ueni'⁵.

¹ Iou. lib. 16.

² Pol. Verg. lib. ult. (p. 578).

³ Thuc. lib. 1. c. 44.

⁴ Procop. 2. Pers. c. 4.

⁵ Tibu. 1. Eleg. 11. l. 67.





ALBERICI GENTILIS DE IURE BELLI

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

De bello indicendo.

QUEMADMODUM uero bellum iuste suscipere, ita et iuste gerere, ac tractare oportet. Neque enim satis est, si suscipitur iuste, nisi et iuste geratur, ut dicit Augustinus. ‘Hostis in bello religionem et iura retinet,’ inquit Cicero¹, qui ita praedones distinguit ab hostibus. Nam quod Tertullianus scribit, dolum et asperitatem et iniustitiam propria esse bellorum negotia², id de bellis administratis inique est capiendum, sicut et alia eiusmodi aliorum quorundam patrum: ut in superiore libro expositum est. Ut enim dolus atque asperitas in bello locum habeat iure, nulla tamen est belli pars quae uacare iustitia possit. ‘Iuste non minus quam fortiter ‘bella gerenda’ Camillus respondit³. Et Deus sic lege iussit⁴.

Atque haec quidem iustitia in eo primum esse uidetur, ut eum deliberationis nostrae certiores reddamus contra quem bellum deliberauimus. Id siquidem diuina itidem sancitum lege est⁵; et quae lex utique ad omnes pertinet, non ad Iudaeos solos: nam lex est non reipublicae, sed extra rempublicam. Sed et alii idem censuerunt, Graeci, barbari, et maxime omnium Romani⁶. ‘Nullum bellum iustum haberi uidetur, nisi nunciatum, nisi indictum, nisi repetitis rebus,’ ut scripsit Cicero: et est relatum in ius canonicum⁷. Et uero etiam ius ciuile sic censet⁸. Et itaque scrip-

¹ Cic. Ver. 4; Gell. lib. 2. c. 6. ² Tert. adu. Iudae. c. 9. ³ Liu. lib. 5. c. 27.

⁴ Deut. 23. ⁵ Deut. 20; Ioseph. 5. Antiq. 2; Aug. Iud. q. 49.

⁶ Herodot. 5; Xen. Ages. c. 1; Diony. lib. 2. c. 72; Liu. 1. c. 32. ⁷ Cic. 1. de Off. c. 11; c. 1. 23. q. 2.

⁸ l. 24. de capt. (D. 49. 15); l. 118. de U.S. (D. 50. 16); Ias., Bal. l. 5. de iust. (D. 1. 1), l. 4. C. de obs. pa. (6. 6), 1. cons. 418. qui. mo. fe. am.

tum ab interpretibus illud quoque est, proditorie cum agere, qui non indictum mouet bellum. Et sic notati qui mouerunt non indictum¹. Et Uarro in quarto de lingua Latina, iusta sic desiisse bella geri actate demum sua, more hoc sublato denunciandi. Retinuerunt Romani ad ultimum usque hoc priscae iustitiae et bellicae rationis². Triumphum omnino non decernebant, si bellum aut minus legitime indictum fuisset³. Unde solennis formula indicendi, et quaestiones illae, si satis foret, nunciari bellum ad primum praesidium hostium, an hostium principi nunciari oporteret: et utrum populi iussu bellum indiceretur, an satis esset senatusconsultum⁴. Sed ad rem. Gentium hoc ius ait Alciatus: et procul dubio est ut indicatur bellum, si consensus tot populorum quid facit ad constituendum ius gentium: et tanta tot seculorum doctissimorum hominum conspiratio meritis ac naturae uox ipsa esse uidetur⁵. Haec Dei uox. Haec ratio naturalis: ut antequam hostiliter agas, amicitiae uel communi illi, quae inter homines est, renuncies omnino prius. Quod si enim aut usus, aut priuata amicitia intercedebat, minus dubitandum est, quin huic oporteat renunciari. Et id exemplisque adfirmatur tum in proposito nostro publicis, tum etiam priuatis⁶. Regie Carolus rex Neapolis renunciat amicitiam Petro regi Tarraconensi: ctsi iste testificatione insigni (ut inquit P. Aemilius⁷) necessitudinem iuraque amicitiae uiolauerat.

Scilicet non opus renuciare amicitiam; renunciatam enim uideri, ut est apud Liuium, 'cum legatis, toties repetentibus res, nec reddi, nec satisfieri, 'aequum censuissent⁸.' Rursus si non est bellum clandestina magis contentio quam contentio legitima fori est, et iudiciorum, haec primum petitio et denunciatio fieri debet: ut in lite inerma fit. Petimus ciuilitur prius quam ad iudicium eamus, quod aut nobis debetur, aut est nostrum⁹. Quamuis fideret Aeneas fati, tamen humanitatis officium putauit ad Latinum legatos mittere, ne ob superbiam alienos fines inuadere uideretur¹⁰. Etsi nec exspectato responso urbem designat: quia iussibus Iouis omnino erat auscultandum et fati fidendum. Et si bono uiro non conuenit

¹ Paus. 4; Nic. Call. lib. 7. c. 16.² Polyb. lib. 13. c. 3.³ Sigo. de An. Iu. Pr.⁴ Liu. 1. 4. 31. 36.⁵ Alc. 14. de Si. Cer.⁶ Liu. 36. 42; Val. 4; Tac. Ann. 6; Suet. Calig.⁷ P. Aem. lib. 7.⁸ Liu. lib. 36. c. 3.⁹ Bal. l. 12. de serui. urb. praed. (D. 8. 2).¹⁰ Donat. Aeneid.

facere aliquid clam, quia sic aufertur quod est iuris naturalis, utique necessaria fuerit denunciatio¹. quoniam clam fit, quod non denunciatur: quod non ad notitiam perducitur eius cuius interest². Ego etiam indicium a Romanis lego bellum, et quum minime opus indictione uideri potuisset: quum laesum grauissime ius gentium esset ab his quibus Romani bellum propterea inferebant³. Indixerunt bellum Senonibus; qui legatos Romanorum interfecerunt: item Illyriis, item et Tarentinis, qui contumeliis insignibus itidem affecere legatos. Quod ius legatorum supra reliqua est sanctissimum. Et mitti legationes, denunciatores belli, qui ualent ad uiolatores legatorum, contemptoresque iuris eorum sanctissimi? Sane hic mihi legatio ista necessaria non est. Et interim dico, quod si possit tuto fieri ista denunciatio, ea non debeat praetermitti. Quid enim hoc uioletur ius, si per indictionem id agitur maxime, ut omnis praecidatur excusatio, et defensio legitima huic cui bellum indicitur? Nam et praecedat ordine indictionem, necesse est, admonitio, siue petitio: qua uidelicet non dispuncta, bellum esset et indiceretur⁴.

Inuitandum prius est ad pacem, ut communis docet Dei lex⁵. Et hoc est, quod Romani res repetere solebant prius, quas sibi raptas dicebant: aut alias iniurias emendari, quibus se affectos existimabant, ut modo de Cicerone audiuius: et alii adnotarunt: et exempla passim sunt. 'Per clarigationem' repetitis res raptas, ait Romanis Arnobius⁶. 'Clarigatio' erat, cum repetitae res clarae essent, clara causae belli testatio, ut explicant etiam grammatici; qui et hoc tradunt, rerum raptarum appellatione contineri non modo rapinae crimen, sed et omne damnum, et omnem iniuriam⁷. Et hoc item de uerbo rerum reddendarum, recipiendarum docetur⁸. Quid autem est, ut renuncies amicitiae, denuncies inimicitiam et bellum, nec tentes ius aequius primum? 'Extrema nemo primo tentauit loco⁹.' Atqui belli ius necessitatis est. itaque omnium postremum est. Hoc est, quod Romani solebant, ut bella tarde et nulla licentia susciperent, quod laudabat Uarro. 'Saepe legatos ante missos, res repetitas, renunciatum

¹ Bal. 3. cons. 102.

² Bal. l. 9. de off. proco. (D. 1. 1, 6); Cuiac. quod ui. (D. 43. 24); Alc. 8. cons. 69.

³ Liu. Epit. 12 et 20. ⁴ Gl. c. ult. de ui. et ho. cl. ⁵ Deut. 20; Ioseph. 4. Antiq. 8.

⁶ Arn. 2. adu. Ge.

⁷ Pli. 22. c. 2; Seru. 9. Aen. l. 53, 10. Aen. l. 14.

⁸ Fest. recipatio; Bris. 4. de For. c. 11.

⁹ Sen. Aga. 2. l. 153.

‘amicitiæ, si non redduntur. Et diebus tribus et triginta (qui solennes) ‘peractis, bellum postremo indici:’ ut apud Liuium¹; et in casu Saguntino obseruarunt alii historici specialiter: qui scribunt, ‘Non statim ad ‘arma procurrant, dum prius more legitimo quaeri malunt².’ Et si Carthaginicienses purgassent crimina, tum quiescendum Romanis fuisset. Etiam de Gallis recitat Liuius, ‘Erant qui extemplo Romam cundum censerent. ‘Sed uicere seniores, ut legati prius mitterentur questum iniurias, postulatumque, ut pro iure gentium uiolato Fabii dederentur³.’ Eleganter P. Syrus, ‘In iudicando criminosa est celeritas.’ Belluinum est, arma statim mouere.

‘Cum prorepserunt primis animalia terris,
 ‘Mutum, et turpe pecus, glandem atque cubilia propter
 ‘Unguibus, et pugnis, dein fustibus, atque ita porro
 ‘Pugnabant armis, quæ post fabricauerat usus:
 ‘Donec uerba, quibus uoces, sensusque notarent,
 ‘Nominaque inuenere; dehinc absistere bello⁴, &c.

Dixi Senecæ argumentum antea item de mutis et feris. Et hinc a Xerxe uituperati sunt Graeci, qui omnia non tentarent prius, ut sine armis controuersiae finirentur⁵. Sic uituperatus Ioabus a sapiente muliere in sacris Bibliis⁶. Et ille tum non insipiens, quum dicit, ‘Omnia prius experiri ‘uerbis quam armis, sapientem decet. Qui scis an, quæ iubeam, sine ui ‘faciat⁷.’ Sic Baldus, tentanda prius ciuilia remedia omnia, quam represaliae concedantur; quæ prohibita per suam naturam: et bellum tamen sit minus iustum, et minus licitum, quam represaliae⁸. Et Tullus rex bellicosissimus omnium, ‘Quæ uerbis componi non possunt, armis decernantur⁹.’ Et Theseus apud scenicum philosophum, ‘Si oratione non persuado, bellum ‘laudo. Uade, dic Creonti; Theseus amanter a te repetit cadauera. hic ‘primus sermo. Si nihil efficis: secundus, ut me armatum exspectet¹⁰.’ Sic Theodoricus Alarico, ‘Tunc ad arma, quum locum apud aduersarium

¹ Liu. 1. 26. 38. 42.² Flo. lib. 2. c. 6; Zon. lib. 8. c. 21.³ Liu. lib. 5. c. 36.⁴ Hor. 1. Sat. 3. l. 104.⁵ Herodot. lib. 7.⁶ 2. Sam. 20.⁷ Ter. 4. Eun. 7.⁸ Bal. l. 5. de iust. (D. 1. 1).⁹ Diony. lib. 3. c. 11.¹⁰ Eur. Suppl. 1. 383.

‘iustitia non potest inuenire¹.’ Et idem, ‘Quid opus homini lingua, si ‘causam manus agat armata?’ Sic Iuno atque Pallas uolunt Argonautas agere cum Acta, ut ut uiro ualde truculento². Sic agitur moderatius hic, et merito, propter caedes et propter uastationes, quam circa represalias: ubi distinguitur, quod aut iniuria facta a priuato est, et petenda iustitia sit a magistratu loci unde iniuria est: aut a publico facta est, et tum dentur represaliae nec petita iustitia prius³. Et forte est ratio, quia represaliae et propter omnino denegandam iustitiam dentur. atque hic omnino credi possit, negatam iri, ubi publicum contra factum suum, contra se statuere habet⁴. Publicum dico aut populum liberum, aut principem: ut antea est expositum: qui de iniustitia patrata a se, uel negata iustitia sic conueniendus. nam alium magistratum inferiorem a principe, et magistratum liberi populi quemlibet dico priuatum. quod et alii faciunt, respectu principis et populi, a quo pendent⁵. Atque sic rectissime in proposito. nam habes principem eius scilicet, qui tibi de iniustitia magistratus sui faciat satis. Si princeps non satisfaciatur, tum est bellandum, tum dandae sunt represaliae. Atque notes, quod represaliae sunt tamen intimandae semper. Sic bellum intimandum et mox gerendum ‘ex edicto.’ Quod uerbum nec legis solum in libris iuris canonici, ubi male Critici mallent, ‘ex praedicto⁶,’ sed etiam apud Liuium, ubi de Metio, ‘Quia suae ciuitati ‘animorum plus quam uirium cernebat esse, ad bellum palam et ex ‘edicto gerendum alios concitat populos, suis per speciem societatis pro- ‘ditionem reseruat⁷.’ Atque ego uerbum hic non expono de edicto magistratus, aut ducis, quum adesse et conuenire milites iubebantur: sed hoc ipso de facto indicti et denunciati belli⁸. ‘Promulgata,’ opinor, ‘praedia,’ dicit Cicero ex Ennio: et aliquis eorum criticorum ‘praedicta’ nominaret, quae sunt ‘antedicta⁹.’

Post indictum bellum, uides, expectari adhuc solitum dies tres et tringinta, antequam gereretur. Et id quoque iuste. ut dilationes in disceptationibus fori sunt post citationem, libelli oblationem: ubi indictio quaedam

¹ Cassiod. 3. Uar. 1.² Apoll. Arg. 3. l. 15.³ Bal. 4. cons. 107.⁴ Bal. 3. cons. 58.⁵ Casa. Suet. 6. not. 11.⁶ c. 1. 23. q. 2.⁷ Liu. lib. 1. c. 27.⁸ Briss. 4. de Form. c. 11; l. 20. com. di. (D. 10. 3).⁹ Cic. pro Murae. c. 14.

certaminis: ut postulatus uideat, si sibi cedendum sit uel contendendum. Sic mihi Cyrus male; qui Armenio regi simul intulit et indixit bellum¹. Et fuit id forte unum ex uafis iniustis factis, propter quae princeps ille Xenophontis non semper Erasmo placet². Et Romani male: qui tertium sic gesserunt bellum Punicum, momento indictum et illatum³. Et itaque Episcopus aliquis dixerat Chosroi regi Persarum, facere ipsum indigne, qui nullum tempus Iustiniano tribueret ad deliberandum, ut uel de pace inter se conuenirent, uel bellum ex conducto gererent⁴. Haec mihi certissimi iuris esse uidentur. et neque incognitum tamen est, uisa iri ridicula nonnullis omnia: qui cum Atreo potius, 'Antequam se firmet aut uires 'paret, petatur ultro⁵.' Sed his politicis iniustis praefixi responsum a principio, et saepe figo per totum opus. Sic politice, non iuridice, loquitur Maccenas: qui apud Dionem hoc tradere uidetur, in statu tantum democratico seruari iura haec et solennia clarigationum, indictionum, denunciationum, dilationum⁶. Atque nec abolita iura sunt: quae seruata imo uidemus in haec tempora: ut legere est in historiis frequenter⁷. Sed nec aboleri possunt: quae sunt gentium iura, et iussa Dei.

CAP. II.

Si quando bellum non indicitur.

FIT aliquando tamen, ut obseruari haec iura nequeant, aut etiam non debeant. Clam aliquando et furtiue licet rem suam recuperare: ut hic ait Baldus⁸. Sed belli non indicendi et indicatus antea est casus; et ut citatio in foro tolli aliquando ex causa potest, ita possit et in bello haec omitti denunciatio⁹. Quod item suscipitur bellum causa necessariae defensionis, utique denunciationem non exigit. Quod uero infertur necessario, ipsum denunciari oportet; quia et sine bello consequentur fortassis

¹ Xen. 2. Cyrop. c. 4; Zon. lib. 3. c. 16.

² Eras. ui. Hierony.

³ App. Punie. c. 76.

⁴ Procop. 2. Pers. c. 6.

⁵ Sen. 2. Thyest. l. 202.

⁶ Dio. lib. 52.

⁷ P. Aem. 9; Bemb. 1. Ue.; Nat. Co. 13; Machia.

⁸ Bal. l. 4. C. de ob. pa. pr. (6. 6).

⁹ Alc. 3. cons. 9.

exsules illi quod quaerunt, et consecuti sunt pluries. Aeoles recipiunt Colophonios, Lacedaemonii Minias¹. Cumaci alios, ui quidem coacti, sed absque bello². Gothos. Scythas, Alanos, Bulgaros, Saracenos Constantinopolitani imperatores³. Et Latinus rex olim Troianos, et Afri Tyrios, et alii alios.

In utili defensione nec diuersum constituetur. quando eadem causae manent; satisque uel metui consulatur, uel belli causa adprobabitur. Dari obsides possunt, tradi arces, deduci praesidia, dimitti exercitus, sponsore adsumi, fides obstringi, iusiurandum interponi, praestari id genus reliqua, quae, licet uincula uideri leuia possunt in regnandi iure, siue iniuria, ut Tullus quoque dixit⁴, sunt uincula tamen et iusiurandum quidem gentium omnium; nec sunt alia⁵. Et ea recepta sunt; et quae si non recipiantur, non nisi confusio superesset omnium rerum; nec coargui iniustitiae refractarius et iniustus umquam ualeret. Sic Alciatus in quaestione de moderamine inculpatae tutelae tradit, repromissionem interuenire posse aduersus metum. posse interuenire iusiurandum, fideiussiones, obsidatus, pignora arcium⁶. Idem porro et in uindicatione ius constituemus, ut bellum denunciatur ab his qui ultionem quaerunt: siue iniuria recens accepta est, siue uetus est. ut de utrisque sunt historiae: et supradictae uincunt rationes. Ceterum hic sciamus, quod si illata iniuria fuerit bellica: id quod ex paratu cognoscitur: nec indictum bellum fuit: utique nec indicent alii, qui in praesentia mouent ad ultionem. nam iura uiolanti ius redditur, si ius non praestatur. ut illic explicauimus in secundo De legationibus, ubi scripsi, quemadmodum qui alterius laesit legatos, is suis non speret stare ius legationis. Item neque his bellum indicetur qui iam pro hostibus habentur. ut quid enim opus indictione, per quam denunciatio hostilitatis, si hostes sumus et habemur. 'Quicquid demonstratae rei additur satis demonstratae, frustra est⁷.' Etiam illud dixere feciales, non opus esse, renunciare amicitiam, cum legatis repetentibus res pluries, eae nec essent redditae, nec fuisset aliter satisfactum. quod paulo ante retulimus. 'An Agesilaus, Alexander, alius Graecus indixisset barbaris bellum, quibus erant hostes semper?' Hi

¹ Herodot. 1. c. 150, 4. c. 145. ² Paus. 7. ³ Oros. 7; Greg. 2. 6. 19; Zon. 3. ⁴ Dionys. 3.

⁵ Dionys. 6.

⁶ Alc. 5. cons. 132.

⁷ l. 1. de do. prae. (D. 33. 4).

forte externi illi sunt, cum quibus semper esse iura belli, dixit Pomponius I. C.¹ Et de quibus nos disputauimus in primo libro. Sic sane Graecis 'externi' appellabantur². Sed quod generaliter (non hoc speciali casu) quidem docent, bellum iure nostro ciuili indici non oportere: id defendi non potest neque ab ea definitione, quam hostium dicunt idem Pomponius et Ulpianus: et in qua nihil dicitur de indictione³. Ea enim non est plena definitio: at unum illud docet, quod de publico nos tractauimus in definitione belli plena, et de principibus bellum gerentibus. Quamuis et apud eos iurisconsultos indictio haec et denunciatio omnino significetur illis uerbis, 'Publice bellum decreuimus.' Geritur praeterea bellum nec indictum, si iniuriae durat factio, aut iam fiat. Hic et priuatus defendet se⁴. Hic Cicero, 'Silent enim leges inter arma, nec se exspectari iubent, cum 'ei, qui exspectare uelit, ante iniusta poena luenda sit, quam iusta repetenda⁵.' Similia disserit Caesar ad mouendum Ariouisto bellum absque senatus decreto et populi; antequam ingrauesceret, praecoccupandum, ait. obtingere bella, ad quae parari homines possint; et querelae, et indictiones praecire, sed alia exoriri, quae tamquam iusserit necessitas, non possint in disceptationem adduci⁶: et caetera, quae apud Dionem sunt. An si facturus Ariouistus bellum Caesari fuisset, scribere Romam habuit Caesar, et ea omnia exspectare solennia, quae Saguntum perdidere? Dat ipsa lex potestatem defendendi. Dic etiam exemplum, si praedatores agri nostri nos bellico paratu persequimur. Et necessaria enim haec defensio dicitur iustius; quae nec istis legibus teneatur, sed sic explicetur, ut ferunt occasiones. Quid enim si bellico apparatu opus est ad praedatores hos repellendos, illum ego non adsumam citra belli denunciationem? cum tui alias redirent praedatores ad suos, et bonis nostris onusti iam de tutiori loco nos riderent. Reuersos non petemus bello nisi indicto. Iuris tamen interpretes non finirent tempus hoc tam anguste, quam nos facimus. Uerum et contra istos in caussis priuatorum facit nobiscum Iulianus, qui 'in ipso 'congressu' reciperationem uiolentam rei ui raptae admittit: adeoque post congressum negat⁷. Qua de re plura scripsi in libro 'De legitimis tempo-

¹ l. 5. de cap. l. (D. 49. 15).² Hero. lib. ult. c. 11.³ Bod. 1. de Rep. 7.⁴ Uell. 5. Con. 3. c. 15.⁵ Cic. pro Milo. e. 4.⁶ Dio lib. 38.⁷ l. 17. de ui ar. (D. 43. 16).

ribus.' In caussis tamen imperiorum forte ratio diuersa est. ut recipatio ista etiam admittatur contra eos qui reuersi ad suos sunt, incontinenti, ut est interpretum sententia, post horas et post dies cum primum erit commodum¹. Nam ut in caussis priuatorum ego non probem interpretes; illa ratio est, quod priuatus in re rapta nullum sibi ius parat maius, etsi tenet diutius. at in publicis roboratur qui rapuit, si reuersus ad suos collegerit se, et confirmauerit ad resistendum uires. Illud primum tempus reuersionis deputari absentiae etiam alibi solet propter res adhuc incompositas². At teneo tamen, non licere citra denunciationem agere cum reuersis. ut sic exempla uincunt, et conuincunt supradicta de recto iure postulatorum. maxime uero facit ratio, quod hic non a publico, sed a priuatis rapinarum fieri ponimus: atque ideo bellum esse contra publicum nequeat statum.

Denunciatio an requiratur, si princeps bellum moueat beneficiario suo, siue feudatario, fuit quaestio inter Galliarum regem et regem Angliae aliquando coram imperatore³. Et recte mihi distinxisse Gallus uidetur: ut si qua esset contra beneficiarium accusatio, per quam ad iudicium domini feudi eundum sit, dominus is iura haec gentium seruare cum feudatario suo non habeat. Atque est ratio manifesta; qui enim iure iudex est et superior, non iure cogitur ad subeundas partes partis et aequalis. Haec non est iustitia non tribuere cuique suum. Iustitia uirtus est quod suum est cuique tribuens; superiori, aequali, inferiori, cuique quod debetur. ut ita etiam Bernardus⁴. Et quod nostri, non is potest alteri se subiicere, qui potest per semetipsum iudex esse in causa sua: quia non solum suae personae, sed etiam iurisdictioni faceret praecudicium⁵.

Sic neque cum rebellibus seruabuntur haec iura. Et rebelles cape, qui erant sub ditione. nam qui ab amicitia, foedere, comi etiam obsequio defecerunt, his denuntiandum bellum est. Illis enim non est ius gentium, his est. Fidenatibus, Campanis non denunciant Romani, defectoribus a ditione⁶. Uolscis, Latinis, Hispanis, Poenis, aliis, denunciant, etiam stipendiariis et tributariis. Alium casum, quo bellum non indicitur, Baldus notat, quum erat bellum, et ab eo discessum pacto est in biennium nam biennio clapso indicere

¹ Dec. cons. 460: Ceph. 710.² l. 4. de vac. (D. 50, 5).³ P. Aemil. lib. 9.⁴ Her. de Ad. ser. 3.⁵ Castr. l. 12 de iurisd. (D. 2, 1).⁶ Dionys. lib. 5.

bellum non oportet, quod resumitur¹. Quod si autem bellum numquam fuisset, et si parata utrinque fuissent ad bellum omnia, et ea dilatio esset interposita eius pacti: necessaria foret indictio finito biennio: quoniam uerba pacti negantia et tempus nihil disponunt, ut ait Baldus. Utrobique bene. Et prior casus induciarum est: quae illud habent, inde a fine earum ui iam pugnari posse. Et ita fieri uidemus non modo in castrensibus paucorum dierum induciis, sed in multo etiam longioribus. Et ergo bellum fieri exeunte harum quoque longiorum die, audimus, neque ista solennia praemitteri. Ratio utrarumque induciarum eadem hic est.

Sed de istis solennibus quid statuo ad bellum quod suspicimus ferendo auxilium aliis? Mihi ita distinguendum uidetur, ut arma non moueamus contra singulariter foederatum coniunctumue, prius quam foederi et conjunctioni renunciemus. Sic Romani neque pro dedititiis Campanis contra Samnites antea arma sumunt; neque contra Carthaginenses pro Saguntinis sociis fidelissimis². Quod si nullum intercedit uinculum praeter commune naturae: auxilium forsitan feret, nec bellum denunciabis. Minus enim communi huic uinculo debetur³. Et nostrum bellum non est, quod nec nostro nomine geritur, nec auspiciis nostris. Itaque si in societatem uenissemus, et foret belli nomen commune et communis res, tum esset bellum denunciandum. Ubi nulla sumus belli pars: ubi iniussu nostro bellum et geritur et finiri potest, quid nos indicemus? Et, si auxilia pecuniarum ferimus, bellum quoque indicemus? Et si comaeatum? Et si consiliorum? Ita ego opinor, omnino si auxilia ferimus ad defensionem. Imo hoc casu sic dico, etiam si auxilia ferremus contra singulariter foederatum. Et rationes dixi in fine libri superioris. Si arma coniungimus ad offensionem, tum non extrico satis. Qui bellum mouet, ipse indicit, alius bellum quod suum non est, cur indicat, uix uideo. Uerum est, quod propter auxilia summissa peti bello auxiliatores possunt semper. Et petiti a Caesare Britanni sunt⁴: ab aliis alii: etiam cum communicata consilia tantum sunt⁵. Sed tamen quod patretur aliquid hostile per administrata auxilia haec, non ideo bellum hoc est, et bellum indicendum est: aliud non item, aut

¹ Bal. de Pa. Co.² Liu. lib. 7. c. 29, lib. 21. c. 6.³ Alc. l. 1. C. de in ius vo. (2. 2).⁴ Caes. 4. Gal. 20.⁵ Paus. lib. 7.

non quasi bellum. Atque hoc est, quod fecisse se saepe regina Angliae cum Hispano rege ait publicatis litteris: dum uicinis Belgis siue pecunias siue arma suggerit contra Hispanicam uim: ut fecerit et certiozem simul regem illum de facto isthoc suo toto, et facti caussis. Et ergo haec ita mihi uidentur.

Sed si bellum non indicitur, quum indici oportet: tum proditoric agi dicitur¹: et iniustum, et detestabile, et internecinum bellum est: id est, quod nulla lege belli, sed pro libidine geritur: et in quo omnia iura belli merito cessare uidentur². quale non diu abhinc gestum a Rhaetis cum Maximiliano imperatore memorant: et antea a Uenetis cum Genuensibus: et olim a Romano milite contra Ausones, a Sylla contra Samnites, a Germanico semel contra Germanos: et quale fuit quod Carthaginenses gessere contra stipendiarios: et quale cum Romanis sibi esse, Annibal denegabat³. Imperium, gloriam petebat Annibal, non salutem⁴. Hoc est internecinum, capitale, exitiosum, in quo, non utri uincant, sed utri sint, agitur⁵. Sic cum Celtiberis, cum Cimbris bellum. Hoc est bellum internecinum, quod Israelitae gerere contra Cananaeos habebant: ut sic dicit illis de his Deus, 'Omnino internecioni deuouete eos. ne sinite uiuere ullam rem⁶.' Sed hoc tamen iustum, quod iussit Deus. Imo ad ista prima solennia mihi notes, quemadmodum nec sunt omissa cum gentibus illis exterminandis: ut indicauit in sermone de caussis bellorum. Tantum abest ut defendi ualeat Pyrrhus, qui Lacedaemoniis incusantibus legatis, quod non indicto prius bello eos Pyrrhus inuasisset, respondit, neque Lacedaemonios praenunciare solitos aliis, quod facturi essent⁷. Iniqua responsio: nisi hac ipsa in re contra ipsum Pyrrhum peccassent Lacedaemonii. Qui enim non iure agit, ipse nec conqueri debet, si sic secum agitur⁸. 'Neque enim lex iustior ulla est, quam necis artifices arte perire sua⁹.' Haec summa aequitas, et sine cuiusquam indignatione iusta: quis enim aspernabitur, idem fieri sibi quod aliis ipse effecit¹⁰? Et tamen si non Pyrrho sic fecere, liberas ad eum aedes habuerint. ADUERSARIO

¹ Ceph. cons. 57.² Alc. S. Pare. 18; Plut. Peri.³ Alc. eo. Pachy. 9; Liu. 9. 22; Tac. 2. Ann.; Polyb. 1. ⁴ Cic. Lael. 8 et 1. de Off. 12.⁵ Manut. Phil. ult.⁶ Deut. 20.⁷ Plut. Pyrr.; Polyæn. lib. 6.⁸ Alc. 5. cons 132.⁹ Ouid. 1. Ar. Am. l. 656.¹⁰ l. 1. quod qui. iu. (D. 2. 2).

POSTULANTE. ait praetor. de quo et omnes interpretes explicarunt. Atque satis de belli denunciatione. Nunc in bellum ire oportet.

CAP. III.

De dolo et stratagematis.

ATQUE in bello gerendo aliquid est, quod eius partes omnes peruatit, dolus et stratagema. de quibus scilicet non una in parte belli, sed in omnibus dispici potest. Stratagema autem tribus continetur speciebus, cautione, siue fallacia, audacia, utrinque mixto¹. Et unum quodque componitur oratione, facto, utrinque mixto. et haec licent persuadendo, cogendo, iniuriam faciendo. †ut hi sunt tamen, contra quos ista licita sunt, ut sunt hostes, ut in bellis licita sunt. In simulacris bellorum (ludos dico) non sunt licita, quod certum, et per exempla plura ostendit alicubi eruditissimus P. Faber². Et ratio manifesta est: quoniam leges ludorum eae sunt, ut de eo certetur quod est ludus. itaque qui cursu contendere habent, hi nihil nisi currere habent: aut si aliud faciunt, iam cursu non contendunt. Rabidum dicitur aliorum certamen³. Etiam illa est differentia inter bellum et duellum, quod pares esse duellantium condiciones debent: uirtute enim propria illic agitur. quod non in bellis, ubi de regnorum agitur uirtute. Non in bello est huiusmodi stricta lex: uerum quaeritur uictoria nullo certo modo. Sic Uirgilius, qui dolum in ludo non probauit, at Salio creptum dolo primum reddit honorem, contra hostes non secus atque uirtutem admittit dolum, per os non illaudati principis, ‘Dolus, an uirtus quis in hoste requirat⁴?’ Fecit Uirgilius ut Chorebi sententiam hanc sequerentur uiri alii laudati, et Ripheus iustissimus, et aequi seruantissimus, imo et ipse etiam Aeneas, censente Scaligero, aliisque: de quibus alibi dico. Atque illam generalem sententiam sic asserunt alii quoque, ‘Nullo discrimine uirtutis ac doli, ‘prosperos omnes laudari debere bellorum euentus⁵.’ Et de Augustino,

¹ Cl. A. Str. 1. ² Sil. 16; Hom. Il. 23; Cic. 3. de Off.; l. 1. C. de ale. (3. 43); Fab. 3. Ago. 19.

³ Caser. 1. de Si. Ce. 7 et lib. 2. §§ 13, 14. ⁴ Virg. 2. Aen. l. 350. ⁵ Amm. lib. 17.

inque iure canonico, 'Quum iustum bellum susceperis, utrum aperta pugna, ' utrum insidiis uincas, nihil ad iustitiam interest¹. De quo interpretes sic tradunt iuris, licere per cauillationes et fraudes hostem decipere². Et sic ipsi auctores, et magni illi magistri huius bellici iuris, 'Ueteres dolum ' etiam bonum dicebant, et pro solertia hoc nomen accipiebant, maxime ' si aduersus hostem latronemue quis machinetur³. Et ergo uerissima haec, et certissima uideri potest opinio, quam aliique, et theologî, et canonistae, et ciuillistae scriptores tradunt. Ille autem, quisquis fuit, aut qui scribit grammaticus, nihil moueat cum sua, 'Turpem dolo quaesitam uictoriam : ' si non de malo intellexerit dolo, de quo nos statim⁴. Interim hi. uictorias plures esse partas arte et fallaciis⁵. Et relatum ab oraculo, non Martis tantum muneribus, sed et astu belligerandum⁶. Et dictum a Brasida fortissimo, belli esse furta honestissima⁷. Silius autem eleganter, ' exin uirtuti placuit dolus : ' postquam Fabio Maximo placuit dolus⁸. Atque haec plura sunt. Etiam iure naturali licitus nonnullus est dolus, non est deceptio omnis illicita⁹. Est Grillus, qui exprobrat Ulyssi, quod dolis et fraudibus deceperit homines olim sequentes ingenuum atque generosum belli morem, nesciosque fallendi et decipiendi, et idem uersutis factis indiderit uirtutis nomen, quae est a malitia perquam aliena¹⁰. Et forte etiam Ulyssaei doli omnes non defenduntur. Uersutia certe et malitia non defenduntur : quae semper sunt mala.

Simpliciores autem fuerunt olim in bellico uniuerso negotio. et interdum locum finiebant in quo dimicaturi essent, itidem et tempus, et in hoc ueteres se iactabant Romani supra postumas Graecas calliditates, uersutias Punicas¹¹. Ceterum est discessum ab ea simplicitate : et responsum, non oportere consiliariis hostibus uti : et armorum non magis esse militiam, quam temporum. Tantum ergo uidendum est, ne omnem dolum et omne uafrum commentum admittamus. Neque enim admittitur malum : nam iure agitur cum hoste, ius autem numquam est malum, sed ars boni et aequi. Atque quod hostes,

¹ Aug. Ios. q. 10 ; c. 2. 23. q. 2. ² Ceph. cons. 696. ³ l. 1. de dol. (D. 4. 3).

⁴ Isid. lib. 18. c. 1. ⁵ Xen. Hippar. ⁶ Paus. lib. 4. c. 12. ⁷ Thuc. lib. 5. c. 9.

⁸ Sil lib. 15. l. 327. ⁹ l. 16. de minor. (D. 4. 4). ¹⁰ Plut. Brut. Ra. uti.

¹¹ Liu. 8. 42 ; Polyb. 13 ; Plut. Pomp. Mar. Pyr.

latronesque iurisconsultus in proposito pares fecisse uidetur; non ita accipiendum est, quasi idem dolus sit bonus in hostes, qui bonus in latrones est. Nam in subditos, omnisque iuris uiolatores, plurima longe dantur quam in aequales et iuris eiusdem obseruatores. Ecce disceptatur acriter, si pacta fides sit seruanda latronibus, aliisque huiusmodi criminosis: et plerique omnes utriusque iuris interpretes negant seruari oportere. Quod nemo de hostibus defendit: at contrarium maximo consensu tradunt¹. Adde haec Senecae de hostibus, 'Multa legem non habent, nec actionem. atqui consuetudo uitae humanae, lege omni ualentior, dat aditum. nulla lex iubet amicorum secreta non eloqui: nulla lex, fidem etiam inimico praestari; tamen, etc.'² Et hoc adde Sillii, 'multo optimus ille militiae, cui postremum est primumque, tueri inter bella fidem.' Iustitiae fundamentum est fides³. Fides non seruanda piratis, praedonibus, nec iurata, nam isti ex perduellium non sunt numero. nec fides est cum ipsis, nec iusiurandum commune. aduersus uero iustum et legitimum hostem ius faeciale totum, et alia multa sunt iura communia: ut haec omnia scribit M. Tullius. Ego autem, ut eius dicta non probem omnia, non quae sunt de iurciurando, tamen uolo hoc certe cum ipso, et cum aliis, dolum bonum alterius generis esse, qui contra latrones, et qui contra hostes probetur. Age, pergamus de isto dicere.

CAP. IV.

De dolo uerborum.

DOLUS est fraus, fallacia ad circumueniendum. Et uel uerbis, uel factis admittitur. A uerbis autem pactorum cum hoste absint capedunculae omnes. Nam et bonae fidei sunt omnia isthaec principalia, aut cum procuratoribus principum gesta⁴: et ualde respuunt scrupulosas interpre-

¹ No. 1. 5. de pa. (D. 37. 14); Zaf. cont. Eck.; Alc. l. 177 de U. S. (D. 50. 16); Bod. 1. de Rep. 1; Mar. 3. Iud.; Uiu. Com. Op.

² Sen. 5. de Benef. c. 21.

³ Cic. 1. de Off. 7.

⁴ B. 1. cons. 263. 327. 2. 14. 3. 218. 5. 188. 352; Alc. 3. cons. 36. 5. 12. 18. 105. 8. 49.

tationes, disputationesque de apicibus iuris, id est, de subtilitatibus¹: et ab omni malitia longe esse debent: et solam ueritatem intueri, quam colit ius gentium, et postquam uadit, non autem post subtilitatem bona fides. Quae omnia Baldus et Alciatus, ueteris et nouae iurisprudentiae principes. Atque sic notauit M. Tullius, facciali iure 'acquitate' esse praescriptam². Leguleiorum est, syllabas et apices aucupari, non militaris simplicitatis: cui tam uarie, tam multimode, tam multa leges indulgent³. Secura ea, et obtusior, et a fori calliditate longe est posita⁴. 'Arma etenim magis quam iura scire, sacratissimus legislator existimauit 'militis.' Cum militibus attenditur ius gentium, et aequitas naturalis, omisso rigore iuris ciuilibus⁵. Et itaque simplicitas attenditur: nam ea iuris gentium est⁶. Legales subtilitates in uerbis idiotarum non quaerendum, sed ita intelligendum, quemadmodum intellexerint uerisimiliter idiotae, scilicet rudes isti aptum nesciunt proferre sermonem⁷. Pericles igitur improbus, qui pactus, futuros hostes incolumes, si ferrum deponerent, eosdem necat, quod in sagis fibulas ferreas retinuissent⁸. Est hic ferri nomen de armis. 'Ferro, non auro, uitam cernamus utrique,' inquit Pyrrhus apud Ennium. Plataeenses improbi, qui pacti reddere captiuos, necatos hos reddunt⁹. Quasi cadauera essent captiui, et mortuus homo esset homo¹⁰. Improbus Alexander, qui incolumem ex urbe decessum annuit defensoribus, sed progressos aliquantulum uiae interimi iubet¹¹. Quod bellicis Alexandri gestis illuibilis labes adhaesit: ut scribunt. Et quidem merito, si hoc tantum quaeritur, an pactum si sit, ut tuto exire urbem illi potuerint, capi sic, et interfici potuerint, postquam existiissent. neque enim quisquam est, qui ita pacisci uelit: et neque quidquam est, cur uelit. Qui capitur in templo, et est dimittendus, et ita dimittendus, ut difficilis eius sit persecutio¹². Quod ius aptissimum hic est: nisi quid aliter conuentum est. Dercyllidas, Thibron, Paches improbi, qui polliciti obsessis, si ad se uenissent, reditum in obsessam urbem, minitantur mox mortem ueni-

¹ Bar. C. de his, qui in pri. lo. er. su. (8. 19); Ceph. cons. 712.² Cic. 1. de Off. 10.³ Cic. 1. de Ora. 55; l. 25. de prob. (D. 22. 2).⁴ Tac. Agr.; Alc. 5. cons. 40.⁵ Alc. 5. cons. 38. 8. 54.⁶ Bal. l. 5. de iust. (D. 1. 1).⁷ Bal. l. 11. C. de te. mil. (6. 21); Rom. cons. 4.⁸ Front. 4. c. 7.⁹ Thuc lib. 2. c. 5.¹⁰ Arist. 1. de Par. An. 1; l. 49. de leg. 2. (D. 31).¹¹ Diod. 17; Polyae. 4; Arr. 4; Plut. Alex.; Zon.¹² Bar. l. 1. de ad. re. do. (D. 41. 1).

entibus, nisi dedidissent urbem: et itaque in deditam reditum concessere¹. Non haec dedita illa nunc urbs, in quam reditum paciscebantur. Improbi Samnites, qui cum hostibus pacti de lapide tollendo per uniuersum muri ambitum, sic tollunt a parte infima: et itaque murum tollunt uniuersum². At si lapis de muro tolli debuit, murus utique tolli non debuit. Campani improbi, qui dimidiam armorum partem relinquere hostibus habebant: arma autem omnia disseuerunt, et dissectorum partem dimidiam reliquerunt³. Et improbus ille pariter Romanus, qui naues secuit Antiocho omnes, quod dimidiam partem nauium ex foedere tradere rex deberet. Et praestigiator improbus hic Ualerio dicitur⁴. Est enim non haec diuisio, sed omnium corruptio. ut belle Cascelius, 'Nauem si diuidis, nec tu, nec 'socius habebitis'⁵. Et interpretes in facto ridiculo eius qui sic item emerat dimidiam ficuum partem, atque medios singulos uolebat⁶. Et Labco et Sabinus quod si uestimentum scissum reddatur, uel res corrupta reddita sit, res abesse uideatur⁷. quae et Pedius, et Ulpianus, et Paulus probant. Romani rursus improbi, qui spondentes, liberam fore Carthaginem, ad ciuus uerbum transtulere sponsionis, quibus ciuitas constaret, non moenibus et aedificiis, quae dirui iubebant⁸. Etsi enim ea sit differentia urbis et ciuitatis, quod 'urbs aedificia, ciuitas incolae' sint⁹: tamen est interpretatio omnis sinistra et extranea quae non consonat auribus uulgi; ut haec subtilior, et neglecta passim non consonat differentia¹⁰. Etiam nec ciuitas libera relinquitur, quae iubetur alio migrare. 'Nihil abest a captiuitate iussio de migrando suis sedibus'¹¹. Nec ciuitas sine urbe, aedificiis et moenibus est in quibus multa ciuitatis ratio est. Ut de his explico fuse alibi. Sane autem in pluribus eius tertii belli Punici uix tueri Romanos possis. Improbi et in secundo illi milites Romani, qui capti ab Annibale, et sic dimissi, ut, si senatus captiuos non permutaret, ipsi ad Annibalem redirent: et solutos se religione dicebant, quod cum egressi ab Annibale essent, commentitio consilio regressi eodem die, et itaque impleto iureiurando de redeundo iam nulla obstricti condicione abiissent.

¹ Polyæn. 2. 3. ² Polyæn. 6. ³ Polyæn. 6. ⁴ Val. Max. 7. c. 3. ⁵ Macr. 2. Sat. 6.

⁶ Ias. Alc. l. 12. 13. si. cer. pe. (D. 12. 1). ⁷ l. 13. 14. de U. S. (D. 50. 16).

⁸ App. Punif. c. 130.

⁹ Cic. 1. de Rep. 26; Bal. l. 4. de off. proco. (D. 1. 16).

¹⁰ Ceph. cons. 40.

¹¹ Cedrenus.

Haec istorum fraudulenta calliditas tam esse turpis aestimata est, ut nullis non conuiciis, decretis, notis proscissa fuerit¹. Et Cicero hoc de facto, 'Semper in fide quid senseris, non quid dixeris, cogitandum.' Et generaliter theologi de iureiurando, 'Quacunque arte uerborum quisque iuret. 'Deus tamen, qui conscientiae testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui iuratur, intelligit. etc.'². Eadem his militibus fraus, et multo tamen immanior fuit Othonis episcopi Moguntini: quam alii narrant et notant³. Improbis Agnon, Cleomenes et Thracis improbi: qui in dies aliquot cum essent inducias pacti, nocte interim aliqua aliquid egerunt hostile; quasi nox non contineretur appellatione diei, etsi non de die uno, sed de pluribus dictum est: et quando id quod agitur, non in luce modo, sed et in tenebris tractatur⁴. Ut de his mihi sermo est in alio opere. Sed et prouerbio notatum commentum hoc Thracium. Etiam et Phoenicum pactum de insidiis dictum tradunt: quoniam cum in Libyam appulissent, et ab incolis loci impetrassent, ut possent illic esse noctem et diem, abire postea numquam uoluerunt: quasi hoc pacto tuti, quod idem significaret ac si conuentum esset, ut manerent donec dies et nox esset in perpetuum⁵. Et forte lingua Phoenicia, item Libyca propius iuuat hanc fraudem: quae manifestior et impudentior detegitur in Latina. Sic et aliae supradictae Graecorum, Opicorum, Scytharum, aliorum. Illi iidem Phoenices commentum illud alterum de taurina pelle induxerunt, mercati solum, 'taurino quantum possent circumdare tergo.' Et aliud commentum iidem commenti alibi⁶. Sed et paribus artibus tum excepti a Graecis fuere. Nam Graeci, qui eis debebant naues, tradunt has sine clauis, remis, uelis, ueluti hae essent naues. Insidiose: at contra insidiosos⁷. Improbi Locrenses, qui amicitiam pacti perpetuam, dum terram illam calcarent, et capita illa humeris portarent: terra, quam calceis antea iniecerunt, et capitibus aliorum, quae clam apposuerunt humeris, excussis, bellum mouerunt⁸. Haec futilissima commenta; quibus uti forsitan possis, quemadmodum Numa, Brutus usi perhibentur, ad immanitatem aliquam

¹ A. Gell. 7. c. 18; Cic. 1. de Off. 10.² c. 9. 22. q. 5.³ Sabell. 10. Enn. 8; Alc. de Si. Ce. c. 17.⁴ Str. 9; Polyæn. 6. 7; Cic. 1. de Off. 10; Plut. Apoph.⁵ Suida.⁶ Athen. lib. 8.⁷ l. 242. de U. S. (D. 50. 16).⁸ Polyæn. 6.

auertendam: sed hic uti non possis¹. Improbis Aryandes, Persae improbi, qui itidem pacti amicitiam donec staret illa terra: fossam antea factam, et terra cui insistebant tectam, aperuerunt, suppressa infraque depulsa terra: et itaque se pactione liberatos uenditabant, illa terra non stante². Et tale Perusinorum commentum, improbatum iurisconsultisque Perusinis: ut pax papae et Perusinis esset donec haberent in corpore 'de uite,' quod uocabulum Italice et uitas et uites significat³. Perusini autem de uite sibi intellexerunt, quam in sinu occultam gerebant, et quam postea abiecerunt, et itaque habere in corpore desierunt: ac bellum cum pontifice renouarunt, qui fidens foederi, ubi uitam intellexerat, agebat iam securus. Ista sunt commenta adeo putida atque putrida, ut in ipsis recensendis ac refutandis ego uideri nimius queam. Refutaui alia alibi. Seculo hoc nostro exprobratum scimus Carolo quinto et Ludouico regi Galliarum, quod non principibus, sed leguleis dignas uerborum ac pactorum interpretationes afferrent⁴. Non hos decet (ut dicam iterum in fine, quod dixi in principio huius disceptationis) de iuris apicibus contentiones inferre. tantum abest, ut exercere uerborum sophismata possint, et subtilitates fuitiles consecrari⁵. Principum statuta non sunt per astutam interpretationem subuertenda⁶. Astutae et malitiosae interpretationes, et calumniosae, et uersuti iuris praestigiae etiam de rebus priuatorum tolluntur⁷. Quanto igitur magis tolli de publicis debent? In pactionibus fauorabilibus et bonae fidei, spernuntur omnes apices iuris, qui bonam fidem non tangunt, et qui per nimiam subtilitatem euertunt bonam paciscentium fidem⁸. Remotae sunt a ueritate uerborum insidiae⁹. Cum id genus plurimis. Stratagema igitur probamus. at aliud stratagema est, aliud est perfidia. Hic timendam culpam dicimus, etiam quum non est culpa: ut sic conscientia bonorum uirorum est¹⁰.

¹ Ouid. 3. Fast. l. 295; Macr. 1. Sat. 7. ² Herodot. lib. 4. c. 201; Polyæn. 7.

³ Pont. l. 1. de U. O. (D. 45. 1). ⁴ Sleid. 19; Na. Co. 3; Guicc. 5. ⁵ Bal. 5. cons. 365.

⁶ l. ult. C. de prae. ag. in re. (12. 21).

⁷ l. 2. C. de legi. (1. 14); l. 28. C. de adult. (9. 9) l. pe. D. ad ex. (D. 10. 4).

⁸ Dec. 3. cons. 102.

⁹ Dec. 3. cons. 84; Ceph. d. 713.

¹⁰ Alc. 8. cons. 18.

CAP. V.

De mendaciis.

SED hic una restat quaestio, si hostem mendacio aliquo liceat circumvenire. Respondeo autem, contingere uarie posse, ut quis mendacio utatur aduersus hostes. Et itaque unam definitionem esse non posse eius rei, nec responsonem unam. Uentidius exploratores Parthorum cum nosset, qui ad se transfugae uideri uolebant, sic tractabat humaniter tamquam amicos, ipsisque contra suos Parthos abutebatur: dum sinebat, se ab illis audiri, quod facturus quid foret: quando tamen alia cogitabat omnia: ut illi de perceptis quasi consiliis facerent certiores Parthos: et isti ad nunciata pararent se interim; ut imparati offenderentur alibi, ubi uere ipsos inuadere Asculanus noster cogitabat¹. Et Mauritius imperator obsessos quosdam suos monuit, ut durarent: se namque praedatum ire in agros hostium: et praedam iam confecisse magnam mulierum et rerum omnium². Atque haec falsa erant tamen. Sed tamen ea dum hostis audit, interceptis (ipso id curante Mauritio) literis, suorum timidus soluit obsidionem. Simile autem cum Uentidio egisse Agesilaum, Plutarchus memorat³. Et simile huic Mauriti fuit illud Catonis Censorii, qui Ilergetum sociorum legatis auxilia pollicetur, quae socios confirmare, hostes terrere potuerint: et quae tamen non ferre certus decreuerat⁴. Similius illud Flacci, in eadem Hispania ab hostibus circumsessi, dicentis, hostium urbem expugnatam ab Aemilio. quod ueriti hostes, Flaccum relinquunt⁵. Isti sic mentiti contra hostes sunt, ut ne uerbum cum hostibus fecerint. Itaque tuti sic esse possunt apud hostes, quod hostibus nihil promiserint, nihil dixerint.

Quid ergo si hostem ipsum alloquimur mendaciter? Themistocles, Graecos suos ut cogeret contra Persas ad proelium prope Salaminam, misit qui Persis a se nunciaret de beneuolentia erga ipsos sua, et de Graecorum trepidatione et instructa fuga: ergo ipsi uenirent, et

¹ Dio. 49. c. 19.² Cedr.; P. Diac. 17.³ Plut. Agesil.⁴ Liu. 34. c. 12.⁵ App. Hisp. c. 81.

Graccos opprimerent¹: et res aliter erat. Aut sic liceat. aptasse exemplum. Idem Themistocles, dum ueretur, ne post uictoriam suorum naualem adhuc subsisteret Xerxes in Graecia, atque nouas in angustias Graccos induceret, monet Xerxem eadem simulatione amicitiae, festinaret abire de Graecia antequam sibi exitus a Graccis intercideretur². Et ita regem illum statim exegit, timentem, credentem uera Themistoclis monita. Et simile Philopoemenis mendacium aduersus Nabidem narrat Liuius³. Mentitur Porsenae Scacuola de trecentis coniuratis suis. Africanus maior de pace agit cum Syphace: et nihil cogitat minus⁴. Et de Arato scribit Polybius, quod multa, contra quam loquebatur, moliri in hostes consueuerat⁵. At exemplorum iam satis. Et exempla tamen talium uirorum facient partem aliquam in iure constituendo, quod quaerimus. Scilicet est probabile, quod probatis probatum est uiris⁶. Et reliqua, quae scripsi antea de exemplis. In his autem exemplis hosti mentitus hostis est. Nec tamen de eiusmodi mendaciis hostem ab hoste accusari audiuimus umquam. Facilitatem suam accuset, qui hosti credit. ‘Ne credas inimico tuo in seculum.’⁷ In casu superiore, quum hostis allocutus hostem non est, accusari hostis non potest. Refert enim in gestis uiuorum, cum quo quis loquatur⁸. In posteriore nec accusatur hostis. nam in nudo dicto statur, non ad aliquod promissum descensum est. et neque in contrahendo is admissus dolus est⁹. Ergo nulla contracta obligatio ex eo est. Quae ratio facit certam definitionem in priori. Cum uideri non firmum alioqui possit, quod dicebatur, referre in gestis uiuorum, cum quo quis loquatur. Scilicet regula secundum rigorem iuris ciuilis, non secundum acquitatem iuris gentium, est, ‘Res inter alios acta,’ etc. ut sic Alcicius respondit, referre imo hic nihil, cum quo quis loquatur¹⁰. In contrahendo mentiri hosti non licet. Sic uideri possunt non probe egisse Iabeschitae: qui pacti antea deditionem, si suppetiae sibi non ferrentur intra dies tot: et suppetiis aduentantibus, pridie pacti diei nunciant hosti, se sequenti pacta dic facturos deditionem: quum (ut dico) haberent auxilia in manu,

¹ Herodot. lib. 8. c. 75.² Plut. Themist.³ Liu. lib. 35 c. 28.⁴ Polyb. lib. 14. c. 1.⁵ Polyb. lib. 2. 43.⁶ Arist. 1. Top. 1.⁷ Sirac. 12.⁸ Bal. 3. cons. 121.⁹ l. 19. de aed. ed. (D. 21. 1); l. 37. de dol. (D. 4. 3).¹⁰ Alc. 5. cons. 46.

victoriamque¹. Qui tamen negant, Iabeschitas esse mentitos, aiunt, illi nuncio subesse condicionem, si suppetiae non adfuerint: ut sic fuerant antea pacti. Et quidem sic fuit negandum mendacium. si enim mendacium est, defendi hic ipsum nequit. adprobari autem iure nostro, quoniam in contractu qui alium respicit condicionalem, repetita condicio intelligitur, imo expressa². Et ego tamen non puto repetitam condicionem: quia uerba repetitionis posita a Iabeschitis non sunt. quod requiritur³. Ceterum hoc in praesentia non tracto: quod est alterius mei operis De condicionibus. Gabaonitae omnino mentiti sunt male⁴. Et eis non parcere Israelitae potuerunt, mentitis in praecipuo conuentionis de terra sua, et foedus sic ineuntibus cum Israelitis. Nam dicere Israelitae potuerunt, se illis tantum iurasse, quos esse crediderant, et de ipsismet acceperant Gabaonitis⁵. Et error in corpore uitiat contractum⁶. Et iste Israelitarum uitiat tanto magis, quanto est fraude Gabaonitarum admissus. Regula communis est, promissionem sub fide falsae assertionis partis non obligare⁷. Et contractum uideri factum tamquam cum tali. Nec tamen displicuisse uidetur Deo (si Augustino credis) clementia Israelitarum: qui iurationem seruauerunt mentientibus⁸. Et Ambrosius, 'Ne dum Gabaonitarum fidem argueret Iosue, suam laedere. uiliori tamen ministerio eos multauit'⁹. Sic neque pacta eis seruauit, si eos multauit. Et certe Iosue de uiliori ministerio post exponit, quasi de re nec comprehensa in priori pacto. 'Quare decepistis nos? Nunc ergo maledicti estis. neque deficiet ex uobis seruus,' etc. 'Gabaonitas ob dolos, et insidias foederis impetrati, in aquarios, lignariosque, damnauit,' sic Hieronymus¹⁰. Et neque iusiurandum, propter quod se adstrictos teneri censebant Israelitae, uere (ut mihi uidetur) hos tenebat, et efficaciter¹¹. quoniam in promissione per dolum extorta, et facta per errorem, nihil operatur iusiurandum, nec supplet defectum consensus¹². quicquid nostri aliqui contrarium dicant. qui et refutantur¹³. Iuramentum

¹ 1. Sam. 11.² l. 19. de pe. co. (D. 13. 5); l. 14. de nou. (D. 46. 2); Bar. l. 2. de con. em. (D. 18. 1).³ Soc. 3. cons. 85.⁴ Ios. 9.⁵ Bal. l. 15. de adopt. (D. 1. 7).⁶ l. 19. de con. em.⁷ Alc. 8. cons. 9.⁸ Aug. Ios. q. 13.⁹ Ambr. 3. de Off. 10.¹⁰ Hier. Ep. 27.¹¹ Ios. 9; Iose. 5. Ant. 16.¹² Dec. cons. 532. 600; Alc. 5. 8. 135; Ceph. 642.¹³ Alex. 1. cons. 42 ubi Mol. et 5. 133.

quod non habet consensum, non habet spiritum¹. Consensus ubi deficit, ibi et ius naturae. Omne falsum peccat iure naturali: ergo nihil facit iusiurandum. Ut quid autem iusiurandum praestet auctoritatem iniquitati et iuuet decipientes? Iusiurandum intelligitur, 'rebus sic stantibus.' Et sicut nequit facere, ut de his actum non sit, de quibus actum est rebus: ita nec, ut actum de his sit, de quibus non est actum, utae hic non cogitatum. Quae iidem magni illi, Baldus et Alciatus. Atque sic de clementia dixit fortassis Augustinus: quae multum de iusto remittere dicitur². Et uere hic dicitur: ubi dicit nemo, ueniam non datam Gabanonis aliquam propter iusiurandum. atque uenia debita poenae remissio dicitur³. Ubi non aliquam benignitatem nemo uiderit. atque benignitas in his est, quae praeter ius sunt: et legem non sequitur⁴. ut, 'nec habet clementia legem': iustitia autem in his est quae iure facimus⁵. Porro autem ea clementia seruari debuit postea Gabanonis. Et a Saule non seruata sic punita in liberis Saulis est⁶. De iureiurando etiam fateor, et Iudaeos sic censuisse uideri, et alios, seruandum esse etiam si fuisset extortum male⁷. Et refert Cicero, quemadmodum tribunus plebis, M. Pomponius, quod terrore coactus iurauit, id seruandum sibi esse censuit atque seruauit⁸. Sed haec in uincolo iuris non probantur tamen. In errore omnino nullus consensus: in metu multus est. Et licet in contractibus non subauditur clausula, 'si narrata sunt uera': intelligitur tamen semper reseruatus dolus⁹. Iuramentum numquam operatur praeter consensum. hic ei limes¹⁰. Ergo casum dicimus, ut in contrahendo non liceat hostem decipere mendacio. Et isti qui in conuentionibus uerum non dicunt, non modo mendaces, sed et iniusti proprie appellantur¹¹. Improbe id Agesilaus fallere in foedere amicos, esse Deos contemnere: hostes autem iustum et laudabile. Improbe Lysander, pueros taxillis, uiros iuramentis decipiendos. Et id genus alia improba, mendacia, iniustissima. In prioribus duobus casibus mendacium probauimus, improbauimus in hoc tertio. Sane

¹ Bal. l. 19. C. de fur. (6. 2); l. 1. C. de op. lib. (6. 3) et 4. cons. 118; Alc. 2. cons. 33.

² Dona. Ter. Andr. ³ Sen. 2. de Cle. 7. ⁴ Drus. 4. Obs. 11. ⁵ Cassio. 2. Uar. 30.

⁶ 2. Sam. 21. ⁷ l. 2. ubi no. C. quo. m. c. (D. 4. 2). ⁸ Cic. 3. de Off. 31.

⁹ Alc. 9. cons. 31.

¹⁰ Couar. rub. de Te, p. 2.

¹¹ Arist. 4. Eth. 7.

autem Augustinus et Aquinas negant, unquam iustum esse mendacium. etsi uel hostis per illud fallatur: qui dignus est falli tamen: et iuste fallitur alias¹. At horum definitio haec illi innitur fundamento, quod mendacium omnino nullum et numquam admitti recte possit. De quo late a nobis per integram disputationem expositum est in contrarium. Docui mendacium esse aliquod, quod aliquando admitti recte possit. Et quod sic philosophi omnes docent, iurisconsulti, medici, rhetores, poetae, alii. de quibus hic repetere iam non uolo. Sic theologi ante Augustinum (quod et hic testatur²) pene omnes; et nonnulli etiam post. Atque si iniustum non est, fugam fingere, timorem simulare, profectionem ostentare, id genus reliqua agere: cur, dictis hostem circumuenire, iniustum fuerit³? Nam quid interest, uerbis, uel factis similes, lingua, uel manibus pedibusque significes, fore quod non futurum cognoscis? facturum te, quod te non facturum probe tenes? Dubitat in quaestione Augustinus. At ego etiam de Ambrosio noui, et de Aquinate non solum in falsis uerbis, sed etiam in simulatis operibus esse mendacium⁴. Et nec solum uerba esse signa, sed et facta, in proposito quoque mendacii. Et sic est quoque a Melancthone tradita mendacii definitio, 'Mendacium est petulanter aut cupiditate nocendi aliud loqui, seu gestu significare, et aliud sentire⁵.' Et Aristoteles in tractatu de ueracitate, et eius extremis sic ait, tam actionibus, quam uerbis fieri mendacium. Et Archidamus eleganter de eo qui canis ne uideretur tinctus capillis erat. 'Quid diceret uere is qui mendacium etiam in capite habet⁶?' Sic Dauidis mendacium dici poterit, qui insanum aliquando egit⁷; et qui defenditur ab Ambrosio⁸. Sed finem facio. Et rogo hoc unum, quid illud Elisaei sit, quod cum rex Syriae capere illum prophetam cuperet, et quaesisset, ubi caperet, misit qui obsidione cingerent urbem, in qua Elisaeus erat. hic autem ad persecutores suos descendit, orans Deum, ut eos oculorumque mentisque caecitate percuteret⁹. Et tum haec faciente Deo, ait Elisaeus Syris, 'Non est haec uia;

¹ Aug. Ios. q. 11; Aq. 2. 2. q. 40. a. 3. ² Aug. Leu. q. 68. ³ Caser. 2. de Sin. Cer. 13.

⁴ c. 20. 22. q. 4; Aq. 2. 2. q. 111. a. 1. ⁵ Melan. Defin.

⁶ Stob. Sen. 62; Cl. Al. 3. Paed. 3.

⁷ 1. Sam. 21 et Ps. 34.

⁸ Amb. 1. de Off. 43.

⁹ 2. Reg. 6.

‘neque est haec ciuitas illa. sequimini me: et ducam uos ad uirum ‘illum, quem quaeritis.’ sic duxit eos in aliam ciuitatem. Quid uero hoc est, quod ait, ‘Non haec est uia; neque haec est ciuitas illa?’ Quam uiam, quam ciuitatem dicit ‘illam?’ Utique quam Syri quaerebant. nam et sic de uiro illo, ‘quem quaeritis.’ At uero ea imo erat ciuitas illa. Sic necessario statuitur mendacium in uerbis Racabae, ‘Uenerunt uiri illi, sed ‘exierunt’¹. Qui enim uiri? qui illi? Sane quos quaerebant Ierichuntini. ‘Hoc, et illud commissi,’ respondit Hacanus: et sic intelligit, de quo rogatur². Et sic scriptura breuiter notat rem. De quibus in illa disputatione plenius. Mendacium autem sic defenditur Racabae, quod fide iam illa esset in Israellem adscita, facta hostis Ierichuntinorum esset: quibus mentiri liceret. Sic ego. Sic Plato, Xenophon, tradunt expresse licere hostem mendacio fallere³. non solus Lucianus de Ulysse Homeri ait, laude dignos qui mendacio hostem fefellerunt. Sic reliqui censent omnes, quos in disputatione mea nomino, admittentes aliquod aliquando mendacium. Nam si amicos ad bonum amicorum decipi mendacio uolunt: etiam inimicos uolunt ad malum decipi. Uidelicet sic redditur suum hostibus, et iuste fit malum; si iuste fit amicis bonum⁴. Expresse quoque id, quod nunc quaerimus de hostibus, Clemens Alexandrinus, doctissimus, et sanctissimus⁵: ut eum non nemo citat recte mihi⁶.

CAP. VI.

De ueneficiis.

SIC uidimus de uerborum dolis, et stratagematis, etiam et de quibusdam factorum. Est uero ille dolus facti, quum ueneficiis uti uolumus, qui contra hostes non probatur. Contra Alexandrum usi sunt barbari⁷. Num igitur non barbare? Hoc primum argumentum. Ut sic Appollo-

¹ Ios. 2.

² Ios. 7.

³ Plat. Rep.; Xen. Soc.

⁴ Arist. 1. 2. Top.; Plat. 1. de Rep. (p. 332).

⁵ Cl. Al. Str. 1.

⁶ Cas. 7. Suet. (p. 205).

⁷ Cic. 2. de Diuin. c. 66; Diod. 17. c. 117; Iusti. 12. c. 14.

nus respondit Uespasiano, eundem principi probitatem sectanti, primum ad principes improbos: de quorum exemplis disceret primum, quid agendum non esset¹. Secundam rationem praebet Lucanus, ubi de Parthis,

‘Spicula nec solo spargunt fidentia ferro

‘Stridula, sed multo saturantur tela ueneno.

‘Uulnera parua nocent, fatumque in sanguine summo est.’

‘Nulla manus illis, fiducia tota ueneni est².’

Ratio est, cur non liceat uenenis uti, quia fatum in sanguine summo habent et internecina sunt. ‘mortem illico afferunt leui tactu:’ de sagittis uenenatis Plinius³. Ita in bellis non internecinis iustus istorum usus esse non ualeat. Notemus tertiam rationem: quia sic armorum tollitur contentio, si nulla armorum fiducia sic est. et ita bellum tollitur, armorum contentio. Notemus quartam ab Ouidio, qui de Getis saepe,

‘Qui mortis saeuo geminent ut uulnere causas,

‘Omnia uipereo spicula felle linunt⁴.’

Et de Aethiopicibus Claudianus,

‘Aethiopum geminata uenenis uulnera⁵.’

Et de illis, qui contra Alexandrum, idem Iustinus: ‘geminio mortis ‘uulnere,’ etc. Per cruciatus necari possunt malefici, sed milites non iuste. Etiam Plinius attingit hanc rationem, dum inquit, ‘ferro ipsi nocentius aliquid damus⁶.’ Sed recito illa omnia Plinii: de quibus adhuc habemus rationes duas, ‘Genuit uenena tellus: sed quis inuenit illa praeter ‘hominem? Cum arbore exacuant limentque cornua elephantis, et saxo ‘rhinoceros, et utroque apri dentium sicas: sciantque ad nocendum ‘animalia. quod tamen eorum tela sua, excepto homine, uenenis tingit? ‘Nos et sagittas unguimus, et ferro ipsi nocentius aliquid damus. nos et ‘flumina inficimus, et rerum naturae elementa.’ Est ratio quinta, quod nec animalia id faciunt. Est sexta, quod iniuria fiat naturae rerum. Est adhuc septima, octaua, nona ab illis Flori, ‘Mixtis, nefas, ueneno fontibus

¹ Philostr. 5. ² Luc. 4. ll. 303, 388, 8. l. 304; Virg. 12. Aen. l. 857. ³ Plin. lib. 11. c. pe.

⁴ Ouid. 1. Po. 2. l. 17 et 3. 1. l. 25, 3. Tr. 10. l. 64 et 4. 1. l. 77 et 5. 7. l. 16.

⁵ Claud. 1. Silic. 1. l. 351.

⁶ Plin. 18. c. 1. 1.

‘infamem fecit uictoriam. nam contra fas Deum, moresque maiorum
‘medicaminibus impuris sacrosancta Romana arma uiolauit¹.’ Infame hoc,
quod et Silius, huc totus,

‘—scelerataque succis
‘Spicula dirigere, et ferrum infamare ueneno:’

contra Afros². Nefas hoc est: contra fas Deum est. Est contra mores
maiorum. Bella armis, non uenenis, geri debere, contestati illi sunt³. Et
hoc contra Perscum, qui egerat cum Tarentino quodam, ut Romanos
ueneno plures tolleret. Liuius sic, ‘Non iustum modo apparare bellum
‘regio animo, sed per omnia clandestina grassari scelera latrociniorum
‘ac ueneficiorum⁴.’ Et habes rationem decimam, quod non sit hoc prin-
cipum, sed latronum: adeoque nec sit bellicum. Habes undecimam, quod
clandestinum idem sit: et bellicum igitur nec sit. Et sic Tiberius impe-
rator et senatus, non fraude, neque occultis, sed palam et armatum
populum Romanum hostes suos ulcisci, responderunt Chatterum prin-
cipi: qui Arminii, hostis saeuissimi perfidique, mortem pollicebatur, si
patrandae neci uenenum mitteretur. atque ista gloria acquabat se Tibe-
rius priscis imperatoribus: qui uenenum in Pyrrhum regem uetuerant,
prodiderantque⁵. ‘Fabricius,’ inquit Seneca, ‘Pyrrhi regis aurum repulit.
‘idem, medico Pyrrhi promittente, se uenenum regi daturum, monuit Pyr-
‘rhum, caueret insidias. eiusdem animi fuit, auro non uinci, ueneno non
‘uincere. Admirati sumus ingentem uirum, et, quod difficillimum est in
‘bello, innocentem; qui, aliquid esse, credidit, in hostes, nefas⁶.’ Clau-
dianus notat hic aliud crimen, ‘Noxia pollicitum domino miscere uenena
‘Fabricius regi nudata fraude remisit, infesto quem Marte petit: bel-
‘lumque negauit per famuli patrare nefas⁷.’ Quo de crimine proditio-
nis post dico. Legimus autem apud plures epistolam ad Pyrrhum. et
audimus, non esse communis exempli, fideique, pretio, praemio, dolo pug-
nare⁸. Intelligimus autem de dolis his malis, et malis fraudibus, quae tum

¹ Flor. lib. 2. c. 20. ² Sil. 3. l. 272, 15. l. 685. ³ Val. lib. 6. c. 5. ⁴ Liu. lib. 42. c. 18.

⁵ Tac. 2. Ann. c. 88.

⁶ Sen. Ep. 120.

⁷ Claud. de Bel. Gild. l. 271.

⁸ Plut. Pyrr.; Gell. lib. 3. c. 8; Val. 6. c. 5; Salis. 5. Nug. 7.

in manibus: non de solo sollertia, et similibus, quae imo usitata Romanis, et iusta. Audi Ambrosiumque eodem de Fabricii facto, 'Praeclare. ut 'qui uirtutis certamen susceperat, nollet cum fraude uincere. et uictoriam 'sine honestate turpem pronuntiabat¹.' Et audisti rationem duodecimam, quod nec sic communis exempli, fideique. et tertiamdecimam, quod sit contra honestatem et contra innocentiam. Ecce ipse Pyrrhus de Fabricio, 'Ille est Fabricius, qui difficilius ab honestate, quam sol a suo cursu, 'auerti posset².' Refert Ualerius Maximus factum senatus hoc, in tractatu de iustitia. Cicero ait, 'Magnum dedecus et flagitium, quicum laudis 'certamen fuisset, eum non uirtute, sed scelere superatum³.' Improbissimus porro Nicias, Pyrrhi is medicus: et contra quem medicus alius nobilior, 'Ne hostibus quidem malum medicamentum dabit, qui sacra- 'mento medicinae legitime est obligatus⁴.' et alius apud Apuleium, 'Nec 'meae sectae crederem conuenire, caussas ulli praebere mortis; nec exitio, 'sed saluti hominum medicinam quaesitam⁵.' Quae potest esse ratio quartadecima ab auctoritate et exemplo medicorum. Cur enim medicis non liceat male uti arte sua contra hostes, ut licet aliis sic uti male bonis suis? Et arma enim, et alia inuenta datae, saluti hominum, non pernicii. Prosunt uisu, si non usu. prosunt exercendo ingenium hominum, inquit Bernardus: et carmine incomparabili Uirgilius cecinit. Est uero, ratio quintadecima a philosophorum et aliorum scriptorum sententiis: quas audiuius plures, Ciceronis, Lucani, Ouidii, Claudiani, Plinii, Flori, Sili, Liuii, Ualerii, Taciti, Senecae, Ambrosii, Plutarchi, Gellii. Quot? Quanta nomina? Adde Romanos ac Pyrrhum. Respice, quod dixi in primo argumento, qui ex aduerso sunt, qui barbari sunt, Parthi, Aethiopes, Afri, Getae, Caspii, Heptacometae, et ueteres Scoti, Gallique, et Turcae semper, et alii tales⁶. Si enim argumentum recti est, malis displicere: utique est argumentum obliqui et iniqui, malis placere: argumentum boni, bonis placere⁷. Etiam ille episcopus, 'Sed nec ueneni, licet uideam ab

¹ Ambr. 3. de Off. 14.² A. Vict. Fabr.³ Cic. 3. de Off. c. 22.⁴ Forn. l. 236. de U. S. (D. 50. 16).⁵ Ber. Cant. ser. 5; Virg. 1. Geor.⁶ App. 2. Ciu.; Flo. 2. 5; Polyæn. 6. 7; Str. 12; Buch. 7; Ath. 10; Sui.; Nic. Ma. 6; Na. Co. 16; Lang. 1. Ep. 68.⁷ Sen. de Ui. Be.

‘ infidelibus aliquando usurpatam, nullo unquam iure indultam lego licentiam. Non quod tyrannos de medio tollendos esse non credam, sed ‘ sine religionis, honestatisque, dispendio¹.’ Infidelium facta haec ait iste : quae antea non communis fidei. Adde illa Erasmi, ‘ Uides, quantum ‘ momenti sit in modo, ut factum probetur? Adulterum ferro, non ueneno, ‘ licet occidere. non hostem ueneno, non malis artibus, nusquam enim non ‘ improbat malitiam lex. tela tincta ueneno et in bellis interdicta. Quod ‘ lex permittit, ut fiat, id non statim qualibet uia efficies².’ Nota autem sextumdecimum argumentum a simili de adultero, similibus. Leges nostrae etiam inter alia et hoc prohibent, ne quis ueneno necandus iudicetur³. Et interpretes, quod si licet quem interficere, non id tamen ueneno facere licet⁴. Quorum auctoritas potest argumentum esse septimumdecimum. Indicant iidem octauumdecimum, quod bellum quum est disceptatio per uim, iam uenenis geri non debeat : quae a ui distinguuntur. ‘ si ueneno, non per uim, necatus,’ ait Ulpianus : quemadmodum aliique ita distinguunt⁵. Scio, bellum non habere pugnas continuas, sed aliquando raras, aliquando crebras, aliquando etiam nullas⁶. Et per dolos plura quam per uim fieri in rebus bellicis⁷. Sed scio et hoc, latere omnia in ui, et sub uis praesidio tamen : ueneficium autem ui non fidere. Idem Ulpianus insinuat nonumdecimum argumentum, quoniam aduersum eos qui ueneno insidiantur, fieri nihil possit, et non possit uis humana resistere. adeoque transiliant illi bellicam rationem : quae omnino est contentio hominum. Atque istam habet Scipio frater meus causam in Annotationibus ad librum secundum Solymeidos Torquati Tassi : et sic explicat, quia bellum per ea esse debeat, quibus humana consistere uis possit.

Sed iam satis. Aut dixi multa nimium quasi de re non dubia? Sic utinam et hic esset, et alibi, et omnibus ut mihi est. At ecce scribunt interpretes nostri, posse nos ad nostram defensionem uti uetitis armis, scilicet, non male sit sic uti, etsi sit male ea habere⁸. Aut si hoc supra-dictis non aduersatur, ecce tibi Baldus, qui respondit in haec uerba : ‘ Lici-

¹ Salisb. 8. Nug. 20. ² Eras. Tyr. Lucia. ³ l. 8. de poen. (D. 48. 19). ⁴ Cott. homicidium.

⁵ l. 1. de S. C. Sila. (D. 29. 5); Val. lib. 9. c. 2. ⁶ Aug. Ios. q. 26.

⁷ Polyb. lib. 9.

⁸ Ceph. cons. 462.

‘tum est, hostem ueneno occidere, sicut docet Uegetius¹’ Etiam defendit, corrumpi aquas iuste posse contra hostes. Ecce dico statim alios non contemnendae uiros auctoritatis, qui idem uelint. Sed nunc respondeo Baldo. Et primum, quod si Uegetius illud scribit, quod ego non memini tamen, nec credo, sic facit in stratagematis (opinor) recensendis, quae ius non faciunt, at barbarica sunt: ut dixi. His plus gaudent malis dolis et perfidiis barbari, quam armis². Et itaque monet Polyaeus, ut nihil caueamus in barbaris magis. Addit in disputando Baldus, quod si effusio sanguinis est permissa, multo erit magis permissa haec corruptio fluiorum, et eiusmodi res alia quaelibet. Quod nihil est. Nam et ipse ait, per corruptiones istas fieri mortes innocentium magis, quam culpabilium. Et dixi, modum prohiberi. Et de modo est quaestio. Sed nota etiam Baldi dictum de mortibus innocentium pro ratione uigesima contra infectores elementorum communium. Addit Baldus in bello defensiuo, quod nihil sit illaudabile in uia defensionis. Quod et manifeste est falsum. Et defensio enim esse inculpata debet. In magna necessitate si id liceat, quaeres fortassis. Quod namque licitum non est in lege, necessitas facit licitum. nam et sabbathum custodiri praeceptum erat: Macchabaei tamen sine culpa pugnarunt in sabbatho³. Ceterum respondemus, quod nostra necessitas non habet uiolare iura aduersariorum nostrorum, non iura alicuius. Quamquam enim creditur licitum furari in casu necessitatis: id nec esse furtum defenditur: quia tempore necessitatis comestibilia omnia sint communia⁴. Hoc item belli ius est, in necessitates insuperabiles conicere hostem; a quibus si euadere licet per omnem modum, licebit sane et perfidus esse, et periurus, et quid non? Et sic omne bellicum tolletur commercium, et ius omne bellicum abolebitur. ‘Non facile addu-
‘cor,’ inquit Bernardus, ‘licitum consentire, quod tot illicita parturit⁵.’ De ceremoniis porro illud est Macchabaeicum: quae certe cedunt necessitati: et nihil ad hostes spectant⁶. De quo et scribo in fine libri superioris.

¹ Bal. 2. cons. 188. ² Polyaeus, lib. 7. ³ c. 4. de reg. iu.; 1. Mac. 12; Ios. 14. Ant. 4.

⁴ Ang. l. 2. de le. Rh. (D. 14. 2); Dec. l. 122. de reg. iu. (D. 50. 17); Sol. 5. de Iu. 3.

⁵ Ber. 3. de Consid. 4.

⁶ Deut. 16.

Ualeat igitur Baldus hic. Ualeant uenena. Ualeant, imo pereant uenefici bellatores. Ualeat etiam Solon, cuius aut consilio aquae Cirrhacis infectae¹. Amphyctiones ualeant, idem agentes². Florentini ualeant, qui Henricum Lucelburgensem imperatorem ueneno dato peremerunt: an non?³ Sed Uladislauum Ungariae et Neapolis regem, in eos bellum mouentem, procuracione amicae illius, sustulerunt de medio. Ualeant, etsi sic liberasse se metu et Italianam tyrannide dicantur. ‘Uinci satius est, quam malo more uincere:’ dicebat Scaurus⁴. Hispani ualeant, qui obsessi Neapoli a Gallis, nocte egredientes, puteos hostibus uenenabant, nec satis hoc, pistores apud Gallos corruerunt, qui gypsum pani admitterent⁵. Etiam gnari morbi eius, mox Gallici nuncupati, et etiam contagionis eiusdem, clam scorta, et ea formosissima, de urbe miserunt, a quibus inficeretur exercitus Gallicus. Sic Fallopius, clarissimus medicus: cuius pater illic militauit. Sed et Guicciardinus scribit, pestilenti contagione infectos Gallos, emissis in id studiose ab Hispano, qui iam morbo tenebantur⁶. Iouius inquit, uix uideri credibile, quod de puteis ueneno infectis quidam ferebant⁷. Sane non solens ea gens ista facere. Sed incredibile sit, quia iniustissimum sit. Quod per illa egit scorta: et ueneficium fuit, et seuerissime animaduertendum. Et sic Deus ipse iubet suos hostiliter agere cum Madianitis: qui machinationibus his usi erant⁸. Nunc de uenenis quaeram, si, quod saepe dicitur, propinari possint ad certum tempus. Regulus, sic sibi datum a Carthaginiensibus, affirmabat⁹. Sic saepe timent captiui. Et magni medici, non extricant, de certo tamen tempore certum respondent, esse fabulas et stultitias¹⁰. Hoc et isti docent, quod negari audio a quibusdam, fieri posse, ut sagittae, uel tela alia ueneno infecta, etiam globuli sclopettorum, uenenare possint. De certo tempore Iouius alicubi, quod medici¹¹.

Ac de uenenis satis. Et de alio tamen ueneficio quodam, id est, de incantationibus et magicis artibus aliquid superest, quae in ueneficium reponuntur. Et de his igitur idem iudicium est. Et a duellis reiecta

¹ Paus. lib. ult. c. 37; Front. 3. c. 7; Suida.² Polyæn. lib. 6.³ Egnat.; Scander. 9.⁴ Sallust. Jug. c. 46.⁵ Fallop. praef. lib. de Mo. Gall.⁶ Guicc. lib. 19.⁷ Iou. lib. 26.⁸ Num. 25.⁹ Gell. 6. c. 4; Zona.¹⁰ Carl. 2. Contr. Medic.; 2. de Ue. 10 et 3. le. 4.¹¹ Iou. 34.

sunt magica omnia¹. Usi tamen incantationibus dicuntur Argonautae². Et inter Assyrios atque Bactrianos, Nino et Zoroastre ductoribus, siue alteri Zoroastre socio, non tantum ferro dimicatum et uiribus, uerum etiam magicis et Chaldaeorum reconditis disciplinis³. Et Balakus quid a Bilhamo uoluit contra Israellem⁴? Et Bulgari uincunt aliquando incantationibus et praestigiis⁵. Et Maxentius et Magnentius praestigiis usi. Et incantationibus aqua elicitae Romanis in Mauritania, et uictoria parta⁶. Et sub Marco sic uicti Marcomanni⁷, nisi tu istud ad principis pietatem refers cum Capitolino et Claudiano, 'Chaldaea mago seu carmina ritu armare Deos, seu, quod reor, omne Tonantis obsequium Marci mores potuere mereri⁸.' Aut uerius in preces (haec non uetitae) legionis retuleris Christianae, quae Marco militabat: et quae propterea fulminatrix dicta, sicut et altera ante, quae in scutis fulmen habuit⁹. Decios usos his artibus dixerat Pyrrhus. Sed uere notat Cicero, consilium imperatorum illud fuisse Deciorum¹⁰. Quae illa est uerae religionis, atque fictitiarum notata Cardano differentia, quod fictitiis ad omne, etiam belli, commodum utebantur¹¹. Etiam alii exprobrabant Romanis magica; quos tamen defendit Iosephus probe¹². Non quoque defuerunt qui adfirmarent, non admodum pridem carmine diro Persarum, et notis genti cantaminibus, procellam euocatam ad Turcarum exitium¹³. Et Galli obsessi alicubi tempestatem sic procurant, et obsidentes abire suos coegerunt: dicebant autem, 'Flectere si nequeo superos, Acheronta mouebo¹⁴.' Quid plura dico? Hinc patet, has esse illicitas in bello artes, quod bellum, contentio hominum, fit per eas contentio daemonum. Ut ita Tassus nobilis in bello id damnat per istam rationem alicubi prioris suae bonae Solymeidos¹⁵. Nec oblitus tamen sumus Deorum pugnas Homericorum. Sed illae ad magica nihil attinent: siue capiantur allegorice, siue litteraliter. Et neque excusari ullus potest, quasi religio sua id permitat sibi. Nam sectae sunt omnes contra magos¹⁶. Et nec est religio ad

¹ Alc. 37. de Sin. Cer.; Langob. tit. 112. ² Plut. Polit. ³ Arnob. 1. adu. Gen.; Patr. 1. de Poet.

⁴ Num. 22; Ios. ult. ⁵ Euseb. 1. de ui. Const. 30; Zon. lib. 14. c. 4. ⁶ Dio lib. 60. c. 9.

⁷ Xiph.; Suid. ⁸ Clau. 6. Co. Ho. l. 348. ⁹ Just. Ap. 2; Tert. Apo; Alc. Cod. de decur. (10. 31).

¹⁰ Zon. lib. 7. c. 26; Cic. 3. de Nat. Deor. 6. ¹¹ Card. 3. de Sap. ¹² Iose. de Vi. Su.

¹³ Iou. lib. 33. ¹⁴ Bodi. 2. Daem. ¹⁵ Tass. Soly. 2. ¹⁶ Bod. Praef. Daem.

excusationem: quae laedit atque confundit ius hominum, ut ante dixi. Uituperat has artes Iosephus, qui negat eis usos Romanos. et ueluti non defendendum crimen afferebant, qui eius calumniabantur Romanos. et uituperauit senatus Romanus: qui per haec curari uictoriam ueluit¹. Et hoc praetextu Lotharinga illa celebris combusta ab Anglis². Et ego sic tradidi ad titulum Codicis de maleficiis, nec maleficiis obsistere licere per haec malefica. Hic dico tamen, accusari obsistentem non posse ab hoste malefico priore. Firma est defensio ab exemplo contra cum qui exemplum praebuit³. Eo etiam in commentario scripsi, fieri isthaec a magis posse per daemones. Et sic magi iactitare soliti contra hostes⁴. Non igitur uanae sunt disputationes de his quae fieri posse creduntur, et facta accusantur saepius.

CAP. VII.

De armis et mentitis armis.

QUOD si ueneficiis et uenenis non licet in bello uti, uidetur nec bestiarum uenenatarum usus licitus esse. Et Annibal tamen serpentibus usus est, inque regis Eumenis caput⁵. Et itidem Atreni in praelio contra Seuerum imperatorem⁶. Et Aegyptii sic appararunt aliquando contra Christianos⁷. Sed male: aut cur his bene, armis uenenatis non bene? Nam si dicis de armis et supradictis uenenis, quod Seneca, ueneficium simile esse mendacio: at ista iam induci palam⁸. Et quod Ulpianus, uenenum ipsum per uim infusum habere rationem armorum⁹. Ego responsioni huic respondeo, non propterea esse uetita uenena, quia similia mendacii sint, sed propter rationes plurimas, quas dixi: et quarum si hic cesset aliqua, tamen ex aliis sustinebitur et hic definitio, quae constituta illic est. Aliae autem belluae, equi, elephanti tum recepto more inducuntur in praelia, tum etiam ratione a uenenatis diuersa. Equos et natura

¹ Bod. 3. Daem. ² P. Aemil. 10. ³ Bal. l. 1. quo. qui. iu. (D. 2. 2).

⁴ Plat. 2 de Rep. (p. 364). ⁵ Cor. Ne. Anni. 10; Iusti. lib. 32. c. 4. ⁶ Herodia. lib. 3. 28.

⁷ P. Aemil. 6; Iust. Ann. Gen. 2. ⁸ Sen. 9. Cont. 6. ⁹ l. 1. de S. C. Sil. (D. 29. 5).

et exercitatione ad id factos dicit Plutarchus¹. 'Bello armantur equi: bellum haec armenta minantur².' Haec duellica proles. Sed et canibus usos plures est traditum, et canum cohortibus, et in primis aciebus: et de canibus ducentis, qui regem Garamantum reducerint ab exsilio, praeliati aduersum perduelles³: et de singulari certamine Perinthiorum et Paconum, non modo uiri et uiri, sed et equi et equi, et canis et canis⁴. M. Pomponius Sardos, in saluosus specubus abditos, canibus accersitis sagacibus ex Italia, inde traxit⁵. Quid his fieret feris latentibus? At illud quoque rationem habet, quod Cambyses praelium commissurus cum Aegyptiis, qui canes et feles in diis habebant, animalia isthaec statuit in prima acie, quae Aegyptii ferire reuererentur. Superstitione hostium abuti cur non liceat, caussa nulla est. Sic captum in Epiro oppidum inexpugnabile, dum illic proditor mergit in puteo, qui unus potum praebebat, canem: et praesidiarii milites, Graeciae superstitioni addicti, citius morituros, quam de contaminata se bibituros aqua, contenderent⁶. Sic Philippus Macedoniae rex milites suos, pugnatuos contra Phocenses, lauro coronat; quod hi templum Apollinis spoliassent, et itaque ad aspectum frondis eius Dei terrerentur. quod et euenit. nam terga illico obuenterunt: et caesi incruentam regi uictoriam tradiderunt; immemores, quod post illud latrocinium superassent Baeotios⁷. Sed sic religio potest, ut teneat etiam superstitio. Quae Cardanus⁸. At etiam tauros, leones, apros in acies inductos legimus. Et ita bellum nec a belluis minus quam a duellibus hominibus habere aut rei, aut nominis uidetur. Quare et haec indigna uiris uideri ualent. Haec militiae instrumenta indecora. Etiamne apta bruta seruare belli iura in pueros, focminas, supplices, alia?

' Sed facere id non tam uincendi spe uoluerunt,

' Quam dare quod gement hostes, ipsique perirent⁹.'

etc. apud Lucretium: qui et commune foedumque malum hoc inquit. Et iniuste igitur huc adducuntur.

De armis hic quaeritur, quae militaria censeantur. Ecce etenim a principio primum manu bellare nuda, et unguibus et (unde pugnae

¹ Plut. 2. Symp. 5. ² Virg. 3. Aen. l. 540. ³ Pli. 8. c. 40; Soli. c. 19. ⁴ Herodot. lib. 5. c. 1. ⁵ Zon. lib. 7. c. 18. ⁶ Scander. 5. ⁷ Iusti. lib. 8. c. 2. ⁸ Card. 3. de Sap. ⁹ Lucr. 5. l. 1345.

est nomen¹) pugnīs, calcibus, et (quod caninum, et lege uctum athletis) morsibus², corporumque colluctatione certabant³. Quicquid Tertullianus hominem uocet animal edentulum, et exungue, et ex-corne⁴. Sed ecce, quia, etsi dentes habet, unguēque, non iis instructus est fortibus, ut sunt ferae, et ad praecia aptis; mox lapidibus (quos non magis in legitimis armis bellorum nunc numerant, quam ligones, uomeres, falces, et alia agri colendi instrumenta⁵) saxis, et ramis rudibus, dein sudibus, et his obustis postea, et acutis inspicatis, item sagittis. Uirgac, quibus armatos legimus Graecos recentiores, aliosque apud Claudianum, sagittae sunt⁶. Sed et in exercitu Darii, Annibalis, Catilinae, ostenduntur sudes. Tandem aes repertum et duratum⁷, et exin deuentum ad ferri usum⁸. et mille producta sunt armorum genera, et tormentorum. 'Inuenit artes bellicas Mauors nouas, et mille formas mortis⁹.' Quae tamen omnia armis huius acui collata, scloppis, bombardis, siue (quod retulit Lipsius nomen) 'Lombardis,' et frigere uidentur, et puerilia esse¹⁰. Rude, planum, simplex antiquum seculum¹¹. Quid ad haec nostra aut ille dixisset Uulcanus, qui Deus et armorum inuentor perhibebatur¹²? Ut alia tamen, atque alia excogitentur, quibus magis, magisque, terribiles hostibus simus et noceamus: ut hostile odium iure naturae uacare omni crimine, dixit ille Gallus apud Nicetam: non tamen uariis iuris est haec uaria nocendi industria, aut iuris minus antiqui. Ratio scilicet, aut ius gentium non finitur tempore: at neque loco¹³. Itaque, quod his nouis armis usi primum certis in locis simus, non fit propterea, ut alibi uti non liceat. Quae ratio et tempori apta. Est iuris gentium, et censetur, quod a principio probatum fuit¹⁴. Sed ratio ipsa est ius: quae hic a principio nocendi hostibus¹⁵. Tempus non distinguit ius naturae ab alio, sed conuenientia¹⁶. Quamquam genera armorum, et telorum nostra habeant nonnullam et ab antiquitate auctoritatem, et a gestis seculi prisca. Fuerunt

¹ Cassio 1. Uar. 30; Dona. Ter. Hecy.² Lucia. Demonac.³ Sen. Hipp. 1. 245; Lucr. 5; Hor. 1. Sat. 3. l. 99.⁴ Tert. de Pall. ubi Iun.⁵ Corn. 4. cons. 199; Tert. 4. adu. Mar.; Tyr. Ma. 14.⁶ Lips. Poliorc.⁷ Mag. 3. Misc. 3.⁸ Cam. Probl.⁹ Hesiod. 1. Oper.¹⁰ Lips. Poliorc.¹¹ Bal. 3. cons. 285.¹² Suida.¹³ Con. 1. Com. Iu. 5; Bal. l. 13. C. de sent. (7. 45).¹⁴ Bal. Prooe. Cod.¹⁵ 1. ult. de bo. da. (D. 48. 20).¹⁶ Eug. 1. cons. 53.

scilicet eodem genere. Imo eadem. 'Constat enim (etsi aliter opinio est) 'pauca aevo isto inuenta. ecce quam nouitia res habita, quod Stephanus 'Poloniae nuper rex Moscouiae munimenta aliquot lignea, globis candentibus immissis, accendit et cepit? cum barbarus ille quereretur et 'fremet IUS ARMORUM BELLII VIOLARI, ET ARMORUM DECUS POLLUI 'NOUA FRAUDE,' cum tamen ab usque Alexandri aevo haec solita. quae et praeludia nostrorum fulminum¹. Dicam et fulmina ueterum? Tu eius memineris, quod narrat Iosephus, tormenti genus, quo emissus lapis non modo caput auellit, sed et auulsum excutit ad tertium usque stadium². De fundis, sagittis, tragulis, pilis, quemadmodum omne armorum tegumentum perfringerent, narrat de ueteribus auctoribus Iustus Lipsius, et per scutum, perque loricae totum penetrarent hominem, et terrae uelut clauo affigerent³. Lipsius nostris armis uiolentia uetera antepont. De machinis Archimedis, quae magnitudinis immensae saxa incredibili fragore ac celeritate eiuculabant, Plutarchus adnotauit⁴: et eas Franciscus Petrarcha has esse nostras bombardas existimauit⁵. Sed hanc tamen opinionem refutauit Hieronymus Magius in Miscellaneis. Qui notat, nec satis certo constare tamen de tempore quo inuenta bomba est. et constare tamen, multo ante bellum quod gestum a Uenetis ad Fossam Clodiam cum Genuensibus est, quum et haec machina inuenta uulgo creditur, exstitisse, et in usu barbaris fuisse aliquibus per multa secula. Non haec machina contra ius belli est: quasi locum tollat uirtuti hominum: et sit ipsa etiam internecina. Ut de catapulta Archidamus sic exclamauit, periisse per eam uiri uirtutem⁶. Sed nec perit tum uirtus uiri. et nec sunt ista internecina, quae aperta uitari possunt, et uero uitari solent. Uirescit hic uiri uirtus. Etiam non ab armis uirtus, sed ab animis est. et non arma sunt quae pugnant, sed uiri. 'Uiri sunt, mihi credite, uiri, quorum opera in pugna geruntur omnia: et 'decem equitum millia nihil sunt plus, quam hominum decem millia, 'neque enim in praelio quisquam equi morsu uel calcibus umquam confectus est.' ait Xenophon⁷. Et de magnis Antonii nauibus idem dixit

¹ Lips. 5. Poliorc. 5.² Iose. 3. Bell. 9.³ Lips. 5. de M. R. ult.⁴ Plut. Marc.⁵ Mag. 1. Misc. 1.⁶ Plut. Apoph. Laco.⁷ Xen. 3. Exp. Cy. 2.

Augustus¹. Quod si uirtus ab animis est, illam nec perdent arma haec nostra, et saepe etiam adiuuabunt: quae robustiorum uires uiribus imbecilliorum exaequant, uerius quam quod generaliter de ferro extulit idem Xenophon².

Quae de armis, et paulo fusius, quam oportuit: si non scripta intelliguntur huic fini, ut intelligatur, non uariare ius bellicum, etsi haec bellorum uariant. et non esse ex factis, at ex rationibus statuendum. Sed et de mentitis armis, mentitis uestibus, mentitis insigniis legimus saepe, de quibus aliquid est explicandum. Monui autem antea de Chorocho: et quid Uirgilius hic senserit. Caesar per stationes hostium Gallico habitu penetrauit ad suos³. Scaeuola habitu Etrusco, non solum sermone, in castra uenit hostium⁴. De Dario, Cimone, Gastrone, Pachete, Iphicrate, Thibrone, Chabria, Charidemo, Aristomacho, Memnone, Oronte, Artemisia, barbaris et Gracis: et de armis, signis, uestibus, uelis, haec scripta ab aliis sunt ueteribus⁵. Saxones item habitum sumunt Gallicum. et Burgundi insignia et ornatum Francorum. et ipsi Franci habitum et insignia hostium. quod aliquando miratus Anglus est: dum a feroci regem Franco genus hoc belli non expectaret⁶. Dolum uero Punicum hunc dixit Iouius: qui memorat, usurpatum a nobili pirata Barbarossa⁷. Et uidetur contra dolum facere Diocletiani constitutio⁸, quae uetat mutari nomina per fraudem, quod signisque aptant interpretes⁹. Sed non uidetur ex communi usu supradicto Punicus tamen dolus, aut improbandus. Nostrae enim leges loquuntur, quum non licet fraudare et nocere. Quid ergo si isti fraudulentosi sic ueniant in manus hostium, quorum signis abutuntur? Si transfugae simulati, si exploratores deprehenduntur, si alii, qui quoquo modo dedisse hosti uerba uidentur, an quasi milites tractentur, expedito statim in titulo de transfugiis.

¹ Dio lib. 50. c. 29. ² Xen. 7. Cyrop. ³ Suet. Caes. 58. ⁴ Diony. lib. 5. c. 27; Polyæn. 8.

⁵ Polyæn. 1. 2. 3. 5. 7. 8. ⁶ P. Aem. 1. 2. 5. 6; Guicc. 14; Iou. ull.; Iust. Gen. 3.

⁷ Iou. 34.

⁸ Cod. de mut. no. (9. 25).

⁹ Chass. 1. Cal. 17. Con. 38.

CAP. VIII.

De Scaeuola, Iuditha, similibus.

NUNC de Scaeuola examino: qui Porsenam uoluit interficere. Et eius insidias probarunt sane Romani; qui iuuenem ad facinus patrandum dimiserunt. nam ipse Scaeuola facinus uocat forte, et peritum decus¹. Alius quidam Romanus, in praelio simulans se unum ex militibus Mithridatis, prope congressus, tamquam dicere quidpiam cupiens, regi uulnus intulit². Atque hic plura alia supersunt exempla. Ecce alius antea Scaeuola Graecus, qui idem cum Xerxis duce fecit³. Ecce tibi Iuditha: quam laudant theologi et plures, et magni, Clemens Alexandrinus, Origenes, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, alii⁴. Ecce Augustus, qui omnia pollicetur Cleopatrae, si ea Antonium sustulisset⁵. Tentatae istae insidiae aduersus Timoleontem, aduersus Eumenem: ut legis apud Plutarchum. Tentatae a Mithridate contra Lucillum: quod quoque Plutarchus habet in Luculli uita. Tentatae et fere confectae a Labieno contra Commium Atrebatem⁶. A Metello, a Mario, tentatae obstinatissime contra Iugurtham, et a Sylla perfectae: quod Sallustius. Ab Aetolis perfectae contra Nabidem⁷. Et effectae a Perseo contra Eumenem alium. Tentatae a Decebalo rege Daciae contra Traianum⁸. Procuratae hoc seculo a Triultio contra Sfortiam Mediolanensem⁹. A Totila olim perfectae contra praefectum praesidii Perusini¹⁰. A Selymo Turcarum rege hoc seculo perfectae contra regem Aladolum¹¹. Et contra regem Turcarum Amurathem antea perfectae ab homine Triballo¹². Et a Scaeuola illo Beniaminita contra regem Moabitarum perfectae¹³. Hoc tamen tractare exemplum non oportet: quod fuit extraordinarii iuris a Domino. Diximus exempla multa omnium gentium. Sed tamen non cum ipsis, non

¹ Dionys. lib. 5. c. 33; Liu. lib. 2. c. 12; Sex. Vict. 12.² Dio lib. 35. c. 13.³ Plut. Coll. R. et G. 2.⁴ C. Str. 4; A.; 3. de Off. 13; H. Apo. Ru.; A. de Te. 228. 229.⁵ Dio lib. 51. c. 8; Zon.⁶ Caes. 8. Gall. 23.⁷ Paus. lib. 8. c. 50; Liu. lib. 35. c. 35.⁸ Zon. lib. 9. c. 21. ue. la. Leun.; Dio 68.⁹ Iou. 11.¹⁰ Procop. 3. Goth. 25.¹¹ Iou. 17.¹² Chalcond. 1.¹³ Iud. 3.

cum pluribus, quae quis inuenit, facio definitionem. 'Nihil enim omnino 'agimus, qui nos per multitudinis exempla defendimus.' ut hic uolo cum uerbis Hieronymi dicere. quia multi isti malique sunt¹. 'Et numquam 'exemplum a malis sumitur.' ut idem scribit. Iustam autem puto Alexandri Magni querelam de nece patris patrata, sua procurata per Darium². 'Cum habeatis arma, licitamini hostium capita,' etc. ait Alexander. Et hanc sollicitationem amicorum et militum hostis ueneficio comparat. atque ex ea bellum internecinum censet. Sane ueneficium Iudithaeque dixeris: quae sub suauis amicitiae specie quasi per suauem potionem petiit Olofernis uitam. Latrocinia haec dixit Liuius, iusta bella negauit: ut antea in sermone de ueneficiis exseripsi. Notatus perfidiae fuit et consul Romanus Seruilius, qui Uiriatum ita sustulit³. Notati Hispani a Guicciardino, (laudatus is quoque iurisconsultus, non modo historicus magnus, et magnus politicus⁴) qui Bartolomaeum Aluianum, ducem copiarum Uenetarum, tollere ita uoluerunt⁵. 'Adeo,' inquit Guicciardinus, 'dissimiles mores sunt 'praesentis militiae ab antiquis: quum etiam reuelarentur haec ab hoste 'hosti.' Haec mihi est sententia: quae et Ioanni Bodino: ut conductores hi parricidarum non minus faciant turpiter, quam ipsi qui turpitudinis suae mercedem accipiunt⁶. Alexander uere magnus, qui hostis, Darii illius, quem nec iustum hostem, sed ueneficum percussorem dicebat, necem parricidialemltius est immani supplicio. 'Reputans non tam hostem 'suum fuisse Darium, quam amicum eius a quo fuisset occisus:' et quod alibi, in simili casu, quod ipse 'uelut ultor publicae securitatis esse?' Ualde autem demiror Thomam Morum, magnum illud Angliae ingenium: qui imo probat haec improbata facinora: quasi sic parcat stragibus et mortibus innocentum; soli autem puniantur auctores bellorum⁸. Addit, Utopienses suos haec curare, et nec laudis, nec famae curam habere. Sic profecto omnia ad utilitatem, sed non omnia aptat ille ad iustitiam, aut honestatem. Ceterum et incertum est, quod de utilitate proponit. Numquid enim non fuerit heres extincti principis? Num huius ciues tanto acrius

¹ Hier. Ep. 14. 34.² Arr. lib. 2. c. 14; Cur. lib. 4. c. 1; Plut. Alex.³ Flor. lib. 2. c. 17; Val. lib. 9. c. 6.⁴ Dec. cons. 226. 558.⁵ Guicc. 12.⁶ Bod. ult. de Rep. 2.⁷ Iustin. 12. 18.⁸ Mor. 2. Utop.

non incumbent in bellum propter iniuriam istam nouam, insignem, indignam? Audiemus, saeuire milites duce nec per malas artes extincto. Scio, quieuisse Persasque Romanosque extinctis Caracalla, Iuliano, inceptoribus belli¹: sed nec isti sublatis his fraudibus hostium, et causae speciales tum exstiterit aliae quietis. At tu mihi notes casus aliquos diuersos in hac causa. Primum quum insidiae huiusmodi parantur iuncto parricidio: id est, quum in caput principis mouentur subditi eius. secundum, quum ipse mouet hostis. Atque hic considera rursus duos casus, unum, quando hostis agit clam, alterum, quando palam agit. Et in casu hoc ultimo responde, si quid reprehendis. Theodotus Aetolus Ptolomaei castra tentoriumque ingressus est palam, (si uerius recitat Polybius quam scriptor Macchabaeicus, qui de clandestinis, nocturnis, insidiis agit) ut regem hostem occideret: et quos nactus est obruncauit². Sic Pipinus, Caroli magni pater, traiecit Rheno, comitatus uno satellite, hostem in cubiculo interfecit³. Non reprehendes forte nisi audaciam, quae nihil ad ius hostium pertinet. Siue enim in acie, siue in castris conficias hostem nihil interest. 'Hostis bene interficitur ubique,' inquit Baldus⁴. Quis Leonidam reprehendit, qui cum suis sexcentis castra hostium ingressus, statim regis praetorium petiit⁵? Quod si clam grassetur aliquis, ut Scaeuola: ego quidem existimaui, insidias non iustas esse. Sed te forsitan in contrarium mouet magis auctoritas Romanae illius ciuitatis, et iudicium theologorum quorundam, qui Scaeuolam et Scaeuolae factum adprobarunt⁶. Atque si ex insidiis extra castra licet hoc facere, cur et in castris non liceat? Separandus uero a Iuditha fuerit Scaeuola. Illa enim mulier cum aliis peccatis, de quibus accusatur ab aliis iustissime, peccatum prodicionis admisit⁷, quod diuinae naturalique legi adeo est inimicum, ut si quem possim interficere, eum proditorie interficere non possim⁸. Et sic caedes condemnata Sichimitarum, quam Iuditha nullo iudicio pro exemplo probati facinoris ob oculos sibi proponit. Affectus Iudithae laudatur, quem tulit ad salutem populi; pro qua fuit et fortis supra sexum, adque periculum

¹ Herodia, lib. 4. c. 24; Amm. lib. 25. c. 7. ² Polyb. lib. 5. c. 81; 3. Mac. 1. ³ Bonfi. 1. Ung. 8.

⁴ Bal. 5. cons. 434. ⁵ Justin. lib. 2. c. 11. ⁶ Aug. 5. de Ci. c. 18; Sot. 5. de Iu. q. 1. a. 2.

⁷ Aq. 2. 2. q. 110. a. 3. ⁸ Menoch. de Arb. q. 90.

grauissimum: et pro qua mundum totum in forma sua exornanda sibi composuit, et mirabiles illas ueneres orationis effudit. Et neque haec tamen laudantur: neque praeter affectum aliud quidquam.

Etiam notandae hic quaestiones sunt duae; una de parricidis ipsis et sicariis. altera de auctoribus. Punit Corbulo barbarum nobilem, 'qui specie amicitiae dolum parabat' huiusmodi, et necem sibi¹. Atque si iste dolum non probatur, minus utique probabitur alter ille, cui iunctum et parricidium est. Sed et de auctoribus dicimus, ipsos esse iniustos. Et sic leges². Hoc publici periculi est, et itaque non ferendum. Nam cuius uita poterit esse tuta, si necesse fuerit, a domesticorum quoque insidiis metuere? Uenena uitantur quam insidiae istae facilius³. Exclamet Cicero, O tempora, o mores! ut non uni modo capiti, sed omnium saluti bellum nefarium indicatur⁴. Si namque corruptela haec ab auctoritate tanta, quanta est iuris gentium, adprobetur, nihil iam est quod salutem nostram tucatur. Si haec perturbare omnia uolumus, et permiscere, totam uitam periculosam, insidiosam infestamque reddemus. Commune est hoc malum, communis metus, commune periculum. Non quid hosti accidere uolucrimus, sed, quid nobis in tali re metuendum sit, cogitare debemus. Haec est naturae clara uox, et naturalis lex, non sinens illud ignorari, 'Quod tibi non uis fieri.' hic iustitiae status integer, non facturae aliis, quod sibi fieri nolit: nec aliis negaturae quod sibi fieri uelit, ut egregie habet Bernardus⁵. Quod tibi ab amico fieri non uis, amico ne feceris. Quod tibi ab hoste fieri non uis, hosti ne feceris. Cum id genus aliis plurimis. Sic Eumenes, qui quidem his insidiis petitus ab Antigono, dissimulat tamen, 'Nec quemquam ducum sic uelle uincere, ut ipse in se exemplum pessimum statuatur'^{6,7}. Aduersus transfugam et uiolatorem fidei non censuit insidias degeneres Labienus, Tacitus⁷. Et itaque degeneres insidiae, bellum iniustum contra iustum hostem. Uenenum nec adprobant contra tyrannum. cui forte non plus debetur iuris quam praedoni: imo etiam debetur multo minus. Non adprobant nec aduersus perfidum rebellem.

¹ Tac. 14. Ann. c. 24. ² 1. 6. 7. de parricid. (D. 48. 9). ³ Penn. C. de his qui se. def. (10. 13).

⁴ Cic. pro Deiot. 11 et Uerr. 3.

⁵ Der. Ep. 77 et 1. de Consid.

⁶ In-tin. lib. 14. c. 1.

⁷ Tac. 11. Ann. c. 19.

At uero petes hic quod, si licet pecuniis arma hostium corrumpere et sibi adiungere, urbes, arces, acies abstrahere hosti, cur non et liceat, capita hostium licitari? Licet. sic intercipere urbem, in qua princeps hostium degit: adeoque principem ipsum sic quoque intercipere licet. Cur igitur non et interficere? Respondet magnanimus uir, imo nec istam ferendam esse in bello mercaturam. 'Male se rem habere, cum, quod uirtute effici debet, id tentatur pecunia¹.' Ut uerum olim Philippum; qui istam artem facitabat palam: et mercatorem maiori ex parte, quam uictorem nuncupatum Graeciae. cauponantes hos esse, non belligerantes: non belli potentes, sed mercati potentes². Sic notatos Spartanos; quod primi omnium ex omni antiquitatis memoria hostes muneribus sollicitassent, et uenalem fecissent belli euentum: nam prius uirtute, fortuna, Deorum praesidiis, rem stetisse bellicam; et uero dolos istos a Diis suo tempore uersos in eorundem fuisse perniciem: atque suis his artibus oppressos fuisse magistros³. Improbam Lacedaemoniorum institutionem: quia omnia utilitate metiebantur⁴. Aspirare ad uictoriam uirtute, non pecunia oportere: cum Elacis, cum aliis, concludet uir fortis, qui censuerunt id indignum, domestici proditoris opera uti⁵. Etiam illo utetur argumento iurisconsultus, non has probari posse in bello artes: quoniam neque in disceptatione ciuili liceat, testes, instrumenta, aduocatos, partis aduersae corrumpere. Sed ego putem tamen, non damnari hunc dolum. Nec enim postremum argumentum tenet semper. Et per illud hic quoque sequeretur, nec licere ui in bello uti, et per uim occupare milites, instrumenta, hostis; quia per uim nec liceat occupare aduocatos, alia partis, aut alia unquam uti ui in litibus fori. Uictoria in bello quaeritur: quae non patitur, nisi res hostium fiant in manu ac potestate. Non iam quaeritur in bello quod antea quaerebatur, certum aliquod, sed illud incertum, uictoris arbitrium de poena uicti, et eius re omni. At in foro idem petitur quod petebatur semper, et semper debitum afferebatur: et ergo non licet in foro subuertere ea partis, quae uentilant istam petitionem. Exposui antea rationem parem, cur doli non admitterentur in ludicris. Nunc de nece. Non a ueteri mea

¹ Cic. 2. de Off. 6.² Diod. lib. 16. c. 54; Ual. 7. c. 2.³ Paus. lib. 4. c. 17.⁴ Plut. Alcib.⁵ Paus. 5; Ual. 6. c. 1; Cic. Uerr. 3.

sententia contra Scaeuolam discedo: etiam Theodotum, etiam Pipinum iniustitiae condemno. Condemnati late in historiis sunt sicarii illi, qui propriumque fecere hoc infame nomen sibi, qui hostem publicum occidere quomodocunque, et hoc ipso Pipini, Scaeuolae ritu, persuasissimum licitum opinabantur¹. De publica inimicitia fit priuata, dum caput unum sic petitur. Nam si in acie sic fit, si in expeditionibus extra castra, et per occasiones, et per pugnas etiam in castris: tum nihil imputabitur hosti, qui ducem hostium a caligato non discernit. Quamquam scio, a regibus Laccaemoniorum hostes in praeliis quoque abstinuisse praec reuerentia. ‘Occidisti adulterum: quod lex permittit: sed quia in lupanari, caedes est.’ ait ille². Est scilicet et in loco uis? ‘Diuus Adrianus fertur, quum ‘in uenatione filium suum quidam necauerat, qui nouercam adulterabat, ‘in insulam cum deportasse: quod latronis magis, quam patris iure cum ‘interfecit.’ Et haec lex est. et lex est, quae patri, uiro, interdicat potestatem adulterum ubique interficere⁴.

Non est probandum illud Baldi, ‘Hostis bene interficitur ubique.’ Non sane, ubique: quemadmodum, nec omni modo; ut dixi: nec semper, nec omnem; ut sum dicturus. Marcellum bene interfecerit Annibal lauantem se, (si haec est uerior in triplici sententia de eius morte) qui castra castris collata illic habebat. ceterum si ab armis procul agentem, et natantem forte in Tyberi quacsisset cum Annibal, et occidisset, ego Annibalem non probarem: qui inermes, longe a bello, nec in bello occidendos, caecidisset⁵. In bello nihil imputabitur hosti qui illic quaerit ducem hostium praecipue. Sic Turnum quaerit in praelio Aeneas: ‘solum densa in caligine Turnum uestigat ‘lustrans: solum in certamina poscit.’ Sic fortissimus Scanderbegus praecipuum hoc habuit in praeliis omnibus uocare, animareque praemiis suos in ducem hostem⁷. Sic Syrus rex praecipit suis, ut contra unum regem Israelis in acie agerent⁸. Sic alii. Facit autem contra Theodotum, et contra Scaeuolam, quod si palam, si clam licet eo modo in unum grassari caput: etiam licebit, cum Iuditha, uerba dando. nam uerba hosti

¹ Polyd. 16; Iose. ult. Ant.; Aemil. 5. 7; Duar. 2. Disp. 12.

² Quintil. lib. 5. c. 10.

³ l. 5. de parricid. (D. 48. 9).

⁴ l. 23. 24. de adult. (D. 48. 5).

⁵ Liu. lib. 27. c. 27.

⁶ Uirg. 12. Aen. l. 567.

⁷ Scand. 7.

⁸ 2. Chr. 18.

dare licet. Etiam licebit, cum Totila, arma hostium corrumpendo, quia licet arma hostium corrumpere. Si caedem admittis, rationes, et formas nullas istarum potes excludere. Numquam igitur admittenda caedes. Et hic est index impuri fontis, si riuli ab ipso fluunt impuri. Hic index improbae opinionis, si aliae ab ipsa descendunt improbae. Improbi, qui ista uoluerunt. Improbus Augustus primis illius temporibus: in ciuilibus bellis, quum nullus legibus locus, quumque arma neque parari possunt, neque haberi per bonas artes¹: Ita etiam testamentum uiui aperiendum, recitandumque curauit Antonii. Ita alia iniuste egit². Alii improbi hic, ubi euicti improbitatis. Et quorum defendere possis nonnullum tamen: illum, qui in praelio insidiatus Mithridati est: Labienum, qui insidiatus est perfugae: tres illos alios Romanos, qui sic Iugurtham malis ipsius artibus petierunt. Quid praeterea? Cum Scaligero magno, 'Sapiens 'fortitudo uictoriam non in morte, sed in facto ponit³.' Hoc est factum, ut uictum se dedat hostis, et sit uictus, quemadmodum est et uictor. Audiat is hic Turni illud, UICISTI. Uterius ne tendat odiis. Quod si enim 'nemo trecentos Fabios uictos, sed occisos dicit:' et Athenienses alicubi consumptos magis quam uictos audimus: qui tamen militiae ritu ceciderint: de his quid censebitur, qui a sicariis occubuerint⁴? Nunc mihi succurrit de Apostolis simile Bernardi, 'Occumbent, non succumbant⁵.' Etiam de Leonida et sociis, 'Non uicti, sed uincendo fatigati 'occiderunt⁶.'

CAP. IX.

De Zopiro et aliis transfugis.

AT de Zopiro et aliis similibus transfugis quid censemus? Egregiam calliditatem, et ab omni reprehensione procul remotam, ait Valerius, stratagema Zopiri⁷. Quo usus etiam Ulysses antea narratur, et Sinon⁸.

¹ Tac. 1. Ann. c. 2.² Suet. Aug. 17.³ Scal. 3. de Poe. 20.⁴ Sen. 5. de Benef.; Oros. 2. c. 15; Iusti. lib. 5. c. 1.⁵ Ber. 3. de Consid.⁶ Iusti. lib. 2. c. 11.⁷ Ual. 7. c. 4; Plut. Apoph.⁸ Cedr.; Polyæn. 1.

Usi et alii sunt: quorum meminere item historiae¹. Etiam Xenophon in id instruit nos, ut falsos habeamus transfugas². Contra uero inquit Liuus, claros magis, quam honestos esse istos, qui talia Zopiri admiserint in corpus suum³. Et dolos ac fraudes transfugiorum artes esse minime Romanas. Et Messalla itidem parum honestam rem subuerebatur, quod Menodorus, proditurus Pompeii classem, petebat, ut liceret sibi aliquantisper infestare Caesaris classem⁴. Et concessit tamen, aut quia necessitates belli hac essent.

Atque sic duae quaestiones sunt. Prior de ipsis transfugis, posterior de auctoribus eorum. Et prior, forte etiam posterior, habet duas rursus inspectiones: alteram de honesto, alteram de iusto. Nos tamen hic, quasi iuriconsulti, de iusto tantum disceptamus. Et tamen opinamur cum Liuio, non honestos esse ipsos transfugas simulatos. ut ut laudet suum Darius Zopirum, suum Cyrus Araspam⁵. De iure autem transfugarum sic uidetur, non eos censi ueluti milites, si deprehenduntur uenisse proditores et speculatores. Nam ecce speculatores deprehensi Romae praecisis manibus dimissi: et suspensio necati ab aliis sunt⁶. Et haec lex Romanis, hostium speculatores interfici. Haec et ratio est, cur nolis personas istas inducere: quae exsuunt priuilegiam militis. Et ius itaque in eos iustum esse uidetur: qui illa persona se exsuunt, propter quam ad hunc tractari modum, et ignominiose, et crudeliter, non ualerent. Simulati transfugae hoc amplius, quod dedisse tamquam in conueniendo uerba uidentur, in suis enim hostis hos excipit, qui se sic ad hostem transferunt. Quae rationes duae non in alio mentiente ualent; non in mentiente signa hostium. Et ergo suum ius militum his seruare aliis semper oportet. Namque aliam nec uideo causam non seruandi. Non exsui militem, qui hosti uerba dat, ille agit militem, qui arma induit hostium.

Sed quid? Si speculatores et mentiti transfugae ad eum malum modum tractantur iuste, an agunt ipsi, et auctores ipsorum iuste minus, et ex iustitia belli minus? Et haec posterior quaestio est. In qua (quod mirum uideri possit) respondeo, iuste imo hos quoque agere: et qui

¹ Diony. lib. 7. c. 10; Liu. 8; Polyæn. 7; Plu. Ant. ² Xen. Hippar. ³ Liu. 1. 8.

⁴ Appi. 5. Ciuil. 102. ⁵ Xen. 6. Cyrop. 3. ⁶ Liu. lib. 22. c. 33; Iou. 16; Polyæn. 8.

transfugiunt, et qui transfugas mittunt, et qui sunt speculatores, et qui speculatores mittunt. Sane nihil est, quod contra speculationes cauilleris. Scrutari, speculari res hostium et possumus et debemus, et ab omni acuo solemus omnes, et omni modo. Quod si uero speculatores duriter accipiuntur: ratio est ex maiori periculo quod ab ipsis est. Sunt namque hostes occulti et in uisceribus: et qui saepe possint, uno aliquo detecto consilio hostium, plus mali istis adferre, quam mille facerent peditum cateruae, equitumque cohortes. Arcendum hoc fuit periculum, proposito inferentibus malo magno. Ut sic iura, sic poenae, ob causam istam et ob alias exasperantur¹. Neque omnes eodem modo tractantur hostes. Transfugae simulati et speculatores etiam sic tractari possunt, quasi subditi, qui in territorio hostis sunt. At de transfugis potest disceptatio maior uideri propter id quod dixi, iniustum esse mendacium in conueniundo. Ceterum considerandum hic est, non esse uere conuentionem transfugae: qui inire conuentionem ineptus est: subditus alienus: nec a subiectione eximendus per transfugium; nec efficiendus sub alium dominum. Non ergo uidetur transfuga dedisse se hosti aliter, quam ut si fallat, pro arbitrio ipsius hostis plectatur.

Et ita mihi uidetur, et ius esse in contrariis partibus. Et affirmatur definitio, quoniam uidemus, non eos pudere, qui utuntur transfugis et mentitis proditionibus: sed imo iactare factum omnes, et ridere illusum hostem. Ius enim esse dicimus recte, quod omnibus laudatur. Certe illud usurpare possumus citra iniuriam, in quod consenserint omnes palam. Si usurpent solum, et pudeat: ius esse nequit: certe nequit absque iniustitia usurpari, quod conscientia improbat et nostra, et aliorum. Quae fortissima probatio rei est, iuncta rationibus. Sic enim ostenduntur rationes naturales: quae consonant conscientiae. Atque si haec ita sunt, illud magis erit, ut proditionibus contra prodiones possimus uti. Quod respondit Ioannes Cephalus, pro eo qui inuitatus prodere Mirandulam, principi id suo renunciauit: atque princeps iussit, hominem annuere, itaque trahere hostes ipsos in insidias². Potuit, (inquit Cephalus) et debuit ille tentationem aperire principi, eidemque obedire praecipienti contrarium.

¹ l. 5. C. ad le. Iu. ma. (9. 8).

² Ceph. cons. 696.

Et potuit princeps proditionem prodicione repellere et uindicare : et uiui. Imo (ut mihi quidem uidetur) nec proditio altera est, per quam capitur qui de prodicione tentauit. Nam proditor est, qui non ostendit quid facere uelit, et clam facit contrarium eius quod facere debet¹. Serui corrupti actione, item et furti, obligatur qui alieno seruo fugam suasit, et furtum : et quum seruus domino id significauit ; dominoque concedente utrumque peregit². Et seruus tamen corruptus non est, nec furtum factum uere. Non ita obligatur hostis, qui corrumpere, furari, rapere, res hostis potest. Sed eo usque obligatur, ut non habeat conqueri, si patitur quod facere uoluit. Sic concludo. Et aliquid addo pro ipsis transfugis mentitis, et contrariis proditoribus, non eos esse acerbissime puniendos, qui rem procurant principis sui, atque huius mandatis obtemperant. Et uidere tamen habent, ne procurent rem iniustam, neue iniustis mandatis obtemperent : non uelint esse sicarii, non uenenarii. Nam et serui in his quae habent atrocitatem facinoris, domino non impune parent³. Ipsi tum iniustissimi principes quoque : ut dixi : et ut dicit Augustinus, ‘ Nihil interesse, ‘ utrum ipse scelus admittas, an alium propter temittere, uelis⁴.’ Nobis illud est semper in ore, ‘ qui per alium facit,’ etc. Atque de dolo satis. Sequitur, ut de his uideamus, quae recto iure defenduntur.

CAP. X.

De pactis ducum.

IN toto autem bello multa quidem armis, sed et pactis atque conuentionibus, non pauca peraguntur. Publicas has conuentiones dicit iurisconsultus, quae fiunt per pacem quotiens inter se duces belli paciscuntur⁵. Et pacem ego interpretor pactionem, et, antiquum uerbum, pacionem. Aut Graecorum forte imitatione, qui pacem uocant, quando uerbo, non ui, inter se utentes, controuersias soluunt⁶. Sane idem iurisconsultus nomen pacis a pactione deducit⁷. Quod autem aliqui, pacem, exponunt

¹ Alc. 7. cons. 19. ² l. 20. l. pe. C. de fur. (6. 2). ³ l. 157. de reg. iu. (D. 50. 17).

⁴ Aug. 2. de Mo. Ecc. Ca. ⁵ l. 5. de pact. (D. 2. 14). ⁶ Plut. Nu. ⁷ l. 1. de pact.

inducias, mihi minus probatur¹. Etsi scio, a Uarrone et aliis, inducias pacem definiri. Neque enim inducias dixerit hic iuriconsultus, aut alius (opinor) simpliciter pacem. Neque per solas inducias paciscuntur duces belli: nec paciscuntur inducias solas. At quicquid sibi maluerit Ulpianus in uerbo isthoc, notemus quod scribit de ducibus belli, non de omnibus ducibus: non de aliquo ductore aut equitum, aut peditum. Et ergo de principibus capit Franciscus Balduinus: nam alii nec obligant publice. Sed tu cape nec de principibus tamen. cape de belli ducibus: ut uerba sunt. Duces autem belli sunt, quorum auspiciis bellum geritur. 'nec ducem nouimus, nisi cuius auspicio bellum geritur².' Summi igitur duces paciscuntur, non alii. Imo nec ipsi summi duces de omnibus paciscuntur. Quid enim si bellum componeret duces sibi mandatum, et pacem facerent? Utique, mandati fines egressi, nihil egisse dicentur: nec si generale mandatum haberent³. Nam et procurator cum eiusmodi mandato ad lites constitutus, transigendi de controuersia potestatem non habet⁴. Etiam et cum libera administratione constitutus ab offenso non potest pacem facere cum offendente⁵. Et ita pactiones suorum ducum plures non habuerunt ratas Romani. De quibus ago in libris de armis Romanis. Et haec definitio certa est.

Sed et in pactis induciis idem placuit nostris plerisque interpretibus iuris et eleganti Duareno; quamuis Accursius ac Bartolus contra docuerint⁶. Nam et hic a praescripto mandati, sicut in casu pacis, receditur. Et procurator non magis potest tempus tribuere solutioni quam transigere⁷. Et cuius est arbitrium punire delictum, is proferre poenam nequit tamen: et cui est arbitrium in factum, non ei est tamen in diem facti⁸. Et quae sunt alia huius generis. Cur alius possit inducias pacisci, pacem aliquam dare, praeter principem? Is solus bellum mouere potest: ergo et is solus possit tollere. Ut sic dicitur, dari a solo principe posse saluoconductum: quia solus princeps suspendere condemnationem possit, et dispensare de delicto⁹. Neque tamen hoc capias tu de induciis omnibus, sed de longioribus, nec necessariis, aut solennibus in

¹ Raou. 4. Amb. 1. ² Liu. 4. ³ Rom. cons. 115. ⁴ l. S. C. de trans. (2. 4); l. 60. D. de procur. (3. 3).

⁵ Clar. § fi. q. 85.

⁶ Dec. 3. cons. 19; Duar. l. 5. de pact. (D. 2. 14).

⁷ l. 122. de U. O. (D. 45. 1).

⁸ Bar. l. 24. loca. (D. 19. 2).

⁹ Dec. 3. cons. 96.

bello. Nam constat, inducias dari quasdam a ducibus: puta ad sepeliendos interfectos: alias huius generis in breue tempus¹. Atque sic etiam est traditum, mandatum de solitisque uideri traditum: et omnem procuratorem et posse et debere solitas dilationes admittere². Imo et duces inferiores, primoribus absentibus, tenore perpetuae consuetudinis quaedam solent et possunt istius generis facere. Et in eis fidem obstringunt publici et ducis summi. Ut enim ipse summus dux in his quae ad partem sibi mandatam, legem principi imponit suo: ita minor praefectus, in his quae ad partem sibi mandatam spectant, legem duci praescribet. Et institor dominum obligat etiam in sequelis³. Tenere igitur hanc distinctionem oportet: ut pacisci inducias, alia, dux quilibet ad ea ualeat quae ducatus cohaerent suo, non ad alia. Ea autem ducibus data uidentur omnia, sine quibus tractari bellum, aut demandata belli pars, non contingit. Ut de data iurisdictione et de mandato iurisconsulti scribunt⁴. Quod et uerum est, licet maiora, aut diuersae speciei, ea sint quae praeterea sic data censemur⁵. Et melioribus rationibus conclusum a Decio contra alios est. Et uero nisi duces omnes, uel infimi, quaedam possent, absurdum sequeretur, ut princeps ipse aut summus dux esse ubique cogeretur. Quod in simili quaestione Alciatus alicubi habet; item et Papinianus⁶. Praesentia principis et summi ducis obligat manus aliorum ualde⁷. Sic Latinus et Aeneas firmant foedera. Turnus nihil agit. Sed et quum generale et liberum mandatum datum duci, aut generalis est locum tenens, is dare potest inducias⁸. Imo uoluit Duarenus, confici pacem quoque posse a duce isto, quoniam et procurator, cui generaliter libera administratio rerum commissa est, possit exigere, aliud pro alio permutare⁹. Quae mihi sententia non placet: quantacunque demum potestas amplissimis uerbis tributa duci proponatur. Hic enim et grauiora, et aduersa extrema, non modo diuersa media includerentur: et citra necessitatem sustinendi ea quae expresse concessa sunt. Diuersa possunt uenire, sed non contraria.

¹ Jac. de S. Geo., *Ins.* l. 5. de pact. (D. 2. 14); Ceph. cons. 304.

² *Castr.* l. 2. de iurisd. (D. 2. 1).

³ l. 5. de inst. act. (D. 14. 3).

⁴ l. ult. de off. ci. (D. 1. 21); l. 2. de iurisd.; Ceph. cons. 693; Alc. 6. 52.

⁵ Dec. cons. 77.

⁶ l. 44. de ad. po. (D. 41. 2); Alc. 5. cons. 19.

⁷ *Seru. Aen.* 12.

⁸ *Ins.* de l. 5. Alc. l. 7. C. de trans. (2. 4).

⁹ l. 58. de procur. (D. 3. 3).

Medium potest uenire, sed non alterum extremum. Scilicet medium particeps est naturae extremi: et diuersum non dissimile est penitus alteri cui est diuersum. Est uero in hac opinione necum Ioannes Bodinus: atque addit, mandato hoc ea permitti tantum quae quis uir optimus ageret¹. item notat, quemadmodum neque ante Caesaris uim Pompeii haec gesta in conficiendo bello Mithridatico rata habuit senatus². Scio pro sententia Duareni esse, et tradi, generali imo potestate ac libera contineri facultatem transigendi³. Uerum non hic aptari istud potest. Nam ad insolita, ad inaudita, nullus actus extenditur, atque tale esset, si dux datus gerendo bello pacem componat: et datus uni rei faciat contrarium⁴. Clausulae istae generales ad rem de qua agitur coguntur passim. Et secundum naturam actus haec amplissima procuratorii sunt intelligenda. quod pulchre Alciatus in responsis habet⁵; et in lecturis illud, quod transigere nequit procurator, qui ad litem datus est, etsi cum libera: non est datus ad causam⁶. Sed et illud uerum, quod ubi res est praediuicii grauissimi, ibi nec sufficiat mandatum generale et liberum⁷. Cum id genus plurimis. Ipse Bodinus in eo fallitur, quod istis ducibus obligat contrahentes cum eis: interim dum non obligat aut duces, aut ducum dominos. Imo enim neque illi contrahentes erunt obligati, donec domini ducum ratum habendo gesta ducum suorum ipsi obligentur: ut sit aequalitas. quod diserte in suo quodam responso Decius, et in responso quodam suo generaliter Alexander⁸. Et in suo docte Cephalus, quod si isti qui nondum habuerint ratum offendantur, quod non uidebitur factum contra fidem: quia ipsi offendere impune potuissent⁹. Et ornatissimus Alciatus in suo, bonae fidei non conuenire, ut ei pacto stetur, quod alteri sit captiosum, quodue alterum obliget solum¹⁰. Et lex sic est¹¹. Et ergo non bene Corneus, quod si pax facta inter aliquos est, et est promissum, quod et absentes ratificabunt, uno horum offenso rupta pax intelligatur¹². Scilicet, quia non ratificasse culpa sit omissionis minor quam offendisse com-

¹ Bod. 3. de Rep. 2.² Dio 37. 38.³ Alex. 6. cons. 92.⁴ Bal. 4. cons. 371.⁵ Alc. 8. cons. 67.⁶ Alc. 1. 7. C. de trans. (2. 4).⁷ Aret. Inst. de excep. (4. 13).⁸ Dec cons. 531; Alex 5. cons. 40.⁹ Ceph. cons. 690.¹⁰ Alc. 8. cons. 77.¹¹ l. 1. de resc. vend. (D. 18. 5).¹² Corn. 2. cons. 40.

missionis. Etiam et sic soleat, pro absentibus promitti, sed fieri tamen non soleat, ut ea ratihabitio habeatur: itaque stet illico initus contractus: et sic cum interpretemur iuxta id quod fieri consuevit. Quae posterior ratio minus est infirma; nisi quod iuri nec probato, nec certo inimitur, consuetudini. Prior est ineptior. Quod igitur bellicum est, id duces tractent belli, non aliud. Aut ipsi suo malo soli obligabuntur. Sic deditus Samnitibus Postumius, Corsis Clodius, Numantinis Hostilius¹. Etsi enim aliqua culpa et his possit imputari, qui contraxerunt sic cum ducibus, nec de eorum potestate quaesierunt²; dolus tamen, a ducibus uel tacendo commissus, praeponderat³. Quod et certius erit, si de eo contractum sit quod communiter dari ducibus solet: atque id datum duci non sit tamen. Creditur enim probabiliter ei qui ex receptis paciscitur moribus⁴. Creditur gerendi se pro mandatario, si sit (ut loquimur) legalis persona, integraque⁵. Quae ex consuetudine sunt, siue loci, siue personae mandantis, ea generali mandato continentur etiam⁶. Ipse autem obligatus dicitur dux, et itaque dedendus, etiam si dixerit expresse, obligari se ipsum nolle: ne scilicet damnum alter inique ferat, qui credit iustum adesse mandatum⁷. Etiam obligatus uideri ipse poterit dominus, si patitur, datum ducem de his quoque constituere quae sunt supra mandatum. Sic namque est receptum iure ciuili, et ratio naturalis est ubique apta, quod si patior procuratorem meum mandati mei fines transgredi, uideor ei prorogasse mandatum⁸. Etiam et quum reuocauimus mandatum, si patior agere, renouasse mandatum uidebor. Illud uerum non est, quod quidam censent, ut si quid utiliter gestum est a ducibus, standum horum pactionibus sit: et inania, et puerilia, et iniqua, et fraudulenta contendunt similia Postumianis in Gallia⁹. Et rectius dico ego cum Postumio, 'Non indignitas rerum sponsionis uinculum leuat, si quid est, in quo obligari populus possit, in omnia potest. Nec a me nunc quisquam

¹ l. ult. de legatio. (l. 50. 7); Liu. lib. 9. c. 10; Val. lib. 6. c. 3.

² l. 19. de reg. iu. (D. 50. 17); Bal. l. 2. C. de aed. act. (4. 58).

³ Alex. 5. cons. 14; Pan. c. ult. de co. se; Bal. l. 1. C. de aed. act.

⁴ Bal. 3. cons. 211; Dec. 605.

⁵ Fely c. *sicut* de sent.; Alc. 5. cons. 44. 67.

⁶ Alc. l. 7. C. de trans. (2. 4); Bal. 4. cons. 237.

⁷ Alc. 8. cons. 18.

⁸ Alex. 5. cons. 84. 6. 128. 179.

⁹ Iou. lib. 11.

‘quaesierit, quid ita sponderim: cum id nec consulis ius esset: nec illis spondere pacem, quae mei non erat arbitrii; nec pro uobis, qui nihil mandaueritis, possem.’ Potestas desideratur, non solum caussa¹. Non hic est potestas, ubi non est mandatum. Et actio negotiorum gestorum tenere si potest gestori dominum, alteri non potest cum quo gesta est res. ne re sua quis contra uoluntatem suam priuatur. et ergo dominus liber ad hostem est, cum quo dux fecit pactionem, quam ipse dominus non uult probare². Nos autem de iure cum hoste quaerimus. Et hic de ducibus satis.

CAP. XI.

De pactis militum.

CETERUM quid dicemus de pactis, quae iniussu ducum cum milite hoste fiunt? Capti milites promittere saepe coguntur, uel in perpetuum, uel ad aliquod tempus non militare postea contra hos qui eos ceperunt, et sic modo dimittunt. Germanorum consuetudinem hanc dicunt: et alii horum temporum tenent³. Sed et olim tenere usque a temporibus Gothicis. nam ita Totila fecit iurare dimissos a se non militaturos contra se postea. Saepe etiam captus miles pascitur pretium redemptionis: et fide de eo soluendo data, aut de redeundo ad hostem, dimittitur. Et magna est altercatio interpretum, si hoc pactum seruare miles teneatur. Nam Bartolus, Baldus, Angelus, Corneus, alii quidam, negant seruari pactum oportere. quorum opinionem, iudicioque adfirmatam controuerso, acriter ac late defendit nouissime Udalricus Zasius in disputatione quadam sua contra Eckium⁴. Sed in contrarium consuetudo recepta est. ut de hoc monuit Fulgosius. Et Decius hoc idem tenet, captis bello iusto incumbere obligationem pacti pretii soluendi, aut redeundi in captiuitatem⁵. Et uerum non esse, quod a priuato fides hosti seruanda non sit. Et sic etiam

¹ Fely. c. 1. de spo.² Glo. l. 9. de ne. ge. (D. 3. 5).³ Na. Co. 4. 8; Guicc. 17. 18. 19; Sigo. 14. de Re. Ita.; Plati. Gr. 12; Procop. 3. Goth.⁴ Corn. 1. cons. 104. 165.⁵ Dec. l. 65. de reg. iu. (D. 50. 17) et cons. 691.

Alciatus et Duarenus, et alii nonnulli, quos mihi nominat Couarruias¹. Is ad omnia Zasio sic responderi ait, si pactio in damnum reipublicae sit, et tum illam priorem obtinere opinionem. Et late itidem contra Bartolum tenet doctissimus et acutissimus Fortunius Garzias². Contra doctissimum Eckium (ait Couarruias) nimis licentiose Zasius. Et Bodinus, quod uanius et leuius dictum sit Bartoli, quam ut refelli debeat³. Sequitur et Hotomanus sententiam contra Bartolum⁴. Et nuper adprobauit consultissimus Decianus. Iste hic et Barbatium habet, imo ipsumque Bartolum, et notoriam consuetudinem⁵. Etiam Ludouicus Romanus hac stat: qui itidem affert Bartolum huc: et ait, casum pro parte hac esse formalem in responso Scruii⁶. 'nam et Scruius respondit, cum a Lusitanis tres capti 'essent, et unus ea condicione missus, uti pecuniam pro tribus afferret, et 'nisi redisset, ut duo pro eo quoque pecuniam darent: isque reuerti uolu- 'isset: et ob hanc caussam illi pro tertio quoque pecuniam soluissent: 'aequum esse, praectorem in cum reddere iudicium⁷.' Cur autem ita? Scilicet quia ille redire tenebatur. Qui enim pro altero negotium gerit inutiliter, is actionem non habet, atque inutiliter illic gestum esset negotium, si aut naturaliter pretium illud redemptionis debitum non fuisset: ut explicat Hotomanus. Quod nota: nam alioqui responsum loquitur de conuentione inter ipsos captiuos; quam ualere per textum illum apertum, inquit Decianus. Adde nunc, quod principesque plures, etiam seculis his postremis rediere in captiuitatem: et iustitia laudantur⁸. Laudatissimus exstat Regulus ob hanc fidem⁹. Remissus ad Annibalem ille miles captus in clade Cannensi. Et quod de Regulo respondet Zasius, rediisse cum sponte, non obligatum: atque laudatum esse a Cicerone factum, qui idem non fecisset tamen: id esse uidetur quod dixit insignis Cephalus de nostris doctoribus alicubi, nugas eos agere, et plerunque dicere, quod non facerent ipsi tamen¹⁰. Uerum non sic rationibus Ciceronis, et aliorum iudicio respondetur. Stultissimus autem fuisset Regulus, uitae prodigus absque caussa. Ipsi Romani stulti et inhumani, qui tantum uirum ad

¹ Couar. 2. de Spo. 3. § 4.² Fort. l. 5. de pact. (D. 2. 14).³ Bod. 5. de Rep. 6.⁴ Hot. Ill. Q. 7.⁵ Dec. 3. cons. 102.⁶ Rom. cons. 316.⁷ l. 21, 23. de ne. ge. (D. 3. 5)⁸ Card. 2. de Sap.⁹ Hor. 3. Od. 5; Cic. 3. de Off. 31.¹⁰ Ceph. cons. 429.

cum modum perniciosissime insanire, ad hostes redire crudelissimos permisissent. Etiam Couarruias cum Zasio idem habet de Regulo¹.

Sed et de iniusto carcere sic censet: quod et nos cum Baldo, non esse redeundum ad rebellem: non ad latrones: non nisi ad iustum hostem: et non nisi quum fuit captura licita². Negat Baldus alias et consuetudinem ualidam et obligatorium iusiurandum. Etiam Angelus, quem laudat in contrarias partes Zasius, imo in ista sententia nobiscum est: et ait, more militari reditum tribui uirtuti, et contrarium proditioni³. Item quia ut captius iure gentium seruus sit: ita haec quoque captiuitas, de qua agitur inter Christicolae, iure gentium dicitur introducta in bello iusto: et seruanda sit sic uulgo credi: et opinioni uulgi multum dandum. Iterum Baldus, atque iterum, hanc esse generalem consuetudinem: et esse seruandam. 'cum de armis loquimur, secundum communem armorum usum' loquimur, etc., atque etiam supradicta Serui mouetur auctoritate⁴. Notes uero, quod addit Romanus, et plene adstruit, quod et minor hic obligatur, sine solennitate quam lex aliqua municipii in contractibus minorum desiderat. quia quod utiliter geritur a minore, id teneat absque solennitate statuti et iuris communis. Et relaxari iura, ubi de libertate agitur captiuorum. Et cum aliena iactura non locupletandum minorem istum: qui mutuum accepisset; nam regulae naturae non derogare legem. Tu illud expeditius confer, quod hic nos solum intuemur ius gentium. Et qui aptus igitur militare, is et se obligare militariter aptus. Sicut minor obligatur matrimonio, quod contrahere pubes potest, et personaliter et in omnes matrimonii accessiones⁵. Generaliter non est dubium, si conueniri possit de pretio redemptionis. Ubique docet Baldus, posse. sed in praesenti quaestione, de redeundo in captiuitatem, uariat: et scribit aliquando, nullam hic esse obligationem: quicquid milites multum seruent contrarium⁶. Et eam esse Accursii sententiam, et omnium. Quod et falsum est. Concludo igitur ego, esse obligationem iuris hic, et consuetudinis: esse et magis communem opinionem. Ceterum idem Baldus, quum respondit, redeundum, excipit casum, si propter crudelitatem hostis timeat

¹ Couar. 1. Resol. 2.² Bal. l. 7. C. de adopt. (8. 48).³ Ang. l. 4. de infam. (D. 3. 2).⁴ Bal. l. cons. 91 et 2. 343. 358.⁵ Alex. 6. cons. 119. 7. 80; Ias. l. 24. sol. ma. (D. 24. 3).⁶ Bal. l. 21. de ne. ge. (D. 3. 5).

mortem captiuus. Quod tamen nec probauit Regulus. Et nulla ualide probare ratio uidetur. Esto enim, liccat etiam dolo sanguinem (ut ait Baldus) suum redimere. an propterea et periurio et perfidia licbit¹? Nisi dicis, nec iura hostium cum his esse, qui iura legitima belli non seruant: et ueluti latrones sunt. Excusari perfidia tum posse prorsus uidetur, quum euasit hostis crudelis post pactum conuentum: quoniam nec esse ille uidetur, ad quem reditus promissus est. Sed ille mihi certus est casus, si promissum quid est contra publicum, aut militare ius, ut non sit seruanda promissio. quod duo illi Hispani doctissimi, Garzias et Couarruias, tradunt. Et in his promissis ego illud reposuimus, quum quis pollicitus est, non militare pro principe suo, aut patria. Nam etsi teneat pactum de reuertendo ad hostes: per quod quis se eripit principi et patriae, hoc tamen est, quoniam et iam creptus per captiuitatem est. Et, ut quid non sit, etiam contra publicam utilitatem concedi potest: sed, ut quid sit, et partibus suis non fungatur, concedi non potest. nam contra naturam id est². Quid hic (dicet patria) mecum es? illic reuertere, ubi teneris. At quid dicimus, si obsidibus datis abeat quis, nec praestat quod est pollicitus, an sit uiolata reus fidei? Bodinus non putat; quia obsides sint fideiussores, et quia captiui si uinculis aut carceribus retinentur, iurauerint autem non fugere, nulla obstringantur poena periurii, si aufugiunt. Atque huc etiam illud trahit, dolum bonum esse in hostem. Sed hoc liquido male³. Etiam 'cum accesserit aliquod rei iudicatae, non est a re iudicata recessum⁴.' Et neque par est ratio fideiussorum pignorumue et obsidum. Namque fideiussores et pignora idem praestant quod reus praestare tenetur. At constat, cum qui obsides habere uoluit, non ideo minus fidem promissoris sequi: cum praestari obsides pro maiori soleant cautione⁵. Et id etiam de pignoribus et fideiussoribus dici potest. Et Bodinus ad fidem dixerit neutrum bene. De uinculis et carceribus putem bene: quoniam fides non habita, fidem non obligat. Quae et de pactis militum satis. Etenim existimo apertissimum, cogi hos milites oportere per principem et iudicem

¹ l. 1. de bo. eo. qui an. se. si. mo. co. (D. 48. 41).

² l. 4. de pa. do. (D. 23. 4); l. 2. de iu. do. (D. 23. 3); l. 1. sol. ma. (D. 24. 3).

³ Duar. c. 1. de dol.; Dec. l. 65. de reg. iu. (D. 50. 17).

⁴ l. 4. de re iud. (D. 42. 1).

⁵ Alc. de Sin. Cer. 44.

suum ad conuenta praestanda hosti. Frustra enim essent obligati, nisi esset per quem cogerentur soluere obligationem. Et iam hosti ius non redderetur quod debetur. Hoc ius sic declararunt Romani et adfirmarunt pluries. Dedendos censuerunt Fabios: per solam gratiam plebis non deditos. Remiscrunt ad Annibalem periuros captiuos, an ignominia tantum notarunt non repetitos? Nam petenti ius redditur. Cloeliam reddiderunt: alios postea. Quid enim si captiuus fugeret facta pace, pactis induciis? Reddenda fuisset Cloelia, obses quilibet reddendus fuerit, etiam si per alios qui manserunt adseruari pacta optime potuissent¹. Ut id in pignoratissimis seruis responsum est, et uno illorum subrepto. 'non enim respicere debemus pignus quod subreptum non est, sed id quod subtractum est².' Tertium illum, qui reuerti noluit ad Lusitanos, sic reddi oportuit. Et sic igitur uetare princeps reditum suo potest multo minus³.

CAP. XII.

De induciis.

SED iam de pactis induciis uideamus. 'Induciae sunt, cum in breue et in praesens tempus conuenit, ne inuicem se lacessant,' ut definit iurisconsultus⁴. Dixit autem de breui tempore: quod et Uarro in libro Humanarum, qui erat de bello et pace, 'induciae, pax castrensis paucorum dierum⁵;' et alii grammatici⁶. Et Gellius quoque de horis tradit, non solum de diebus, intra quas induciae statuuntur. Adiecit autem iurisconsultus de praesenti tempore, quia sic solent induciae pro necessitate, et occasione aliqua praesenti constitui. Neque igitur pacis nomen usurpauit, quod nec proprie conuenit induciis: etsi Uirgilius eas dicat pacem sequestram⁷: et ex nostris quidam pacem uelint⁸: et ille in Decreto, 'Pax uero illa quam treguam dicimus,' etc.⁹ Sequestra pax haec est,

¹ l. 19. de capt. (D. 49. 15).² l. 14. de fur. (D. 47. 2).³ Paruta.⁴ l. 19. de capt.⁵ Gell. l. c. 25.⁶ Donat. Ter. Eun. 11. l. 15; Isid. lib. 18.⁷ Virg. 11. Aen. u. 133.⁸ Io. And. Spec. de Tre. et Pa.⁹ c. 25. 24. q. 3.

non pax simpliciter¹. Et ea est, quae sic interponitur, ut non tollat sed differat bellum. Pax est temporalis et media: ut, sequester medius est inter duos altercantes, apud quem aliquid ad tempus seponitur. Sic pax ista media inter praeteritum bellum et futurum. Pax aliud est, ut dico sequenti libro. Et pacis appellatione non unire treguas, alibi notatum est². Et quae tamen in longum tempus sunt induciae, pax quaedam vere uidetur. Centum annorum datae Uciensibus, mox quadraginta, mox uiginti. et pax domi esse dicitur. Et Caeritibus data pax et induciae in centum annos pactae. Simul memorantur Hetruscis datae in triginta annos, mox in quadraginta; et pax itidem parta dicitur. Sed tamen induciae numquam pax sunt uere. et sic, 'de foedere 'negatum, induciae in biennium datae Samnitibus.' et Hetrusci pacem 'foedusque petierunt, inducias in triginta annos impetrarunt.' et rursum de iisdem, 'pax negata, induciae biennii datae³.' Has inducias decem, triginta, quinquaginta annorum audimus sane dici pacem, sed et inducias⁴. Et Plutarchus, quod non sustinuit Pelopidas pacem inire cum tyranno, sed inducias dedit⁵. Adde interpretes nostros. Inquit Ancharanus, tria esse tempora, pacis, treguae, belli⁶. Ait Corneus, treguam bello quam paci similiorem⁷. Docet Castrensis, pacem non esse treguam. nam pacem in perpetuum, treguam in tempus esse⁸. Quod ergo de pace dicunt alii, id iurisconsultus expressit melius per ista, 'ne inuicem se lassarent.' et uerbis propriis, non figuratis, quemadmodum Uarro 'Induciae sunt belli 'feriae'⁹. At ex ista iam abeamus grammatica disceptatiuncula; quae tamen otiosa nobis non fuit. Etenim ex his uidetur, non bene respondisse Alciatum, ad principem Tridentinum spectasse castrum, quod Ueneti paulo ante finem belli occuparunt: cum in capitulis pacis cautum esset, ut sic quisque possideret, uti possidebat ante proximum praesens bellum¹⁰. Erat autem coeptum bellum ante annos plures, et princeps castrum a principio occupauerat. Pro quo Alciatus respondit: quoniam post castrum occupatum a principe fuerint induciae uariis temporibus, et aliquanto etiam

¹ Donat.; Ser. Don. 11. ² c. 11. de Iud.; Jac. de S. Geor. l. 5. de pact. (D. 2. 14).

³ Liu. lib. 1. c. 15, 2. c. 54, 7. c. 20, 9. c. 20, 10. c. 4. ⁴ Justin. lib. 3. c. 7. ⁵ Plut. Pelop.

⁶ Anch. cons. 88. ⁷ Corn. 3. cons. 167. ⁸ Castr. l. 5. de pact. ⁹ Alc. 9. Par. 21.

¹⁰ Alc. 5. resp. 17.

decem mensium, itaque proximum praesens bellum fuerit istud, quo a Uenectis occupatum castrum fuit. Male respondisse mihi uidetur. Quia unum, et idem uidetur bellum, etsi cessatum a praeliis per inducias saepe sit; et itaque proximum ac praesens. Et uerum id mihi uidetur, etiam quum nullum fuisset aliud bellum. nam 'proximi appellatione etiam ille 'continetur, qui solus est'¹. Quamquam isto casu teneri forte possit rectius sententia Alciati. Nam bellum hic intelligi uideretur pro praeliis. ut sic quidam loqui solent². Et de 'proximo' quod dicitur, non ex proprietate est³. At si alia fuere bella, omnino nequit teneri Alciatus. Non est omissum, quod est intermissum. et non est nouum, quod est renouatum, siue uetus repetitum⁴. Induciae nec interrumpunt bellum, sed sustinent et morantur. non interrumpunt hostilitatem, sed actus hostiles. Et cum non sit denunciandum bellum, his finitis induciis, qui dici aliud nunc bellum potest? An etiam putas, dimitti captos oportere, aut quid fieri aliud, de quo esset cautum faciendo, quum esset finitum bellum, si induciae intercesserint? Haud dubie consuluit Alciatus male: et, quod legis in ipso responso, ad gratiam potius, quam ad ueritatem. Nam in dubio dixisset, rem redire melius ad antiquum. et hanc esse iuuandam interpretationem, quae facit illic rem esse ubi erat⁵. At ab induciis non abeo longius. Dico autem defendi Alciati opinionem posse in induciis multo longioribus, quae naturam pacis imitantur, et itaque a belli ducibus non tribuuntur. Nec mihi quisquam respondeat, dies paucos, certe breues, et praesens tempus dici induciarum: quod de mensibus decem non belle intelligatur. Imo enim breue tempus intelligitur etiam de pluribus mensibus. ut a me expositum quoque est in primo libro De legitimis temporibus⁶. Et ipse Alciatus in responsis pluribus sequitur: et ait, sequi omnes Hugutionis ueteris interpretis opinionem, incontinenti factum uideri etiam quod factum est post decennium, sic suadente qualitate rei et personae ut quum princeps spoliatus interim arma, auxilia parauit pro re perditam recuperanda⁷. Et docet illic Alciatus, quod est contra aliud

¹ I. 155, de U. S. (D. 50. 16); I. 2. de su. et leg. (D. 38. 16).² Q. Cur. 5 et Eras.³ Eug. cons. C.⁴ Ang. l. si unus. de pact. (D. 2. 14. 27).⁵ l. si unus, § pactus. de pacti; Tir. de re. Co. (8. 56) § fi. num. 79.⁶ Gui. Pa. de Praesu.⁷ Alc. r. cons. pe.

fundamentum huius Tridentini, spoliū ultimum non purgandum, quod sic factum esset incontinenti. Et hactenus, quae sint induciae.

Quaeri solet postea, unde principium statuatur induciarum. An dies pactarum numeretur in numero dierum ad quos illae initae sunt. Et uulgaris illa est quaestio interpretibus iuris, an dies termini computetur in termino; et, an tempus per momenta numeretur. De quibus et in proposito nostro tractat Corneus in responsis¹. Concludit autem, currere tempora regulariter per momenta. et sic esse interpretum opinionem receptiorem. Et in induciis sic esse: quia nec de mente contrahentium uidetur, ut eo die induciarum pactarum se offendere possent. Mouetur tamen Corneus in suo casu ualde, quod ita uitabatur crimen et poena eius, qui offendit induciis durantibus, si a momento pactarum non currisset constitutum pactum tempus. Nam et sic distingui solere, ut dies termini a momento computetur, si fauorabile sic sit. Quod ego tamen non ex postfacto cum Corneo, sed ex ipso contractu a principio iudicari².

Sunt porro induciae omnes iuris sanctioris quam est pax ut ita plures interpretes nostri tradunt³. Et itaque qui hostem offendit durantibus induciis, non tamen ipse offendi possit⁴. Scilicet sunt induciae in diem. atque adeo die clapsa possit se uindicare offensus; at pax perpetua est. Item induciae censeantur habere naturam contractuum nominatorum; cuius haec est uis, ut si pars eos non seruat, non propterea et pars altera contrafacere etiam possit. Et in id exempla quaedam afferuntur. Sic ego uideo, Aeneam clamantem, 'ictum iam foedus;' et neque uulneratum, neque per ardentissimum praelium uelle a pactis abire⁵. Sic porro Thomas Morus facit, Utopienses suos non uiolare inducias, uel lacessitos⁶. Ceterum nec uera ratio potest differentiae dici inter pacem et inducias. Et opinio altera, quae inter ista non distinguit, nunc est receptior et usu seruata. Sic Philippus Corneus uisus aliquando tenere cum priore opinione⁷. Et aliquando notat pro eadem consuetudinem: uerum dicit simul, putare se contrarium de iure⁸. id alibi adfirmare definit, ut non aliud

¹ Corn. 4. cons. 279. ² l. 7. quod. ui. aut clam (D. 43. 24). ³ Bod. 5. de Rep. ult.

⁴ Alex. l. 26. so. ma. (D. 24. 3); Alc. l. 21. C. de pact. (2. 3); Jas. 1. cons. 170.

⁵ Virg. Aen. 12. u. 314. ⁶ Mor. 2. Utop. ⁷ Corn. 2. cons. 218. ⁸ Corn. 1. cons. 175.

sit in induciis, quam est in pace: et ait de consuetudine, non se credere quod contrarium obseruetur¹. Hanc opinionem tenent quoque Imola, Panormitanus, Bartolus, Alexander in responsis, et Decius et alii². Et de receptiori hac sententia, quae etiam usu seruetur, late docet doctissimus praeceptor meus M. Antonius Eugenius gemino responso³. Et uero non dubito, quin haec uerior opinio sit. quicquid contrarium quoque Camera imperialis probasse dicitur⁴. Nam frangenti fidem cur seruetur fides⁵? Hic est ille contractus ‘Facio ut facias,’ Cesso a bello ut tu cesses quoque. Et non est differenda uindicta, si est nunc commodum uindicare. Momenta in bello ualent maxime. Etiamne expectabitur in longioribus induciis? Sed neque in horariis defendi sententia potest prior. Et omnino non obtinet, si inducias uiolanti resistitur incontinenti, et in ipso congressu. tum enim defensio est: quae semper permissa est. Ut non iustitia tenerit Aencam, alios, de quibus afferunt, sed alia causa, cur contra uiolatos induciarum et ipsi ferrum non strinxerint. Ergo non seruanti inducias, ei nec induciae seruentur. Et ex noua causa discedi a pacto induciarum impune: etiam ex leui: imo etiam ex iniusta: etiam et quum dubium, an noua causa intercesserit. Quae de aliis praeceptor meus. Quamquam ego de leui, dubia, iniusta, non sum assensus: nec assentior, nisi post factum ad excusationem forte peccantis, et ad uitandam poenam quae esset conuenta. Si addita poena est uiolanti inducias, ea non petetur quidem ab altera parte, quae et ipsa nunc faciat contra inducias. nam si qui uiolat prior is soluit pactam poenam, iam seruasse inducias intelligitur quantum pertinet ad effectum iuris⁶. Et iniquum est, ex crimine agere et ex pacto⁷; cum id genus aliis, quae scribuntur a nostris. Poena iuris hic est infamia⁸. Hanc conuenta soluta non tollit, non contrafactio sequens alterius partis.

¹ Corn. 2. cons. 42. ² Alex. 7. cons. 47; Dec. 531. ubi Mol. ³ Eug. 1. cons. 82. 90

⁴ Myns. 4. obs. 7. ⁵ Dec. cons. 265. ⁶ Alex. 2. cons. 32; Dec. 380.

⁷ Bal. l. 1. C. de fur. (6. 2). ⁸ De in. et pa. ui. 5. Feud. Cuicai.

CAP. XIII.

Quando contra inducias fiat.

AT quando contra inducias factum dicemus? Illic utique, ut in reliquis conuentionibus omnibus, uidendum est, quid pactis comprehensum est: si quid contra conuenta patratum est. Bonae autem fidei cum dixerimus istas conuentiones, comprehensa in ipsis non ea sola existimabimus quae uerbis sunt expressa, sed et alia, quae aequitas et boni uiri arbitrium intelligere praeterea et introducere in contractibus bonae fidei solet¹. Quorum latissimus tractatus est: neque huc accersendus. Ea etiam ueniunt in istis contractibus quae nec cogitata sunt². Si nobiscum sit hostis, et ultra condictum induciarum tempus per casum fortuitum detineatur, puta per ualetudinem, uel per aduersam maris tempestatem, quominus abnauiget: ei ego ius tribuendum induciarum existimo. tantum abest, ut probem Bartolum: qui scribit, interfici eum posse³. Neque enim is contra inducias fecit, per quem nec stetit quominus ex conuentu abiret. Et ita definit lex, quae ait, quod si ante idus Martias ex insula abeundum sit: et abitum sit: sed reditum in eam sit tempestate aduersa, aut etiam factum per hanc sit, ne abiretur: non uideri contra legem factum, quae abire iubet⁴. Et satis facit, qui ex portu soluit ante eum diem: etiam et qui incoepit soluere⁵. Ut sic declaratur lex communiter⁶. Atque quod ait Bartolus, eam legem non aptam esse hic: quia induciae censendae nec sint ex natura contractuum bonae fidei: certe fallitur. Nam contractus omnes cum principibus aut rebuspublicis bonae fidei esse, mihi probatissimum est. adeoque et cum ducibus belli: qui illorum uicem gerunt, et imaginem⁷, et quorum eadem est uis conscientiae quae et principum⁸. Atque ita quidem conuenit rudi huic, et simplici, et magnanimo, negotio bellico. conuenit simplicitati iuris gentium: ad quod induciarum contractus,

¹ Cuiac. 17. obs. 37. ² Bal. l. 4. C. de oblig. (4. 10). ³ Bar. l. 15. de publica (D. 39. 4).⁴ l. 15. 16. de publica. ⁵ l. 14. de re. mil. (D. 49. 16). ⁶ Alex. 3. cons. 7.⁷ Dec. cons. 4. 187; Hot. 15; Dec. 3. cons. 11; Chass. Ca. p. 5. Co. 24. ⁸ Rim. Iu. cons. 42.

foederis, pacis pertinet¹. Miror et Baldum scribere, contractum foederis esse stricti iuris: et nihil uenire in ipso, nisi quod actum est expresse². Nec enim quod in contractu uerborum dicitur, id ad istum contractum pertinet. Illud autem nihil hic ualet, quod disceptant, non esse ullos bonae fidei contractus qui eo loco in libris legum nominati non sunt, ubi contractus recensentur bonae fidei³. Quoniam non de iure publico, aut quod extra est ciuitatem, docent illi libri, sed de priuato⁴. Atque induciae sunt iuris publici⁵. Sed et plura sunt iuris eiusdem cum his quae bonae fidei nominantur⁶; et quae ex bono sunt et aequo tractanda. In quo genere plerumque sub auctoritate iuris scientiae perniciose erratur⁷. Atque istam definitionem contra Bartolum sic temperes tamen, ut qui potuit non incidere in casum, et se arctauit, is imo indignus sit, cui exceptio casus patrocinetur⁸. Non est sic arctandus, ut possit ei dici, cur non multo ante profectus esset quam dies promissionis ueniret: neque iterum permittendum ei, si quid sit quod ei imputetur, tempestatem caussari. Nihil ei imputatur qui punctualiter (sic loquuntur) assumit initium temporis, quod satis esset. Est quod ei imputetur, quando contigit casus de quo debuit cogitare. Idem Bartolus docet, pactum initum de personis non laedendis non uiolari, si praedae abigantur, laedantur res. Quod rationem habet. Sed tamen si pro defensione rerum accurritur, non uiolata dicentur pacta, etiam si personae praedatorum offendantur. etenim offensio haec est defensio. Et credendum non est, quod quisquam promiserit, passurum se res suas rapi, rumpi. Et Macchabaei nec dum assecuti erant sententiam legis: qui putabant, hoc licere in sabbato facere, occidentibus resistere, et pro corpore pugnare: at resistere in aliis non licere, si aggeres struant hostes, similia agant⁹. Imo enim et ouem erigere licet in sabbato, et res alias tueri¹⁰. ‘Macchabaei’ (ut prouerbiali schemate nostris dicitur) ‘studio ‘contradicendi perdidit sanum intellectum’¹¹.’ Si item conuentum de ui solum est, dubium non est, uiolari conuentionem a uiolenta rerum

¹ c. 9. dist. 2.² Bal. l. 32. de legi. (D. 1. 3).³ § actionum, Inst. de act. (4. 6. 28).⁴ § ult. Inst. de iust. (1. 1).⁵ l. 5. de pact. (D. 2. 14).⁶ Hot. de praes. uer. (D. 19. 5).⁷ l. 91. de U. O. (D. 45. 1).⁸ l. 137. de U. O.; l. 2. ubi Ang. Ias. si quis caut. (D. 2. 11).⁹ Iose. 14. Antiq. 4.¹⁰ Matth. 12.¹¹ Ias. l. omnes populi (D. 1. 1. 9).

depraedatione. Quoniam uis et in res est¹. Uis autem intercedere dicitur, si hominibus coactis bona rapta esse dicentur. Qua de re, praeter nostros iuriconsultos, uidentur Cicero in oratione pro Cecinna. Et intelligitur, uim quoque fieri absque armis, et absque hominum coactione aut numero. Si priuato consilio milites aliqui faciunt contra pactum induciarum, dedendi sunt proculdubio, emendandum et factum erit. Sed inducias non tolli putem, non fieri publicum reum, ut de priuatorum factis alibi explicauim. Si ad hostes propius acceditur tempore induciarum, laedi inducias creditum est². Et potest illa esse ratio, quod aliquid mali est propter uicinium malum; et hoc admouere hostibus tempore induciarum, nefas. Et nec licet tamen aut secedere longius; quia nec subtrahi hosti quidquam oportet. Itaque mea sententia Philippus peccauerit, qui, petitis induciis ad caesos sepeliendos, se recepit in loca tutiora³. Et is peccauerit tanto certius, quanto ad rem certam inducias impetrauit. Sic et peccauit Mom-pensarius apertius, qui pactus arcem dedere, si intra mensem auxilia non adessent, discedit illico munita arce⁴. Dictum quoque est, contra ius esse induciarum, accipere tum milites in obsessum oppidum⁵. Nam hoc est gerentis bellum, non quiescentis, non feriantis: ut Uarro locutus est. Est uulgarisque clausula, 'Nil nouari securitate pendente⁶.' Scanderbegus obiurgat Turcas acriter, qui itidem pacti deditionem, nisi auxilia intra tot dies haberent, interim reficiunt moenia et munimenta⁷. Et desistunt sic, ubi clam nequeunt Scanderbego operari. Tissaphernes nec seruasse inducias dicitur, qui ad bellum interea se compararet⁸. Et id itaque Agesilaus eodem tempore non fecisse. Sed non id sane cum receptis moribus conuenit. Et propterea cauere expresse solet, et est satius, quid non fieri induciarum tempore debeat. Et quod est solitum tamen, pro cauto habendum est⁹. Quid iam de Belisario dicimus: qui deserta a Gothis oppida quaedam tempore induciarum occupat ipse¹⁰? Respondebat autem per inducias prohibitum non uideri occupare derelicta. Et respondit bene, si derelicta. Ceterum ut res pro derelicto habita statim desinit nostra esse, et fit occu-

¹ *U. bo. ra.* (D. 47. 8) et *l. 7. de ui. priu.* (D. 48. 8). ² *Comm. lib. 1.* ³ *Liu. lib. 31. c. 38.*

⁴ *Guic. 2.*

⁵ *Comm. Pii 2. lib. 5.*

⁶ *Uital. Tract. Claus.*

⁷ *Scanderb. 8.*

⁸ *Corn. Nep. Agesil.*

⁹ *l. 3. si. cer. pet.* (D. 12. 1).

¹⁰ *Procop. 2. Goth. 7.*

pantis: non tamen qui de loco recessit, aut necessitate quid abiecit, id habet pro derelicto¹. Retinet is possessionem ciuilem: in qua turbari non debet per tempus induciarum². Gothi autem ob penuriam necessariorum oppida illa deseruerunt. Sic ergo est distinguendum, ut si deserta sint oppida tempore induciarum, ea Belisarius occupareque potuerit eo tempore, scilicet ea tum deserere Gothi non potuerunt, ut ita seruaent sibi sine molestia. Quod si sic deseruerint ante inducias pactas, non ea potuit Belisarius induciarum tempore occupare. Illa Anglorum mera cauillatio: qui eo tempore arcem quandam, pecunia corrumpentes praefectum eius, ceperunt: et Franco expostulanti responderunt, rerum coëmtione religionem induciarum non uiolari³. Et nugatur Polydorus. Si Franci idem tentauerunt contra Anglos: ut isti sic quoque responderent Franco, commercii huic defuisse felicitatem, sui sibi consilii euentum datum, parem utrinque existitisse conatum: defendi quodam modo Angli possunt, quia Franci eos laccessierint. Et primi igitur fregerint inducias quoque. Uerbum 'laccessio,' quo iurisconsultus in definitione induciarum utitur, ducunt quidem a 'lacro,' ut uehementiam lacerationis significet⁴. Uerum ego non sic accipio uerbum, sed ex uulgi sensu, ueluti 'prouoco.' Et itaque laccessierint Anglos Franci. Ex eo porro definioque, quod factum a rege item Franco est, edixit, se habiturum pro hoste, si quis induciarum tempore ad suos accessisset uel gratia commercii⁵. Aio, fieri potuisse iuste: non modo quod timeretur corruptio: sed etiam quod pactum induciarum habet tantum, ne se laccessant. Etsi etiam soleat et hoc fieri, ut tuto utrinque comment.

CAP. XIV.

De saluo conductu.

SPECIES autem induciarum est saluoconductus, quem ita dicunt imperiti: at alii fidem publicam, siue securitatis promissionem⁶, quod

¹ l. 1. 7. pro derel. (D. 41. 7); l. 8. de l. Rho. (D. 14. 2).

² l. 3. 6. 7. 8. 25. de ad. po. (D. 41. 2); l. 1. de ui. ar. (D. 43. 16); l. 15 de da. inf. (D. 39. 2).

³ P. Aem. 6; Polyd. 19.

⁴ Scal. de Li. L. 123.

⁵ P. Aem. 10.

⁶ Alc. 8. Pare. 2.

securitatis uerbum est quoque ineptum aliis¹. Nos ista nihil moramur, quum intelligimus, quid id est de quo sermonem habemus. Saluoconductus igitur, quia fides est publica, utique non concedetur nisi a publica persona, quae est summus dux. nisi in casibus forte sumus, in quibus aliosque duces minores posse obstringere fidem publicam, expositum est. Sicut scilicet dicitur, summum solum principem regulariter posse concedere saluoconductum: et posse idem tamen, qui a principe habet potestatem explicandi ardua. et maxime ad tempus. et maxime ad breue tempus. et maxime cum causae cognitione². Sic nunc dicimus: et antea diximus. Item uolumus, et saluoconductum, et similia ex bono intelligi, et ex aequo, et absque cauillationibus, et large. Itaque datum si sit, ut tuto ueniatur, etiam cautum intelligetur, ut abeaturo tuto³; et cui cautum est, ut ire possit, is utique mittere etiam poterit. Et qui sibi, sociisque habet cautum, is socios personas odiosasque, uti Iudaeos, habere potest. etsi de Iudaeis releuandis cogitatum non uideatur⁴. Sed et de Iudaeis, aliaque, et haec tradidit omnia, postque alios Decius in responsis⁵.

Notes autem et ad singula aliquid. Ecce idem Decius notat, sic accipi conuentam hanc fidem in dubio, ut ille sensit qui dedit. nam et ita capi rescripta soleant: rescripta, priuilegia, beneficia, statuta; nam eius sit interpretari cuius est concedere⁶. Ego uero rescriptis non facio conuentiones istas pares, at contractibus. et itaque putem, hic cum aptari quaestionem oportere, contra quem ex contrahentibus interpretatio fieri debeat in re dubia. et cum docuerint iurisconsulti, pactionem obscuram, uel ambiguum, eis nocere in quorum fuit potestate legem apertius conscribere: etiam et horum successorum: quid dubitamus, imo contra ipsum qui fidem dedit, in re dubia legem fidei interpretari⁷? Non hanc legem facimus parem rescriptis, et quoniam res cum pari hic geritur, non cum parente. et quoniam sic fores ocluduntur malitiis, quas hostis struere alias posset in saluoconductu ad hostem illaqueandum. Cogita. Et hoc ad primum.

Ad secundum notes, quod etsi uerissimum sit, ut qui dedit tutum ad se

¹ Bud. l. 1. ad le. Iu. ma. (D. 48. 4).

² Decia. 3. cons. 96.

³ Bar. l. 1. C. de nau. (11. 3); Alex. 2. cons. 46. 5. 75. 6. 99; Alc. 4. 14. ⁴ Alc. 7. cons. 11. 25.

⁵ Dec. cons. 51.

⁶ Bal. l. 1. de const. pri. (D. 1. 4).

⁷ l. 19. de pact. (D. 2. 14); l. 21. de co. em. (D. 18. 1); Alc. 8. cons. 33.

accessum, ille etiam recessum dedisse tutum censeatur. Si qui tamen dedit hosti alicunde abitum, non tamen dedisse eodem reditum uidebitur. Nam ut tutus recessus debeat uenienti ad se hosti, ea ratio est, quod alias non ad aliam rem esset hosti consultum, quam ut certus in potestatem hostis, ueniret. quod petitum ridicule foret, et per stultitiam. Et haec ratio absurdi in aliis casibus extra istum non obtinet. Sed est quaesitum, an noceri possit huic, qui saluoconductum habet, extra territorium dantis saluoconductum, aut in proprio ipsius territorio cui datus saluoconductus est? Si in eundo noceatur, fieri contra saluoconductum, responsum est¹. Etiam extra territorium suum seruare concedentem oportere saluoconductum: etiam in territorio suo eius cui datur saluoconductus². Nam, inquit, praecambulum uenit: ne frustra sit, quod sequitur. Et personae ego uideo datam securitatem: quae antea poterat ubique offendi: adeoque nunc nullibi offendi potest.

Nunc ad tertium. Et uidendum hoc existimo, an uerbum interuenit, quo imo illa negata missio uideatur, ut est personalissimum uerbum 'ipse³.' Et ut sic in mandatu iurisdictionis tradunt de praecisa huius pronomini potestate. Et tamen ratio mandatae iurisdictionis non satis hic apta uidebitur: quae est, quoniam electa personae industria creditur, sic mandata iurisdictione, 'ipse cognoscat.' At uero in saluoconductu qui datur hosti, solum hostis commodum quaeri saepius intelligitur. Dico, saepius: nam commodo utriusque partis, etiam et solius dantis esse saluoconductus potest. Sic dicimus, (quod uideretur etiam non esse) et depositum solius depositarii causa esse, et commodatum solius commo- dantis, non modo causa utriusque contrahentis, aut solius deponentis, et commodatarii solius⁴. Quid si obsessus petierit, intro ad se aliquem ire, qui audiat, quomodo uelit dedere obsessus se? Sed certius est semper, non discedere a proprietate uerborum: praesertim si intelligi posset, cur ito concederetur facilius quam missio. Et dispositio de persona ad personam produci non solet⁵. Igitur et per contrarium, si datum sit mittere, non licebit ire. ipse, cui scriptus saluoconductus est, ire non poterit. Nam quid si is est dux hostium? Respondent, quod saluoconductus non includit

¹ Ang. cons. 633.² Ias. l. 5. de pact. (D. 2. 14).³ Ceph. cons. 43; not. ad l. 1. de off. ei. (D. 1. 21).⁴ l. 5. comm. not. ad l. 23. de reg. iu. (D. 50. 17).⁵ Alc. 2. cons. 25.

maiolem. nec esse uerisimile, ut pro magno esset concessus uiro¹. Atque potest res esse plusquam manifesta. Quid enim si obsessus is sit magnus hostis: cui sit mittendi potestas? Stultum est credere, factam eadem potestatem abeundi. Et in contrario quid si is esset magnus hostis, cui sit cundi potestas, et qui non eat tamen, at mittat? Dic aliquem Archimodem Syracusis. Dic illum praefectum praesidii Perusini, quem unum morari urbis capturam, Totila existimauit². Dic illum Rangorum, qui dedere se Uastio noluit ad arbitrium, sed pactus condiciones: et quo ad Uastium ueniente deditio facta ad arbitrium est ab aliis, qui remanserant. Dic alios similes. Sed eius tamen improba et inepta cauillatio fuit, qui pactus, ut praesidium abiret, praefectum retinet³. Scilicet ut familiae appellatione et ipse princeps familiae continetur; et in ordine senatus numeratur princeps; et praelatus est in ecclesia; et ipse papa in corpore ecclesiae suae; et rector in scholarium numero; et caput ciuium in ciuibus, ut sic etiam Plinius ciuem Traianum dicit saepe; et omne caput in corpore; ita et praefectus est in praesidio, et praesidii appellatione continetur⁴. Eminentia officii nomen mutat, non professionem, aut condicionem. Nec putem propterea, saluoconductum, datum militibus, protegere duces posse. Etsi rector nomine scholarium ueniat: et imperator dicat milites commilitones⁵. Nam in Italia (illic loquitur definitio) rector scholaris est. Non mirum igitur, si nomine scholarium uenit. Doctor isto nomine non uenit. et itaque nec ductor ueniet nomine militum. quamquam imperatores per blandimenta appellent milites commilitones. per blandimenta, inquam. nam audis Africanum, 'me imperatorem esse, non militem⁶'. Audis Plutarchum, non esse ducis, obire militis mortem⁷. Et id genus plurima. Aliter milites, aliter duces nominamus. 'Aliter filii, aliter nepotes' appellantur: ait Ulpianus⁸. In generali sermone non ueniunt personae magnae, et notabiles, et dignae, de quibus specialiter exprimatur⁹. Non

¹ Alex. 6. cons. 235. ubi Natta. et 7. 11. ² Iou. 26; Procop. 3. Goth. 25. ³ Nat. Com. 8.

⁴ l. 196. de U. S. (D. 50. 16); l. 8. C. de dign. (12. 1); Panor. de Conc. Bas.; Bod. 3. de Rep. 7; Fely. add. Decr.; Rom. cons. 498. §23; Decia. 3. cons. 19; Alc. 5. cons. 163;

Bal. l. 4. de off. procons. (D. 1. 16); Casa. Suet. 2.

⁵ Bal. 1. const. Dig.

⁶ Front. 4; Stra. 7.

⁷ Plut. Sert.

⁸ l. 6. de test. tu. (D. 26. 2).

⁹ Affl. Dec. 265; Anch. cons. 296; Ro. 498; Ias. 4. cons. 117.

uenit imperator nomine militum in materia stricta¹. Uidelicet nec proprie appellatur miles. Nam propria significatio ubique obtinet. Non episcopus uenit, aut alius praelatus, nomine clericorum². Uenit nomine praesidii dux, et simili collectiuo, et mixti corporis. nam pars eius corporis est, et quidem praecipua: quam iniquissimum non intelligere in corpore. Sed militum appellatio ad singulares refertur. Et haec uerissima sunt. Dubito aliquantulum de illo, si solos gregarios milites oporteat ista appellatione intelligere, an etiam subduces. Sed si scriptus duci; est, saluoconductus, ut mittere milites possit, ego in eam partem magis inclino, ut subduces ueniant. Etenim milites istique sunt duci; et, quasi medium genus, contineri possunt appellatione militum, ut genus illud continetur appellatione speciei. Uelim tamen et distingui, quod si sic petenti duci scriptus est saluoconductus, imo subduces non intelligantur. quia apertius habuit dux petere, et quia de subducibus, personis dignioribus, exprimendum erat. ut dixi. Sic et distinguere solent nostri passim, an quid concessum sit ad partis petitionem, aut concedentis sponte: ut illic multo strictior fiat interpretatio. Audisti, in stricta materia imperatorem nomine militum non uenire, non praelatum nomine clericorum. In fauorabilibus, non in odiosis, uenit abbas nomine monachi³. Et odiosa strictae sunt interpretationis. Inque odiosis, ut nec in aliis strictis, simplicium nomine ueniunt quae iuncta sunt, non igitur, qui et monachus est et abbas. Cui abbati sit etiam aliquid amplius deferendum propter excessum dignitatis. Ut haec respondit Ludouicus Romanus, et probant alii. Etiam hic quaeri potest generaliter, qui milites censeantur. Qua de re tractant nostri late⁴. Illa uana est quaestio, si nostri milites ex iure censendi sunt, quod de militibus scriptum exstat, et definitio communis multo uanior, quae negat. Neque sic dico, quia milites et nostri isti appellentur. cui responsioni respondit in quaestione Baldus, quod consuetudo loquendi non tribuit iura tamen⁵. Sed sic dico, quia milites isti nunc milites sint, quemadmodum illi habebantur: etsi solennitas uariet extrinseca. Quaestio uariare potest,

¹ Alc. 7. cons. 19.² Panor. rubr. de Ui. et Ho. Cl.; Rui. 2. cons. 143; Ceph. 39.³ Rom. cons. 259 ubi Mandos.; Alc. de U. S. lib. 3.⁴ DD. 1. centurio. de uulg. (D. 28. 6. 15).⁵ Bal. 1. cons. 248.

et definitio, si hostes respicimus, et si respicimus suos. Et, ne discedamus a proposito longius, 'omnes omnino, qui eius sunt condicionis, ut iure militari 'testari non possint, si in hosticolo deprehendantur, et illic decedent: 'quomodo uelint, et quomodo possint, testabuntur: cum eadem pericula 'experiantur!.' At ad hostes non ita erit. non ita nunc ad hostes, qui militibus scribunt saluoconductum. In matricula miles scriptus esse debet. non est satis, esse in matricula, nisi sit uere miles, ut notarius, aliquis alius officialis, qui in matricula sit, nec miles sit. nam et miles esse etiam potest, etsi est officialis². Etiam est miles, qui nec miles appellari tamen consuevit, 'in classibus omnes remiges, nautae milites sunt, item 'uigiles. et nulla dubitatio est.' et mihi apertissima uidetur ratio. Socios nauales uocat illos Liuius³. Et quidem sunt socii gerendo bello, non officiales belligerantium. et itaque milites sunt. De remigibus tamen, illic in poenam datis, scriuisue, quibus Romani hominibus usi illic numquam sunt, non idem dico⁴. Atque de tertio hactenus.

Ad quartum autem Decii hoc primum, uideri eos tantum socios, qui electi in professionem fuerunt, inque eam assumti a principio. Et sic Angelus⁵. Neque id nego tamen, quod scribo in secundo De legationibus, ut sint comites etiam post adsciti uel in itinere. at excludo cum Angelo, qui adiunxerunt se obiter. Etsi his etiam sociis itineris auxilio esse aduersus uim ualeamus⁶. Item sic constituo, ut non tamen fugitiuis et transfugis, et aliis eiusmodi cautum intelligatur per saluoconductum, qui subditi eius sint qui concedit saluoconductum. Non enim induciae, aut aliud belli ius pertinet ad istos. Transfugae uiui exuruntur per leges nostras, aut certe suspenduntur furcae⁷. Marcellus caesos uirgis peremit: itidem Cato censorius⁸. Alii in edendis spectaculis obicerunt bestiis, alii elephantis proterendos subicerunt. alii affixerunt cruci, alii aliter tractarunt nec digne, quasi nec hostes⁹. Sic neque piratis aut latronibus cautum intelligitur, quos nunc socios hostis acceperit, secum duxerit. Forte nec tuebitur saluoconductus

¹ De bo. po. ex l. m. (D. 37. 13).² Bal l. 16. C. de te. mi (6. 21).³ Bayf. de Re Nau.⁴ Macch. de Ar. Mi.⁵ Ang. l. 1. ad l. In. m. (D. 48. 4).⁶ Gl. l. 15. de iniur. (D. 47. 10).⁷ l. 8. 38. de poe. (D. 48. 19).⁸ Plut. Mar. Cat.⁹ Liu. lib. 21. c. 49, 26. c. 17, 29. c. 35; Val. lib. 2. c. 7; Front. lib. 4. c. 1; App. Hisp.

illum hostem qui non de ea est gente ad quam missus saluoconductus est. Ecce, Hispano nunc hostis est Gallus, Anglus, Batauus, Turca. Hispanus si det saluoconductum Gallo et sociis: atque ducat Gallus socios secum Anglos, Batauos, Turcas: his forte non patrociniabitur saluoconductus. Nam ut uerbo 'aliorum' similes expressis significantur: ita et sociorum uidetur¹. Contra Anglos hoc amplius, quod odiosiores Hispano sint ob multas causas. et hoc amplius contra Batauos, quod rebelles Hispano existimantur. Et itaque licet sunt hostes omnes, quaedam tamen qualitates unis adiunctae facient, ne de istis actum uideatur. At quid si de sociis non sit expressum? Datus Titio saluoconductus, etiam uxori prodesse. et rebus traditur². Stare et familiae necessariae: quae pro uiri qualitate censetur³. Usus mulieri relictus communicatur uiro: et contra⁴. Etiamque in personalissimis actibus inseparabiles personae includuntur⁵. Et ubicunque mentio de se, de sua persona, similis, non tantum propria intelligitur persona, sed et necessaria omnis alia uxoris, filiorum, similitum⁶. Sic est. 'Cum precario quis rogat, ut ipsi in fundo morari liceat, super uacuum est adiici, IPSI, SUISQUE,' etc.⁷ Quod si etiam rebus stat: quid est, quod Florianus ex facto respondit, bonis sociorum non datam securitatem, si sic dictum sit, ut tuto quis cum suis sociis abeat, et cum suis bonis⁸? An sociis eundem est nudis? Si homini datus saluoconductus, etiam rebus competet hominis; cur non rebus competat sociorum, datus et sociis? Recte, ut mihi uidetur, uerbum illud 'cum suis bonis,' sic capietur, cum suis quisque bonis. Quid si hoc de bonis expressum non esset? Bonis utique sociorumque maneret saluoconductus per supradicta. Et igitur expressa ad maiorem cautionem, operabuntur tantam imminutionem? Non sequor Florianum; et ille tamen auctor non mihi ad manus nunc est, quem expendam. De tempore quoque quaeritur, si finit saluoconductus prima profectio. Et concluditur indubitanter, finiri: nisi aut uerba significant aliter, aut mens: puta, si ad certum tempus datus sit⁹.

¹ Dec. l. 3. C. de se. fu. (6. 1). ² Bal. 5. cons. 413. ³ Ang. l. 8. de inof. test. (D. 5. 2).

⁴ l. 4. de us. et ha. (D. 7. 8); l. 6. de ser. leg. (D. 33. 3). ⁵ Bal. l. 3. de const. pri. (D. 1. 4).

⁶ Ias. l. ut uim (D. 1. 1. 3). ⁷ l. pe. de preca. (D. 43. 26). ⁸ Flor. l. 4. si se. ui. (D. 8. 5).

⁹ Alex. 4. cons. 16 ubi Mol.; Tiraq. l. boues (D. 50. 16. 89).

Si datus est ad beneplacitum, non ante finitus intelligitur, quam reuocatur, aut de officio abit, uel de uita is, qui dedit. ut nostri uolunt interpretes¹. Quae de saluoconductu satis.

CAP. XV.

De permutationibus et liberationibus.

SALUOCONDUCTUS autem et induciae cum ob res alias, tum saepe etiam dantur et accipiuntur ob permutationes et liberationes, quae captiuorum desiderantur. Et de his igitur, quod unum mihi in tractatu conuentionum superest, uideamus. Ecce, quod ex facto quaesitum est, an dimissus ita, ut pro ipso alter redderetur, liber sit, nec teneatur ad hostes reuerti, si alter moreretur, dum eius redditio procuraretur fideliter². Negabat dimissus Balioncus, se reuersurum: neque est reuersus. Ego in ea quaestione (ut audis) dolum omnem sepono et negligentiam. Nam hoc certissimum, quod qui seruum debet, si uenenum illi dedit, et sic tradidit, de dolo tenetur. Item qui fundum debet, et in tradendo imposuit seruitutem, uel aedificia diruit, aut arbores excidit³. Item qui hominem debet, non liberatur offerendo uulneratum⁴. Restitutumque non uidetur, quandiu aliquid deest. Et itaque qui reddere captiuum tenetur, si uenenum ei dedit, et reddidit: de dolo tenebitur. Et qui tenetur, arcem, oppidum reddere, si eius propugnacula diruit, aliter corruptit, aut in ceruicibus, aut prope extruxit munimenta aduersa: de dolo tenebitur: et non reddidisse intelligitur⁵. Item si quis perfunctorie, et negligenter sit uersatus in altero liberando: etiam is de sua hac culpa tenebitur. Casum quoque Balionci censeo extra controuersiam, si sic res se habuit, ut narratur. nempe a Balioneo illum alterum ductum usque eo ad hostes, quo caduceatore poterat Balioneus proficisci⁶. illic autem caduceatorem dum

¹ Not. ad l. 46. de U. O. (D. 45. 1); c. 5. de rescr. 6.² Guicci. lib. 12.³ l. 7. de dol. (D. 4. 3).⁴ l. 33. de solut. (D. 46. 3); l. 2. de stip. pract. (D. 46. 5).⁵ Bar. l. 3. de act. em. (D. 19. 1); Rom. cons. 52; c. ult. de rest. spo.; Bal. l. 9. C. de pact in em. et ue. (4. 54).⁶ Iou. 12.

expectat a duce qui se dimiserat, et cui reddi alter debebatur; maior dux irritam uult permutationem: ille autem reddendus captiuus moritur. Nam quid hic dici contra Balioncum potest? 'Receptum est, quotiens per eum cuius interest condicionem impleri, fiat quominus implcatur, perinde haberi ac si impleta fuisset, quod ad libertatem, et alia perducitur¹.' Sic resque pro tradita ducitur; et liberatio sequitur ab omni periculo²; et id genus alia. Et in omni prope dispositione, quod latissime tracto in secundo libro De condicionibus. Ubi et id declaro, quod pono hic, quemadmodum non stetisse uideatur per eum qui obtulit implere: praesertim libertatis fauore: et in id, ut liberatio a periculo contingat et mora. Etiam qui moratus est si postea non fuisset in mora, eius exstinguitur mora prior³. At ubi mora non est, et perit homo debitus, nihil exigitur a debitore. Etiam qui debet hominem, si eum ipse occidit deprehensum in facinore, liberatus quoque est. Sed haec sexcenta sunt. De potestate autem ducis inferioris curare hic nihil Balioncus habuit: qui uel a caligato hostium, etiam clam dimissus redire non habuit. 'Nihil interest, quomodo captiuus reuersus est: utrum dimissus, an uel fallacia potestatem hostium euaserit⁴.' Et de potestate tamen ducis etiam sic cape in proposito: quod etsi distinctiones sunt in iure, quae cui quaerantur capta hostium: ea tamen est quaestio diuersa: et hic de administratione exquiritur⁵. Scribit autem Paulus Castrensis, iudicem qui administrationem habet bonorum reipublicae, posse de eis polliceri, dare merentibus, puta capientibus reum aliquem⁶. Respondent alii, rectores ciuitatum, et praelatos ecclesiarum donare mobilia moderate⁷. Et in modicis etiam procurator praeiudicat domino⁸. Atque Alciatus tradidit de his expresse ducibus, quod et donant militibus, et benemeritis de praeda et captis⁹. Et itaque nec exigi scrupulosam ab illis rationem, qui donareque possunt. Etiam territoria ob publicam utilitatem benemeritis potuisse Magnum Capitanum in regno Neapolitano donare, et Iason docuit, et Alciatus secutus est¹⁰. Quicquid liberalitatem illam odisset ualde auarus et suspicax rex

¹ l. 161. de reg. iu. (D. 50. 17).² l. 15. de iu. do. (D. 23. 3); l. 39. de solut. (D. 46. 3).³ l. 91. 96. de U. O. (D. 45. 1).⁴ l. 26. de capt. (D. 49. 15).⁵ Don. 4. com. 21; Alc. 7. cons. 5.⁶ Castr. l. 1. de iust. (D. 1. 1).⁷ Ceph. cons. 39.

Alc. l. 7. C. de trans. (2. 4).

⁹ Alc. 7. cons. 5.¹⁰ Alc. 8. cons. 3.

Ferdinandus: forte nec Romani adprobassent olim. Et uidetur ergo posse dux permutare, aliter tractare capta. Etenim sunt haec bellica, capere, recuperare, et bello, et partibus per omnem modum consulere. At pergo quaerere, si alter remittendus moritur interim dum alter dimissus est. In emptione periculum rei uenditae statim atque de pretio conuenerit, ad emptorem pertinet; tametsi adhuc ea res tradita illi non sit¹. Et ergo in redemptione captiui sic dicendum fuerit. In permutatione quoque, si quid tibi dedi, ut aliud mihi dares, periculo meo id erit quod a te dari oportet. ut ait lex². Ceterum quia et lex ait, quod si tibi dedi pecuniam, ut mihi Stichum dares, et mortuus est Stichus, repetere me posse, quod ideo tibi dedi, ut mihi Stichum dares³. uidendum est, an pugnent leges, quod existimat Hotomanus⁴. At imo leges non pugnant. Loquitur prior in actione ex permutatione, altera in conditione causa data. ut plures explicarunt⁵. Est permutationis nomen generale: quo utimur in omnibus speciebus eius. Ceterum non idem ius redditur, quum generaliter agitur ex permutatione, et quum intentatur actio specialis alia ex eodem contractu. Per illam generalem, et pactum petitur et interesse si non praestatur pactum: per conditionem causa data, repetitur solum quod erat praestitum. Et hoc reddi, utique iustum. Balioneus tamen non fuit reddendus: quia nec per eum stetit, quominus alterum redderet: at reddidisse uidetur. Et ergo sic limitanda est hic conclusio, ut si non praestetur ab altera quod debetur parte, tum non sit praestiti ab altera repetitio, quum per illam est factum, ut debitum praestaretur: quemadmodum et per Balioneum factum est. Est in negotio Balionei ille articulus, 'Facio' 'ut facias,' quod diserte tradit Decianus suo quodam responso reddito inter Andelotrum et Sanseuerinum⁶. Itaque nec locus in eo conditioni obcausam. quae nec obtinet, nisi in articulo, 'Do ut des,' ut Alciatus censet⁷. Decianus autem ibi notat hoc quoque, in his captiuorum conuentionibus bonam tantum spectari fidem, non iuris apices: non quaeri, si sint contrac-

¹ l. 8. de pe. et com. re. ue. (D. 18. 6).

² l. 5. de praec. uer. (D. 19. 5).

³ l. ult. de con. ca. da. (D. 12. 4).

⁴ Hot. de re. perm. (D. 19. 4).

⁵ Bar. d. l. ult.; Ias. l. 22. de U. O. (D. 45. 1); Alc. 8. cons. 68; Ceph. 10; Cuia. Afr. tr. 8. l. quae fundum; C. de re pe. (4. 64); tit. 8. lib. 2. Feu.

⁶ Decia. 3. cons. 102.

⁷ Alc. 8. cons. 32. 68.

tus nominati, uel innominati: poenam exigi pactam absque stipulatione: et id genus alia. de quibus et generaliter dixi antea. Et dico adhuc, quod sic in iure canonico et in canonico foro contractus omnes sunt bonae fidei: ubi aequitas quaedam crassior et naturalis obtinet¹. Quemadmodum cum militibus ius gentium, aequitas naturalis, omisso rigore iuris civilis seruatur. ut communis est sententia interpretum². Scilicet arma scire militem decet, non iura³. Et, iura ignorare, militibus licet. Mos militaris sic est. habent pro ridiculo et fabula ambages iudiciarias⁴.

Nunc uideamus de pretio liberationis. Et non oportet, hoc esse immoderatum. Uituperatus Palatinus est: qui a Wirtembergico, aliisque sic exegit, quantum potuit⁵. Alexander regie, 'Me non mercatorem memini esse, sed regem. captiuos, si placet reddi, dono dabimus, honestius quam pretio remittemus⁶.' Pyrrhi uox eadem celebris. atque eadem Aeneae afficta a summo poeta⁷. Neque haec tamen in disputationibus istis exigimus. Alciatus hoc nobis dicit, famosissimos eos esse, qui non contenti moderato pretio, captiuum castigationibus illiberalibus male habent, ut, quantam maximam pecuniam constare is possit, exigant: plerunque et aliis hominem certo pretio uendant, mox carius distracturis. Imo enim oportere, tractare captiuum, qui manet liber, pro sua condicione indulgenter. Atque ad magistros militum pertinere, eorum coercere duritiam, qui contra ius gentium affligunt hominem captum. Et de hominibus negotia exercere, non militis, sed mangonis esse. Haec Alciatus grauiter et erudite. Uidelicet inciuilis omnis custodia punitur iure⁸. Alii nec erudite, nec grauiter, quod sic fieri soleat, ut ius istud uendatur⁹; et quod haec captiuitas in locum seruitutis successerit. Etsi enim (quod audio) uendant multi captiuos suos: non ex hoc tamen multorum facto ius aliquod excipiendum est ueluti consuetudinis. Neque iura isthaec seruitutis in non seruis, id est in his qui de personis non sunt res facti, ualere ualent. Hi, qui serui non sunt, sane quam elegantem definitionem admittunt. ecce, si quis est captus,

¹ Ias. § *quadrupli* § *actionum* de act. (Inst. 4. 6).

² Alc. 5. cons. 38. 46.

³ Castr. l. 1. de iu. et fa. ig. (D. 22. 6).

⁴ Alc. de Sin. Cer. c. 43, l. 6. C. de pact. et 5. cons. 4.

⁵ Comm. Pii 2. lib. 11.

⁶ Cur. lib. 4. c. 11.

⁷ Scal. 3. Poet. 12.

⁸ l. ult. de in. re. (D. 4. 1).

⁹ Couar. Reg. Peccatum, p. 2. § 11.

et dimissus sub fide, iterum uero capiatur ab alio, et iterum ab alio, atque alio, debet singulis pretium, neque enim dicitur, quod qui seruus unius est, is alterius esse non possit: ne dominium sit apud duos, etc.¹ Si semel conuentum de pretio sit, tum augeri illud non ualet sub praetextu, quod de maioribus facultatibus captiui auditum est². Et hoc ex facto definitum est. Et ego probo: si nulla intercessit captiui fraus.

Quod si uero ius seruitutis est, tum quidem mala tractatio prohibetur, at erit uenditio permissa. Sed neque permissum uidetur, ubi ius seruitutis non est, in captiuitate perpetua captum hostem habere, numquam liberare. Namque id maleficis hominibus magis conuenit, ut hoc uerissime dicebat Franciscus rex Galliarum³. Et alias conquesti grauius sunt Germani principem quendam mortuum, antequam ille liberatus fuisset. Et infamis perhibetur Seleucus, qui Demetrium in carcere usque ad mortem habuit pariter⁴. Quemadmodum tamen de summa pretii redemptionis definiti nihil certum potest: si quaedam, quae hic narrantur, non seruantur consuetudines: ita nec de tempore potest definiri, intra quod liberari captiuus debeat. Inter Graccos auri libra se redimebant⁵. Nunc audio fieri, ut pretium tantum sit, quantum ualent annui redditus bonorum captiui: aut quantum est stipendium annuum solum; si bona alia, et redditus alii ei non sint. Alciatus consultus respondit, non ultra trientem bonorum extorqueri posse⁶. Ceterum haec incerta sunt. Generale est illud habendum ante oculos, ne intolerabile sit pretium. Nec enim emi posse uidetur, quod iniquo emi pretio potest⁷. Ut nihil est, quod non possit emi, si tantum des quantum uenditor uelit⁸. Ad tempus quod attinet, ius et aequum mihi sonant Pyrrhi uerba, qui se gratisque redditorum captiuos pollicebatur, si pax fieret: aliter nullo modo, et iniquam esse petitionem, ut ante redderet, quibus contra se uterentur⁹. Hic nequeo tamen non improbare factum Anglorum erga Ducem Aurelianum, quem per annos sex et uiginti habent captiuum, non potentem soluere sibi iniunctum pretium redemptionis: et quem nec dimiserunt aut post tot annos, quin accepissent quod

¹ Bal. l. 7. C. de adopt. (S. 48).² Gui. Pa. q. 113; Papo. lib. 5. tit. 6. ar. 1.³ Guicc. lib. 17; Na. Co. 5.⁴ Plut. Demetr.⁵ Bod. 1. de Rep. 5.⁶ Ale. 5. cons. 4.⁷ l. 31. de fid. lib. (D. 40. 5).⁸ Cic. 1. Agr. 5.⁹ Diony. ecl. de Lega. 4.

a principio petierunt¹. Sane enim fuerat Dux dignus cui uel de iusto pretio post tam longam captiuitatem aliquid dimitteretur².

Qui dimissus est, is moritur aliquando antequam pretium liberationis conuentum soluat. Dicit autem Accursius, non teneri eius iam heredes, aut fideiussores³. Quae mihi mirabilis uidetur definitio, et non uera. Scribit quidem Ulpianus, 'patrem redemptum, et ante luitionem defunctum, quasi ' iure pignoris finito nanctum postliminium, et sine obligatione debiti obiisse, ' ut potuerit suum habere.' Sed hoc non pertinet latius, quam ' ut potuerit ' suum habere.' Scilicet iste redemptus quasi seruus redimentis est, et ueluti pignus ante luitionem⁴. Et ergo uideri ante mortuum nequisse suum habere. Ceterum ' subtilius, nec sine ratione ' (inquit iurisconsultus) dicitur, ius finitum pignoris, et sine obligatione debiti hunc obiisse, ' ut potuerit ' suum habere.' Atque ratio subtilior est, quod re percunte pignorata, perit pignus et pignoris illa obligatio. Perit autem hic res pignoris, ipse redemptus, perit illo momento moriendi, et illo momento soluitur moriens illo uinculo, atque ita suum heredem habet. Et satis ad hoc est momentum istud⁵. Momentum istud satis, quod finis obligationis, principium obligationis est, ut sunt omnia temporum extrema. Haec uero ad principalem obligationem non pertingunt. Sed omnia iura clamant, soluendum debitum ab heredibus, a fideiussoribus, eius qui non soluit ipse. Et quidem si heres nullatenus teneretur, cur ibidem Ulpianus iniecisset aut mentionem quantitatis a filio offerendae? ' Si filius redemptionis quantitatem ' offerat, dicendum est, suum posse existere.' Haec illic quaestio de suo est. Non extra quaestionem ducenda Ulpiani uerba sunt. Hosti igitur soluendum est: quicquid est de suo herede, et quaestionibus aliis ciuilibus. Hostis libertatem dedit, pro qua pretium debetur. Sufficit, datam fuisse libertatem. Sed de pretio alia est quaestio. si qui cum captiuo pactus pretium redemptionis est, is possit, non accipere in solutionem, quod habebat captiuus clam, puta aureum aliquem torquem, aut etiam nummos: quasi haec capienti quaesita olim sint cum ipso capto. Scanderbegus respondit, dari imo haec in solutionem posse; et ita postulare fauorem

¹ Polyd. lib. 23; Guicc. 3. ² l. 25. de poen. (D. 48. 19). ³ Gl. l. 15. de capt. (D. 49. 15).

⁴ l. 12. de capt.; l. 43. de leg. 1 (D. 30); l. ult. C. de postl. (S. 51).

⁵ Bal. l. ult. de co. inst. (D. 28. 7).

libertatis¹. Cuius quidem causa etiam contra rationem iuris multa sunt in iure constituta. Ego idem censeo etiam ex ratione iuris. quoniam non haec capta intelligantur. Sicut non dicitur captus, qui in utero est, matre capta: adeoque nascitur liber². Age, de captiuis exponamus, et de captis.

CAP. XVI.

De captiuis et non necandis.

CAPTIUUS non est, nisi qui captus est. Et ego semper defendi definitionem supradictam iuris nostri contra Hotomanum, quod bene nasci liber possit, qui nascitur ex captiua: et liber esse, si natus non capitur. Et quamuis capiatur, nascitur tamen liber, nec seruus fit, nisi captus. Quod ad postliminium, et ad alia natorum ingenuorum iura plurimum facit in ciuitate. Quae ille turpiter non considerauit. Uerum nunc de hostibus tractamus. Ponamus igitur, occultari natum, nec capi ab hoste, domino matris. Dicamus, pacis initas condiciones tempore illo quo is nascitur: ut qui capti non fuissent, ii nec caperentur. Fingamus, matrem profectam ad suos non animo ut cum his maneret, sed ut ad dominos reuertatur, et apud suos peperisse. Addamus, hanc seruam peperisse apud gentem ubi mancant sua utriusque hosti. Et respondemus, per omnes hos casus nasci hominem liberum, qui conceptus ex libera fuit, etsi nascitur ex non libera. Et illa est ratio, quoniam non est captus. Nec quidquam est, nasci in solo hostili³. Et itaque sic est, quod alibi legitur, 'Nec mirum sit, ex serua 'ingenuum nasci: cum et ex captiua rescriptum est, ingenuum nasci⁴.' Sic mihi dicitur multo minus ille captus, qui in domo capta delitescerat. de quo et quaesitum exstat. Nam et responsum exstat, possessorem domus esse quidem possessorem omnium quae sint in domo, sed non tamen eorum quae latebant⁵. Et in confesso est, quae iure gentium adquiruntur, ea non acquiri aliter quam si uera interuenerit apprehensio.

¹ Scander. 7.

² Inst. de ingenu. (1. 4).

³ l. 5. 12. de capt. (D. 49. 15).

⁴ l. 1. de su. et legit. (D. 38. 16).

⁵ Alc. 5. cons. 41.

alioqui thesaurum possideret qui fundum possidet. et non possidet thesaurum tamen, etsi quoque de hoc sciat¹. Idem de piscibus, qui sunt in lacu nostro, et de similibus. Atque docent nostri interpretes, regulam illam non obtinere iure gentium, quae ait, quod si quis habet id quod continet, is habeat etiam quod continetur. Uera, realia, non ficta, non uerbalia, amat ius gentium, et naturae, et simplex. Neque hic tamen requirimus, ut capiens attraheret singula: ut omnes res capti tangantur, usque indusium. sed ut uoluntas et potestas capientis sit capere et habere². 'Qui aurem alicuius tetigit, totum cum uideri tetigisse, inquit Trebatius.' Etiam quae possessa sunt semel, si postea non inueniantur, nihil refert: et nostra manent. At uero ad clam habita neque est uoluntas: ad foetum in utero potestas non est. Foetus alia res est a matre³. Et itaque uendita ancilla praegnanter non creditur uenditus partus, et petita ancilla, foetus petitus non censetur, cum id genus aliis: quae notantur ab aliis nostris alibi⁴; qui et hoc tradunt, re uera duas esse personas, et iuris diuersi, matrem et foetum: cum duae sint, nihil commune habentes, animae, formae (ut ego ante scripseram) duae: adeoque duorum. Fictione quadam, et ad quendam tantum effectum una dicitur caro matris, et foetus: imo etiam nati, usque dum lacte alitur⁵. Sunt autem plura similia: quae uolens mitto. Et quibus illa non sunt contraria; nequam esse dubium, quin seruus hostium sit, qui natus apud hostes est: partum esse portionem uiscerum matris: Seruium regem dictum seruum natum: seruitio subiectum dici uterum captae uxoris Arminii⁶. Nam et responsio ex iam dictis est. Et de nato, factoque sub manum hostium intelligimus primum, ac tertium. Et conceptum quoque Seruium in seruitute matris defendimus⁷. Quartum intelligimus, fuisse illum Arminio conceptum in ea conditione, qui prope diem efficeretur seruus: sed nondum esset seruus tamen. Captus sit, oportet, qui captius dici habet. Imo neque captius ante est, (ut nec aliud ante quaesitum hosti) quam intra

¹ l. 3. de adq. po. (D. 41. 2) ubi Ias. ² Alc. d. 41. d. l. 3; et l. 21. de fur. (D. 47. 2).

³ l. 7. de exc. re. iu. (D. 44. 2); l. 42. de euict. (D. 21. 2); l. 4. de usur. (D. 22. 1).

⁴ Forn. l. 26. de U. S. (D. 50. 16).

⁵ Bar. l. 9. ad leg. Falc. (D. 35. 2); Castr. l. 15. loc.

⁶ l. 6. de statul. (D. 40. 7); l. 1. de ne. in. (D. 37. 9); Ual. lib. 3. c. 4; Tac. 1. Ann. 59.

⁷ Pli. lib. 36. c. ult.

praesidia hostium ductus est¹. Itaque cuius manet, antequam eo perducitur, ut captivus esse non possit. Et itaque quod ab aliis diversum Alciatus docet, occidi captum non posse, etiam nondum perductum intra praesidia: nam dedititium hominem occidere, semper crudelissimum sit; et contra eam humanitatem, quam homini homo naturaliter debet, etiam et contra bonorum iussa: id ego Alciati accipio, ut eius est verbum, de dedititiis, qui cesserunt vi, et dediderunt se; non de captis, qui etiamnum trahuntur tamen vi, et tenentur inuiti². 'Si caluitur, pedemue struit,' ut erat in duodecim, occidi possit³. Quid quoque si superueniant qui cripiant? Eadem videtur esse ratio occidendi hostem. Et nihil interesse videtur, an ipse resistat et restitet captus, an pars capti. Quid si capitur quis vi ab aliis, et aliis interim dedat ipse se⁴? Capientium manet, nec eius verba curantur, quia captivus dicitur a captura, ut mancipium. Sed si capientes tradiderint illis aliis, sponte, metuue, illorum erit, nec enim dicatur captus, qui non durat captus. Cum interuenit tamen metus, actio est tradentium, etiam et manet eis captivus, si bellum sit in quo dominium captiuorum quaeratur. Quae Baldus. Sed ego haec ultima dicere uolui. Priora dixi: quae iuncta nostro tractatui. Ut occidi ille etiam posse uideatur, qui durare captus nolit capientium, et restitet. Saepe tamen nulla sua occiditur culpa, at per ambitionem, et auaritiam capientium: qui suum quisque uelit, quod omnino crudele et iniustum. Eius et iniustum, qui cum posset apprehendere, maluit occidere⁵. Capti igitur non occiduntur. Et sic igitur propheta regi Israelis, 'An quos captiuos abduceres gladio tuo, et arcu tuo eos percuteres⁶?' Magno miraculo Elisaeus fecit Syros hostes captiuos: quos rex Israelis interficere uolebat, atque id prohibet propheta hoc argumento, quod neque captos bello liceat interficere: et itaque minus hos. Meminit eius facti Iosephus, Ambrosius, alii⁷. Iosephus tamen nescio quid contrarii dicere uideatur de bello captis. Quod si esset, argumentaretur inualide Elisaeus. Supradicta igitur est legis diuinae, et naturalis, hic gentium sententia. Ea et Romanorum fuit certissima,

¹ l. 5. de capt. (D. 49. 15) Alex.; l. 1. de adq. po. (D. 41. 2). ² Alc. l. 239. de U. S. (D. 50. 16).

³ l. 233. de U. S.

⁴ Bal. l. 7. C. de adopt. (S. 48).

⁵ l. 5. ad leg. Aq. (D. 9. 2).

⁶ 4. Reg. 6.

⁷ Iose. 9. Ant. 4; Ambr. 1. de Off. 29; Zon. lib. 2. c. 16.

de quibus et sic notatum est¹. Et ita illa Augustini, et canonici iuris, 'Hostem pugnantem necessitas perimat. sicut resistenti uolentia redditur, ita uicto, uel capto misericordia debetur.'² Haec Lycurgi et Graecorum lex: ut firmata uictoria hostis non interficiatur³. Haec laudata uiris laudatis⁴. Memorabilia autem, et recitanda illa sunt Gregorae, 'In pugna et acie quicquid feceris, excusationem habet. quum ratio oppressa iacet, et manus uelut ebriae mente non reguntur. uerum periculis iam populis, et animorum aestu sedato, ac tranquillitati mente restituta, saeuire et ab officio decedere, improbi animi est argumentum.' Et antea, 'Institutum hoc a maioribus, constanter ad posteros propagatum, seruatumque fuit, non modo a Romanis, et Thessalis, sed Illyriis etiam, et Triballis, et Bulgaris propter eandem religionem spolia tantum auferenda: homines uero nec ad seruitutem rapiendos, nec extra aciem occidendos esse'^{5,7} Quibus de uerbis et hanc propter seruitutem notes distinctionem religionis; de qua et nos dicemus; et de qua hic Baldus argumentatur, quod si qui sunt qui in seruitutem non rediguntur, et non perdunt libertatem, ii nec debeant perdere uitam⁶. Ait Pyrrhus, qui cupidus mactare Polyxenam, 'Lex nulla capto parcat, aut poenam impedit'⁷. Sed probe Agamemnon, 'Quod non uetat lex, hoc uetat fieri pudor.' Et alter Seneca, 'Angusta innocentia, ad legem bonus esse: et latius officiorum patet quam iuris regula. Multa exigit pietas, humanitas, liberalitas, iustitia, fides. quae omnia extra publicas tabulas sunt.' Et alibi, 'Multa legem non habent, nec actionem: atqui consuetudo uitae humanae, lege omni ualentior, dat aditum. Nulla lex iubet, fidem inimico praestare,' etc.⁸ Atque falsissimum est manifesto, quod idem replicat Pyrrhus, 'Quodcumque libuit facere uictori, licet.' Et etiam si esset uerissimum, adhuc nos cum Agamemnone referremus, 'Minimum decet libere cui multum licet.'⁹ Et cum Bernardo, 'Constat in Christiana utique philosophia, non decere nisi quod licet: non expedire nisi quod decet et licet. non continuo tamen, omne quod

¹ Alex. 4. Gen. 7.² c. 3. 23. q. 1.³ Eur. Heracl. u. 965; Plut. Apoph. (228).⁴ Sen. 5. de Benef. 16.⁵ Nic. Gr. lib. 6. c. 8, 4. c. 7.⁶ Bal. C. de la. li. (6. 7).⁷ Sen. Troa. u. 333.⁸ Sen. 2. de Ir. 27 et 5. de Benef. 21.⁹ l. 144. de reg. iu. (D. 50. 17).

' licet, decere, aut expedire, consequens¹. ' Et de hoc quaeram post latius. Hic mihi Scoti laudandi sunt: qui, maximum licet periculum immineret, captiuos aliquando non necarunt². Gallus mihi dux laudandus: qui, ut multitudine captiuorum castra exoneraret, generose dimisit omnes³. Laudare Anglos non possum: qui in nobili illa pugna, qua Gallicum imperium pessum dederunt, cum plures captos haberent, quam ipsi uictores essent, et ueriti nocturna pericula, selectis nobilioribus ceteros trucidarunt⁴. ' Hostile factum, et inhumanum,' inquit historia: ' nec tam cruentum ' praelium, quam uictoria fuit.' Sic et alius barbaram Turcae feritatem appellat, qui captiuos quatuor millium, ne oneri essent, interfecit⁵. Aut num causas has probamus singulares, propter quas a regulari iure discedatur? Annibal, a Fabio circumuentus, ne quid, imminente periculo, tumultus esset a captiuis, hos omnes caecidit: qui erant quinque millia⁶. Brutus captiuos necat, processurus in praelium: et quia neque fidere potuit eis, eos neque custodire: et quia (haec causa liquido iusta) hostes interfece- rant captiuos ex suis Bruti⁷.

Henricus, rex Galliae secundus, Bouinis (oppidi nomen) ui captis, captiuos nonnullos etiam suspendi iussit, nimium obstinatos⁸. Supplicii genus indecorum militibus: qui nisi grauissimis de causis ita puniendi non sunt. cum turpe crudeleque sit in eos qui sui principis iura tuentur, tam acerbe sauire. Et satis frigida fuerit excusatio, si factum iure belli defendatur quia obstinate et contra militarem disciplinam conarentur locum debilem seruare aduersus regias copias, quem nullo pacto possent tueri. Quae historicus omnia. Atque mihi in eo quod pertinet ad mortis dedecus, placet ualde. Et ita dixi, factum contra ius belli ab Iliberno, qui plurimos Hispanos milites, illic eictos et captos, quasi latrones aut praedones suspendit. Contra hominem istiusmodi, et bello durante, et in pactis pacis, et pace facta, potest constitui seuerior animaduersio, per quam fiat hosti satis: contra quem non bellatum iure est. Ceterum si obstinatiores puniri acerbius possint capti, id non fuerit tam facile definiendum. Quicquid etiam dediti arbitrio uictoris, quod per-

¹ Ber. 3, de Consid. 4.² Buchan. 9.³ Iou. ult.⁴ Comm. Pii 2. lib. 6; Polyd. 17.⁵ Iou. 30.⁶ App. Annib. 14.⁷ Dio lib. 47. c. 48.⁸ Nat. Com. 8.

tinaciter retinere eiusmodi immunita uoluerint, affecti turpi morte, et caesi pueri, senes, mulieres, etiam in templis¹. Nam et Neapolitanus respondit Belisario, suadenti deditionem urbis, 'Pertinax studium in aliquem nemo 'iudicet dignum supplicio².' Et non tutum, et imo non absque certissimo capitis periculo deserere assignatum locum, statione aut praesidio decedere³. Et non is modo respectus principis sui obstinatum facit militem, sed et respectus hostium. 'Omnes enim, quorum in alterius manu 'uita posita est, saepius cogitare, quid possit is cuius in ditione ac potestate sunt, quam quid debeat facere⁴.' Num exempla dico hic plurima? Sed malim de priori respectu, quae iuris esse creduntur: adeoque timentur iustius. Qui uicti se dedunt, postliminio carent⁵. Uidelicet, 'Cuncta 'adeo scelera, et noxam superauerit omnem, armatum potuisse capi⁶.' Hic alteri sapientissimo poetae multis ac magnis onustus probris: et dictus pacem duello miscuisse⁷. Sic Homerus in laudem suae gentis barbaros dedentes se facit, Graecos se dedentes facit numquam. id, quod Plutarchus sic obseruauit⁸. Et Niciae itaque nomen monumentis quibusdam non inscriptum: quia se dediderit hosti⁹. Et sic Plato censuit, non modo non redimendos, sed neque gratis recipiendos captiuos¹⁰. Censuerunt Romani aliquando non redimendos, etiam quum opus haberent milite uel maxime¹¹. Et si quando redemerunt, notarunt quoque ignominia. Depicti alibi qui se dediderunt absque nota uirorum per ignominiam¹². Indigna deditio creditur semper¹³. Et sic sunt opiniones. quicquid distinguit philosophia. Et de ea ignominia atque deditioe non curatur hodie: ut Baldus ait noster¹⁴. Capti prodesse filii parentibus non habent. quod occisi faciunt¹⁵. Scilicet marte caesos dii honorant et homines, ut Heraclitus aiebat¹⁶. Et uictores isti censentur. ut sic Demosthenes¹⁷. Et sic antea de Fabiis, aliis, de quibus Isocratesque, 'Dictu nefas, eos qui cum 'Leonida ad Thermopylas occubuere uictos esse, qui uictores animis, 'defatigati corporibus, abiere¹⁸.' Sic metus utrinque malorum, cupiditas

¹ Iou. 2. 3. ² Procop. 1. Goth. 8. ³ Polyb. lib. 6. c. 35; Liu. lib. 24. c. 37.

⁴ Cic. pro Quinct. 2. ⁵ I. 15. de capt. (D. 49. 15). ⁶ Sil. lib. 10. u. 654.

⁷ Hor. 3. Od. 5. u. 38.

⁸ Plut. de Aud. Po.

⁹ Paus. lib. 1. c. 29.

¹⁰ Plat. 5. de Rep. (p. 468).

¹¹ Plut. Fab.

¹² Diod. 2.

¹³ Pice. 6. Ciu. Ph. ult.

¹⁴ Bal. l. 7. C. de adopt. (8. 48).

¹⁵ Inst. de exc. tut. (l. 25) ubi Cuiac.

¹⁶ Cl. Alex. Str. 2.

¹⁷ Demo. Funerbr.

¹⁸ Isocr. Panegyry.

undique bonorum si milites obstinat, nos etiam debemus obstinatos milites excusare: attamen liberare non debemus culpa omni. Et hic enim aptum est, quod alibi dicunt conditores legum, natura aequum esse, non esse impunitum cum qui hac spe audacior factus est¹. Ad impossibilia autem nemo tenetur. Et de praeposito arcis sic respondit Cornus, non eum supra qualitatem arcis ad eam tuendam teneri². Et Cephalus, excusari milites, si fecerint quod potuerunt pro defensione loci, etsi locum dedant³. Item Isocrates, 'Humilibus oppidis quavis condicione salutem quaerendam.' Atque adeo rectissime P. Iouius iudicat, seuerius et turbidius factum a Toriello fuisse, qui capite truncavit praefectum castelli ignobilis, quod dederat praefectus Turcis, expugnatoribus iam urbium munitissimarum⁴. Contra experientissimus Albanus dux accusabat Lusitanos gubernatores crudelitatis: qui aduersus morem omnium regnorum non iusserint, ut loca immunita dederent se exercitui campos tenenti. nam si recte fieret, ut obfirmarentur omnia: iam sub minutulum quemuis locum esset cum tormentis eundum; quod absurdum: et perpetuo faciendum, numquam finiendum bellum: quod contra belli rationem est⁵. Hic Alexander, P. Aemilius, alii, dicendi, qui obstinatis defensoribus negant ueniam locum, at eos direptionibus, caedibus, affligunt⁶. Alexander etiam in eos asper, qui castellum ignobile et exiguum tutari uoluerunt: etsi fuisset tamen difficile captu, et unde depulsi multis cum uulneribus uictores Macedones fuerant. Et uero isthaec incendunt iram uictoris uerius. Quid enim ut impossibile tentarint illi? Iste quid rem leuem emere tanti cogatur? 'Aemilius ad Aeniorum urbem hostiliter diripiendam misit, quod pertinacius quam finitimae ciuitates in armis fuerant.' Recte. Hoc niniis, facere supra alios, si nec causa singularis sit. 'Ubique pulcherrimum, Ne quid nimis⁷.' Et Turca quidam legatus monuit sic generaliter, et uere, non ad usque defendendam patriam et libertatem, ut uel aduersis diis pro ea pugnemus: cedendum esse fortunae, potentioribus obtemperandum⁸. 'Potentiori restitisse peccatum,' probe hic⁹. Et ita hic

¹ l. 1. si is qui te. li. (D. 47. 4); l. 15. de quaest. (D. 48. 18). ² Corn. 4. cons. 148.

³ Ceph. cons. 110. ⁴ Iou. 43. ⁵ Connest. 5. ⁶ Q. Cur. 6; Liu. lib. 45. c. 27; Iou. 35. 37.

⁷ Leo Nou. 1. 1.

⁸ Scander. 6.

⁹ Comm. Pii 2. lib. 11.

Iosephus pro Deo, pro fortuna Romanorum, cui accommodare se sui Iudaei habent. Et ita idem ille historicus, qui contra Henricum regem scribebat, ipse scripsit in istam partem prius, et alius non nemo, excusari acerbiter posse iure belli, ne aut ab imperitis rei bellicae, et ab agrestibus obstinatissimis fiat, ut ad omnia (quod dixi) uel nullius momenti loca attraherentur tormenta. sic belli legem iubere, in imprudentes et obstinatos animaduertere¹. Sic postulare belli rationem. Sic mos et lex est, fuitque. et sic arictem dixerunt exterminatorium; quia is admotus, signum esset urbis exterminandae. Et sic sane si aut contra legem istam, et contra istam rationem, ueretur malum miles sibi a suo principe, et itaque obstinatus est: atque iuri et irae hostis nihil propterea imminui necesse est, quia iniustitia aliena non debeat nobis esse incommodo. et debeat suis nocere magis, quam praescribere hostibus. Quid si Romani quacunquē ex causa decedentes praesidio afficiebant morte suos? Ego id malim credere Suidae, quam legem cogere cum Polybii uerbis ad eos qui metu decessissent. Et Lipsius tamen contrarium mauult; quia, si impetus hostilis pepulit et uis uiolenta, omnis ratio sit ignosci². Attamen Romana illa militia habuit singularia multa, asperaque. Et imo non omnis hic ratio est ignosci: ut ex supradictis multis apparet. Sed id non tracto. Quid si decedentes metu, aut quacunquē causa, Romani morte afficiebant, alii nunc afficiant morte suos deserentes quacunquē causa commendatum locum? Durum istorum ius non mouet hostibus. Concludo, quod extra casus quosdam parcendum captis sit. 'Serui ex eo appellati, quod 'seruari, nec occidi solent: cum iure belli occidi superati possent et oporteret³.' Quamquam hoc postremum habet uerbum grammaticus. Posse autem occidi, dixerit iurisconsultus nondum captos ac factos seruos. Uel non seruandos, non capiendos. Alioqui 'Uendere cum possis captiuum, 'occidere noli⁴.' Seruare cum possis, occidere noli: cum possis seruum habere.

¹ Nat. Co. 1. 2; Mont. 1. des Essais c. 15; Lips. 3. Polior. 1.

² Lips. 5. de Mi. R. 18.

³ L. 239. de U. S. (D. 50. 16) ubi Forn. et Scip. Fr. in Orig.; Dona. Ter. Ad. 1. u. 28.

⁴ Hor. 1. Ep. 16. u. 69.

CAP. XVII.

De his qui se hosti dedunt.

ATQUE ut is qui hostem non interficit in praelio, sed capit, sic uidetur uelle, illum uiuum habere: unde est capto ius aliquod, quasi ex tacita pollicitatione, ne possit postea interfici: ita qui nec capitur, sed se dedit, ipse pacisci cum hoste de uita uidetur; aut certe, qui accipit se dedentem, ipse tacitae deditiū spei tacitus quasi porrigere manū uidetur¹. Iura hæc humanitatis, et militiæ leges dicuntur, dedentibus se parcere². Etiam in ludisque lege correctum, ne uictus dedensque se necaretur³. Sed hic tria uidenda sunt. Primum, qui non ui capti, sed dediti uideantur. Secundum, dedentes se quos oportet accipere. Tertium, quod ius sit dedititorum.

Et de primo fuit olim disceptatio magna Romæ, si Ambracia ui capta uideretur; quæ urbs aggere ac uineis oppugnata fuit; ubi incensis operibus alia de integro fuerunt facta; ubi muros super, subterque terram per dies quindecim pugnatum; ubi a prima luce, cum iam transcendisset muros miles, usque ad noctem diu anceps praelium tenuerit; ubi plus tria millia hominum sint caesa; ut hæc omnia M. Fuluius pro se disserebat, qui Ambraciam a se ui captam defendebat⁴. Sed rectius censuit senatus, imo non uideri ui captam urbem, quæ per conuentas condiciones Fuluius portas aperuisset. Ait iste sane, senatusconsultum furtim curatum ab inimico consule: et factum per infrequentiam. Ceterum senatus plenus statuit, ut Ambraciensibus suæ omnes redderentur res, et cetera curarentur, quæ deditis fiunt, non captis urbibus. Sutrium per condicione traditum dicit Liuius: cum auxilii iam iam aduenientis moram pati fortuna obsessorum non potuisset, confectaque paucitas oppidanorum opere, uigiliis, uulneribusque fuisset⁵. Etiam Pometiam deditam, non captam idem auctor censet; cuius, cum in muros iam euaderet miles, deditio facta fuit⁶. Etiam Satricum dicit deditum, cum corona cinctum iam scalis

¹ Panor. c. 46. de se. exc.² Iou. lib. 40.³ Plut. 5. Symp. 2.⁴ Liu. lib. 38. c. 3, 39. c. 4.⁵ Liu. lib. 6. c. 3.⁶ Liu. lib. 2. c. 17.

caperetur¹. 'Sunt,' ait de captis illic uenditis, 'qui, hanc multitudinem 'captiuam seruorum fuisse, scribant; idque magis uerisimile est quam 'deditos uenisse.' Atque si oppidum uel captum censeretur propter pugnas ad illud pugnatas, et propter deditionem uel expressam, quae capta non dicerentur? Uix ulla fieri deditio solet aliter. Et si metu alia, alia deduntur uoluntate (ut sic inquit Liuius, Annibalem conatum pellicre Acerranos ad uoluntariam deditionem²) non propterea dedita utraque non sunt. Uel capere nihil est minus quam expugnare; at hoc est per praelium et pugnam: siue apertam, siue caecam, nihil refert³. uel captum oppidum audimus, quod cuniculis captum⁴. Capere alioqui, non addito uerbo 'uel,' etiam is dicitur, qui deditione accipit⁵. Sic uis distinguitur ab obsidione. 'urbes partim uel, partim obsidione cepit:' inquit Cicero⁶. Sic igitur male cum oppido Aequulano (de eo Appianus⁷) actum iudicabimus, quod uel captum uel duxerint metu expressa deditione. Sic cum duobus aliis alibi oppidis, quae uel atque armis coacta in deditionem⁸. Cur enim accepta in deditionem sunt?

Sed hic sequitur secunda quaestio, si oporteat recipere omnes semper qui se dedunt. Atque scribit M. Tullius, 'Hi, qui armis positis ad 'imperatorum fidem confugiunt, quamuis murum aries percusserit reci- 'piendi sunt⁹.' Et Scipio ita, admotis iam scalis ad moenia urbis Hispaniae, oppidanis per caduceatorem petentibus abitum pacatum, annuit, et receptui canit; et cum aut auditum non esset, aut non obtemperatum, sed urbs uel caperetur et saeuiretur, factum emendat: etiam et punit suos¹⁰. Sic alia supersunt exempla. At sic tamen ius non esse uidetur. Caesar Aduaticis, deditibus se suaque omnia, respondit, 'ciuitatem conseruaturum, si priusquam aries murum attigisset se dedidis- 'sent¹¹.' Huc et lex Dei pertinet, quae urbibus, non se deditibus ante quam obsiderentur, nec parci uult¹². Hodie si ad infirma loca deducuntur bombardae, non uidetur locus deditioni superesse: de quo expositi ante. Et laudatus illic Albanus dux Prosperum Columnium reprehendit, qui arcem accepit in deditionem, uita cuiusque incolumi et bonis, putauitque

¹ Liu. lib. 7. c. 27.² Liu. lib. 23. c. 17.³ 1. 3. de inc. r. n. (D. 47. 9).⁴ Zosi. 3.⁵ Liu. 5.⁶ Cic. pro Mur. 9.⁷ App. 1. Ciuil.⁸ Liu. lib. 43. c. 19.⁹ Cic. 1. de Off. 11.¹⁰ App. Hisp.¹¹ Caes. 2. Gall. 32.¹² Deut. 20.

indignos uenia, quia fuissent tormentis diuerberati¹. Atque hic forte altera erit inspectio de modo deditiois. Mihi sane uidetur in utraque multum libera uoluntas. nam conuentio est quaedam utrobique. Possunt esse caussae, cur deditio non recipiatur. Sed si caussa non subsit, certe uidetur admittenda deditio; aut internecinum bellum est. Et idem concludendum est circa modum. nam si qui nolit se dedere nisi per condiciones indignas accipiente: et contra si qui nolit accipere nisi per condiciones intolerabiles dediti: deditio ipsa semper negari censebitur. Uictoris haec sunt, non uicti: respondit ille uolentibus facere deditioem sub condicionibus magnificis, exundi cum signis expansis, et cum omni apparatu, atque pompa bellica². Per contrarium fuisse Saguntini dicuntur admirationi, qui uicti perire quam seruire maluerunt. nam 'in omnibus fere gentibus uox est quodammodo naturae, ut subiugari hostibus mallent uictoribus, quam bellica omnifaria uastatione deleri³.' At (quod nemo non uidet) constitui hic certo, et generaliter nihil potest propter casuum uarietatem. Et ergo est multum uoluntas libera. Si nimia multitudo est deditioem se, iusta caussa uisa Romanis aliquando non recipiendi: 'quia, trucidare deditos, sacuum: tantam multitudinem custodia cingere, arduum. ut belli potius iure caderent. datumque militibus, qui scalis euaserant, signum caedis. Exscidio Uspensium metus ceteris iniectus⁴.' Haec Tacitus. Et quod de metu postremum ait, alia esse caussa potest non recipiendi deditos se: et quam ego caussam puto seuerae illius legis diuinae, cuius modo meminimus. Si recipiendi essent semper, qui se dedit: quid prohiberet, quo minus caperetur uel nemo? Qui iam iam sunt capiendi, hi possunt non recipi. Si filius capi facile non potuit, et cum magistratu pater sistat: molliri poenam delicti quod filius patrarat, receptum nostris interpretibus est. at si iam iam capiendum stiterit, poenam non molliri, quia sic eludere debitam poenam filius ille facile posset⁵. Atque istam receptam sententiam defendunt etiamnum contra Alciatum, qui ex aequitate et sensu mitiori poenam semper molliendam existimat. Et ita ad quaestionem secundam.

¹ Connest. 6.² Nat. Co. 12.³ Aug. 18. de Ciu. 2.⁴ Tac. 12. Ann. 17.⁵ Pinel. rubr. C. de bo. ma. (6. 60).

In tertia distinguendum est, an per pactiones facta deditio sit, an simpliciter, an cum quodam uno uerbo. Et pactiones si intercesserunt, eae utique tenendae sunt; est enim contra ius naturae tollere ius ex contractu¹. Et ita de pactis deditiois responsum est. Hic tamen saepe quaeritur non de re una. Annibal negat, se seruaturum pactiones Romanis illis qui se Maharbali post pugnam ad Thrasimenum dederunt². At hic recte Liuius eam Annibalis fidem appellat Punicam. Adi nostra De armis Romanis: et quae antea scripta de pactis ducum. Turca iussit interfici quos strenue pugnantes usque ad extremam spem acceperunt Ianizari sub fidem: at illos interfici non sunt passi iidem Ianizari³. Recte. Sed quid si non in commune consultum est? ut saepe dissentiunt obsessi de oppido dedendo, aut defendendo, aut de condicionibus deditiois. Pars deditioem facit et portas aperit Alexandro. ait Curtius, pepercisse Alexandrum etiam belli auctoribus, quibus belli iure irasci poterat⁴. Cortonenses, uel nolente praefecto praesidii, se dedunt, quae (ait Iouius) deditiois formula exludebat praesidarios; quos tamen uictor dimisit, etsi armis exsutos, quoniam potentis exercitus uim contempsisse uiderentur⁵. Iouii autem dictum firmari uidetur ex his Liuii, 'Prope non seruata fides deditis, cum Paenus dolo dimissum praesidium Romanum incusaret: Locrenses, ipsum fugisse caussarentur. potius illud uidentum, an tenerentur, praesidiumque proderet Paeno⁶.' Et mihi interpretatio probatur Iouii; quum non in commune consultum est. alioqui facta dicitur ab omnibus deditio: et omnibus proderit, etiam his qui contra deditiois sententiam disceptarint et egerint. Sic scilicet de facto uniuersitatis traditur et recipitur. Et quamquam dissensus imo istorum propositis, si puniendum factum sit a domino suo⁷: et imo consensus singulorum desideretur in eo quod tangit omnes⁸: tamen et in caussis communibus ut singulis, fauore dirimendarum litium, maior pars satis est: etiam et in actu necessario, aut euidentis utilitatis. item si, qui soliti haec facere, hi fecerunt. item si hi fecerunt, quibus obedire reliqui tenebantur. item si

¹ Alc. 5. cons. 3. 6. 23. 36; Ceph. 58; Ducia. 1. cons. 25.

² Polyb. lib. 3. c. 85; Liu. lib. 22. c. 6. ³ Iou. 36. ⁴ Cur. 10. ⁵ Iou. 27.

⁶ Liu. lib. 24. c. 1. ⁷ Ceph. cons. 110. ⁸ c. 29. de reg. iu. 6.

omnes fecerunt, qui non dici absentes poterant¹. Et illud etiam bene Iouius, quod si qui faciunt deditioem, ii et pro aliis paciscuntur, pactiones istae omnibus prosint. aut periniquo iure, et summa cum iniuria ageretur². Summo forsitan quodam iure ageretur: quia alii aliis non paciscantur³. Sed summum ius summam iniuriam et crucem dixere ueteres: quod hic non sequimur. Et imo cum habeamus hic unum corpus totius praesidii: non dicemus, alterum alteri pacisci, sed sibimet, qui paciscitur commilitonibus, et parti corporis. Socius socio contrahit, non solum sibi: et nec opus exprimere de socio, satisque est caussam esse communem⁴. Sic transactio, sic appellatio socii prodest socio. Sic rescriptum, etc. Et collegae tamen ducis promissio obligare collegam non uidetur. ut historia quaedam est Fabii et Marcelli, consulum, illius dantis hosti abitum tutum, istius caedentis abeuntem⁵. Etiam hoc factum est, ut praesidiarii praefectum caperent, qui deditioem renuebat, et in uincula conicerent, atque ipsi ita paciscerentur deditioem, et dederent se Solymano: is autem iussit, deditos interfici omnes, affici praefectum honoribus⁶. Inquit Iouius, 'Saeuam caedem immanis imperatoris iussu non iure modo, sed et ad laudem uolunt. quando sacramentum militiae non fuit uiolandum contra praefectum. Sed tamen praesidiarii diplomata libertatis obtinuerant. abrupti igitur Solymanus suam fidem: dum perfidiam alienam ulciscitur.' Quid nos? Sane de perfidia illa non erat iudex Solymanus, sed alius. Et dici tamen potest, quasi transfugas sic tractari eos a Solymano potuisse: qui de perfidia ipsorum non nouerat ante: et fugerunt ad Solymanum contra praefecti auctoritatem. Mihi opinio ista placet.

Fuit et de eo late disputatum, si qui missus est, ut de deditioe ageret, cum rediret serius, facta est ad arbitrium uictoris deditio, an ille hac teneatur deditioe, si nolit⁷? Ac ferunt, dictam sententiam mitiorem, qua dimissus liber homo est. Sed et iure steterit sententia: si iste fuisset qui tueri oppidum adhuc, aut se potuerit. Et huc quoque facit iure traditum, quod etsi definitio plurium teneat repugnantibus paucioribus, non ea ualet tamen, quae uno absente fiat, cuius potuit praesentia in sententiam suam ceteros trahere⁸.

¹ Bal. l. 1. de off. co. (D. 1. 10); l. 1. de ma. co. (D. 27. 8); Ceph. cons. 62. 110; Decia. 3. 103.

² Iou. 2.

³ l. 11. de oblig. (D. 44. 7); l. 38. de U. O. (D. 45. 1).

⁴ Alc. 8. cons. 41.

⁵ Liu. lib. 24. c. 30.

⁶ Iou. 28.

⁷ Iou. 26.

⁸ l. 17. de arb. (D. 4. 8).

Saladini perabsurda cauillatio fuit : qui dum ualido munitam praesidio censet Ascalonam, quae uacua ferme erat milite, conuenit liberaliter de deditioe : sed quasi deceptus abnuit pactiones seruare¹. Dixi, ius esse, uti his stratagematis et mendaciis. Galli famem cum obiicerent Romanis, auertendae eius suspitionis gratia iactatus multis locis est panis de Capitolio in hostium stationes². Haec plurima sunt et probatissima. Cauillatio erat Hispanorum : qui Ualerium Ursinum, sic se eis deditentem, ut deduceretur tuto in castra Gallica, captiuum asserebant hoc colore, quod Gallica tum temporis castra nullibi erant³. At summa pactionis erat pura, ne esset captiuus, non sub ista conditione, si ullibi forent castra Gallica. De castris his adiectum pro tuta executione pacti, nam in illis castris futurus erat Ualerius tutus. Quae autem dicta sunt ad executionem, ea non mutant de substantia⁴. Dic, deceptum Ualerium, qui putabat, castra illa esse. Numquid iustissimae facti ignorantiae non succurritur semper⁵? Romani, deditibus se Aetolis, et errantibus in ipsis uerbis formulae deditiois, aequum putarunt, statum restitui pristinum⁶. Et Hispani non assenserunt deditioi Ursini de eo deducendo in castra Gallica? Si autem ista non erant, malitiam accusent suam, aut stultitiam. Et propter uirtutem igitur uiri, et propter iustitiam causae dimissus Ursinus ut illud de uirtute dicit historia, ego istud de iustitia addo.

Solent saepe se dedere obsessi ita, si intra tantum temporis auxilia ipsis non aduenerint. 'Nisi intra sexaginta dies Darius auxilio ueniret,' etc.⁷ Ad quod pactum quaeri de auxilii qualitate potest. Aliquando expressum est de iustis auxiliis, 'Nisi iusta obsessis auxilia intra trigesimum diem alicunde 'summittantur'⁸. Sed et hic, quae iusta sint, quaeres. Item et de iustis intelligendum uidetur, licet expressum hoc non est: nam de quibuslibet sine absurditate non intelliges. Iusta dixeris; quae causam tollunt, propter quam facienda erat deditio. Nec dico, quae tollunt ad breue tempus: quod et leuia efficere auxilia possunt. Sed quae tollunt in bene longum: ut si commeatus, quo laborabatur uno, tantus inferatur qui longissimae sufficiat obsidioni. Exprimi aliquando sic solet, 'Nisi intra septem dies ueniat

¹ P. Aemil. 5.² Liu. lib. 5. c. 48.³ Iou. 26.⁴ Dec. cons. 12.⁵ Cl. I. de praeb.⁶ Liu. lib. 36. c. 27.⁷ Cur. 3.⁸ Iou. 4.

'qui seruet nos'.¹ Et, quod non admittit quaestionem, 'Nisi auxilia sint, quibus aperte bello, et pede collato, tutari se queant obsessi, non intra urbem e moenibus'.² Item, 'Nisi talia sint, propter quae discedere ab obsidione oporteret'.³ Item, 'Nisi obsessores campo deiiciantur'.⁴ Et item alia sic esse possunt. Sed et in his aliquid est, quod quaeas de tempore. Tamen esse potest manifestum, intra diem dictam fieri isthaec oportere, ut discedatur ab obsidione, et obsessores campo deiiciantur. Quid enim si uenerint auxilia, et teneant castris collatis se, dum hostis longa fractus obsidione, aut aliam ob causam abeat? Siccine uenisse auxilia intra praestitutam diem, et deiectos obsessores dices campo? Siccine pede stetisse collato? Ego diem hic repetitum sane intellexerim incunctanter; quoniam facto eiusdem stat: ut distinctio est glossatoris adprobata⁵. Si pacta deditio est simpliciter, 'Si auxilia non aduenerint, auxiliis uenientibus, nec mouentibus quidquam, deditio non fiet; uenerunt enim auxilia. Et ex facto ita seruatum pluries est Anglis et Gallis'.⁶ Quae de auxiliis: quod saepe quaeritur. Nunc alia uideamus.

Pacti exire cum uestibus, exeunt armis instructi omnibus: quae uestes militibus contendebant⁷. 'Aliis arma oneri sunt, nobis integumento:' dicebat miles Romanus⁸. Etiam membra militibus arma dicuntur⁹. Sed uere aliud uestes sunt¹⁰. Et arma distingui a uestibus solent in istis pactionibus. Distingui etiam a uestibus solent hic, quae insternuntur, quibusque incubamus. Et ergo neque haec uenient appellatione uestium. Nam, quid uel nostra lingua, uel intelligentia militum intelligat hic, seruandum est: et quod consonat auribus uulgi. Exire iussae mulieres, et asportare secum quod possent: aliae uiros, aliae fratres humeris gerunt¹¹. Pia fraus. Nam, quae animalia sunt, ducuntur, aguntur, non portantur¹². Quod tu non perde ridiculum, et per calumniam intelligas tamen. Plura autem haec sunt. Pacti tantum de uita, an retineri captiui possint et serui? Seruitus mors est¹³. Et nihil multum a specie seruentium differunt, quibus facultas non datur recedendi¹⁴. Et hoc illud est, in quo notatum diximus Carolum

¹ 1. Sam. 11. ² Agath. 1. Goth. (p. 23). ³ Iou. 3. ⁴ Comm. Pii 2. lib. 9.

⁵ l. 10 ubi no. de U. O. (D. 45. 1). ⁶ Polyd. 13. 22. ⁷ Plut. de Cl. Mul. ⁸ Hegeasp. 3.

⁹ Cic. 2. Tusc. 16. ¹⁰ l. 23. 25. de an. leg. (D. 33. 1). ¹¹ P. Aemil. 7.

¹² l. 225. de U. S. (D. 50. 16). ¹³ l. 32. 209. de reg. iu. (D. 50. 17). ¹⁴ l. 2. de ho. li. ex. (D. 43. 29).

quintum imperatorem : qui Lantgrauium custodiae demandauit, accedentem se fide accepta de incolumitate. Quamquam in hoc uerbo est quid amplius quoque. Ut non probem, qui dixerunt, fide integra seruos factos a Turca, qui pacti fuerant incolumitatem¹. Pactus de uita potest seruus ferri; nam subtilitas est iuris ciuilis, quae seruos pro mortuis habet. Et multo igitur magis poterit captius haberi, qui seruus non sit. Ut ita Gonzaga fecit²; et, quod ego censeo, absque iniuria. Atque haec quoque multa sunt. Si autem simpliciter aliqui se dederunt, et dixi in principio quod ius hic est, et notabilia sunt P. Iouii uerba, 'Quod Salassus in magna Hispanorum multitudinem se dederent et arma proicientem humi trucidandum edixit: et trucidati sint: nunquam antea uel ab efferatis et barbaris factum meminimus³.' Neque tamen ego dico, numquam factum; quod idem historicus notat factum a Turca: qui nulla sub conditione recepit dedentes se, sed ad suum arbitrium: et omnes interfecit⁴. Scimus Syllae factum cum multis Samnitum millibus. scimus factum Caesaris cum uictis Numidis Iuba. alia plura immania aliorum⁵. Et Heluetii amplius quingenti, dedentes se arbitrio Burgundi, etiam resti suspensi sunt⁶. Factum Salassi eo est immanius, quod in supplices, non in dedititios tantum, fuit.

At age, dicamus tandem de singularibus quibusdam uerbis. In uerbo ipso 'Dedere,' uim esse eam tradunt, ut agant aduersarii in dedititium pro summa potestate, quicquid adlibeat⁷. Ceterum ratio nostra in principio respuit istam interpretationem. Adde iam, benignius tractandos esse dedititios, ne, si fiat aliter, pessimo exemplo quisquam postea se dedere nolit, ut senatus dixit Romanus⁸; cuius nobile hac in re iudicium etiam alii obseruarunt⁹. Et sic est nobilis oratio Syracusani, hortantis suos ad clementiam erga dedititios Athenienses¹⁰. Inquit Seneca, 'Sanctiores tutioresque sunt hostibus, qui in fidem cum armis ueniunt¹¹.' Sane si parcitur captis, quando his parceretur magis, qui adhuc pugnando possent non capi, aut non sine sanguine traderent uictoriam hosti?

¹ Iou. 37.² Iou. ult.³ Iou. 38.⁴ Iou. 43.⁵ Dio lib. 43. c. 9.⁶ P. Aemil. 10.⁷ Manu. pro Sex. Ro.⁸ Liu. lib. 42. c. 8.⁹ Sigo. 1. de Iu. Ita. 23.¹⁰ Diod. lib. 13. c. 20.¹¹ Sen. de Tra. Ui.

Non danda his est minimum uita, qui uitam suis hostibus reliquerunt, et ueram uictoriam effecerunt? 'Non est uictoria maior, quam quae 'confessos animo quoque subiugat hostes!'. Aut quid est, quod non factum in bello sit? quod in bello fieri non possit? Uicti, fugati, inclusi, obsessi uictorem superarunt, obsessorem ceperunt. Saepenumero ex desperatione rerum in magna et fortissima facinora uenitur, eodemque sunt loco magnus animus et perditus. Num recito historias? Polybius notat. non est historicus, qui non habeat². 'Nec quum capta capi, nec quum 'combusta cremari:' dixerat Ennius³. quae Uirgilius, 'Num capti potuere 'capi? num incensa cremauit Troia uiros? medias acies, mediosque per 'ignes inuenere uiam⁴. Et clamat de pauculis Troianis regina Deum, sacua hostis, et quae superos, inferos, non mortales solos, secum conciuat. Sed in deditionibus illa usurpari solent uerba, 'Arbitrium, manus, uoluntas, 'potestas, discretio, iudicium, sapientia, gratia, misericordia, acqutitas, con- 'scientia, declaratio.' Arbitrium autem et arbitratus terminos iuris, aut consuetudinis, non egreditur⁵. Secundum leges debet regulari. Intra mitiorem sententiam consistit. Hoc arbitrium uiri boni est. hoc acquis- simum, si fit alteri a nobis, quod fieri ab altero nobis uellemus: et fit a nobis in alienis, quod in nostris fieret⁶. Arbitrium est boni uiri arbitrium. in quo seruandae sunt regulae iuris et naturae⁷. Et illa est regula naturae, 'Quod tibi fieri non uis,' etc.⁸ 'Quotiescunque talem in alte- 'rum habueris animum, qualem in te ab altero seruari cupis, acqutatis 'uiam tenes: quoties uero talis erga alterum fueris, qualem in te uis 'neminem, iter iustitiae dereliquisti:' inquit sanctus Paulinus. Et hoc perfectum diuinae et humanae legis documentum et, ut ait noster Deci- anus, quod et Domini Iesu fuit⁹. Hic imitanda exempla bonorum sunt uirorum: ut Alciatus respondit¹⁰. Bonorum, inquit: nam, illos imitari, de quibus aut dubitatis, an imitandi sint, periculosum ait idem Sanctus. In arbitrariis id certum, quod usitatum: id necessarium, et non absque modi

¹ Claud. 6. Con. 110. u. 248.² Polyb. lib. 16. c. 40.³ Maer. 6. Sat. 1.⁴ Uirg. 7. Aen. u. 295.⁵ l. 11. 43. de leg. 3 (D. 32); Ceph. cons. 652.⁶ l. 1. de solut. (D. 46. 3); Rom. cons. 205; Bal. l. 10. de iust.; Dec. l. 22. de reg. iu. (D. 50. 17).⁷ l. 68. de U. S. (D. 50. 16); Alex. 1. cons. 33. 69. 2. 218.⁸ Hierony. Ep. 14.⁹ Decia. 1. cons. 25.¹⁰ Alc. 9. cons. 70.

transgressione transgrediendum¹? At de nomine 'arbitrii' audi pulcherrima Celsi, 'Si libertus ita iuraverit, dare se, quot operas patronus arbitrius sit: non aliter ratum fore arbitrium patroni, quam si aequum arbitrius sit. et fere ea mens est, personam arbitrio substituentium, ut quia sperent, eum recte arbitraturum, id faciant: non quia uel immodice obligari uelint².' Scribit autem, 'immodice.' modicum namque incommodum tolerabile est³. Sic et quum est datum, ut possit incommodum afferri, de modico adhuc intelligitur: et cum causa etiam rationabili. Immodicam laesionem concedere, esset dolum concedere: quod nec licet⁴. Imo etiam laesio enormissima reiicitur et de dolo concessio. Honestas igitur et aequitas bono uiro praec oculis praecipue obuersetur⁵. Etiam quum dicitur, ut sententiae stetur iustae iniustae, sic tamen intelligitur, ut non tamen ei stetur, quae liquido esset iniusta, sed de qua posset dubitari⁶. Si liberum et absolutum arbitrium datur: uocandus adhuc est deditus, et audiendus defendens se⁷. Nam etsi non appelletur ab eo qui iudicat ex libero arbitrio aut ex conscientia: idem tamen audit partes; ut est regula iuris et naturae⁸. Liberum est plenum; et aequitas tamen est seruanda⁹. Plenum quidem, sed ex fide, non perfide, non enormiter, non dolose¹⁰: ut in arbitrariis etiam (quod diximus) dolus committitur¹¹. Liberum (bellissime Bernardus in libro De libero arbitrio) refertur ad uoluntatem, arbitrium ad rationem. Et temerarius igitur est, et caret arbitrio boni uiri, qui non se fundat in ratione¹². Liberum dicitur, quatenus et tale est hominis: quod non per naturae impetum, ut inanimorum: non per instinctum, ut ferarum, ac puerorum, quorum libertas dicitur, et quaedam licentia magis est: sed quatenus pro arbitratu nostro in opus tendimus; et aliquid uolumus, nolumus¹³. Sic est arbitrium aut si per adiecta 'liberum plenum, absolutum' fit aliud, iam arbitrium non erit. Manet igitur arbitrium, utrunque iam solutius. Et sic adiectiua aptentur naturae

¹ Dec. cons. 110.² l. 30. de op. liber. (D. 38. 1).³ Rom. cons. 55; Ceph. 23.⁴ Ceph. cons. 34. 121. 142.⁵ Ceph. cons. 28.⁶ Dec. cons. 356.⁷ Alex. 1. cons. 61; Bal. 3. 383. l. 15. C. de mi. te. (6. 21).⁸ Ceph. cons. 89.⁹ Bal. 1. cons. 177.¹⁰ Bal. 1. cons. 381; Alex. 3. 41; l. 60. mand. (D. 17. 1).¹¹ Bal. l. 3. C. de ser. fu. (6. 1).¹² Cur. Iu. cons. 268.¹³ Fic. 2. Phi. Mo. 31.

eius quae sane et solutior semper est, sit autem nunc solutissima, sed dissoluta numquam. Etiam generalitas cogitur ad naturam actus, et ad limites rationis¹. Breuiter (nam eiusmodi omnia recitare doctorum nostrorum, et aliorum, immensum fuerit) et arbitrii latitudo omnis coarctanda est ad arbitrium boni uiri². Manus idem est³. Qui se ponit in manu alterius, dat huic liberum arbitrium in se. sed pia esse tamen debet manus nam impia est reprobata. Uoluntatis uocabulum laxius est⁴. Et iniquit tamen, quod si partis uoluntati quid committitur: tum non sit differentia, siue arbitrio commissum sit, nam deserere aequitatem pars nequeat⁵. Atque haec uerissima mihi definitio uidetur. Etsi scio, Baldum dicere totum contrarium in suo quodam responso: quod si tertio alicui detur uelle, is sane nequeat per quorundam opinionem egredi arbitrium boni uiri: at si parti datum sit, haec et inique arbitrari possit, idque sic sit per legem conuentionis: per quam uolenti et consentienti nec fiat iniuria aut dolus⁶. At haec tamen sententia refutatur. non enim intelligitur datum, ut dolus admitti possit, aut fuerit inuitare ad delinquendum, quod nullis uerbis concessum intelligitur⁷. Generalia uerba sic cogi, ut excludatur dolus, etiam re ipsa, restringi secundum terminos iuris⁸. Uoluntati etiam liberae si defertur, adhuc illa tenenda est regula, 'Quod tibi fieri'⁹. Et plenissima et libera facultas et potestas exigunt bonam fidem semper, et bonae fidei interpretationem ciuilem, atque humanitati congruentem intelligentiam. Illicitum numquam uenit sub quam latissimo arbitrio¹⁰. Qui iurauit, arbitrio non contrauenire aliqua ratione uel causa, non tamen de iniquo intellexit¹¹. Uoluntati quod datur, id nec rationem debet excedere¹². Rationi autem qui se submittit, iustitiae se submittit¹³. Cum id genus aliis ferme innumeris. Inquit Cicero, 'Omnia incerta, quum a iure discessum est, nec praestari quidquam posse, quale futurum sit, quod positum est in alterius uoluntate, non solum libidine'¹⁴. Sed in bello a iure non disceditur. Ergo

¹ Ceph. cons. 76.² Bal. 4. cons. 344.³ Bal. l. 2. de orig. iu. (D. 1. 2) et Ang.⁴ l. 1. de leg. 2 (D. 31); l. 11. de leg. 3. (D. 32).⁵ Alex. l. 2. sol. ma. (D. 24. 3).⁶ Bal. 2. cons. 195.⁷ Alex. 4. cons. 62; Dec. l. 23. de r. i. (D. 42. 1); Ceph. cons. 39.⁸ Alc. 9. cons. 66; Ceph. 142.⁹ Rom. cons. 55. 476.¹⁰ Ang. cons. 257.¹¹ Ceph. cons. 115.¹² p. l. 13. de poen. (D. 48. 19).¹³ Bal. 3. cons. 218.¹⁴ Cic. 9. Fam. 16.

sic specialiter definitur, uoluntati deditos non necari, non affigi triremi¹. Atque est iniurium ut miles fiat eius poenae seruus. Iniusti Genuenses, qui ad triremes uendidere captos iustos hostes nec seruos factos². Non quoque est nostri casus ratio par, et fideicommissi eius, 'Restituas libertis ' meis, quibus uoles?' quum et indignus praeferi libertus potest³. Nam hic in tractatu nostro agitur de reddendo suum cuique, in tractatu testamentario uersatur propositum animi et liberalitas. Etiam si deditio facta est ad libitum uoluntatis: dico contra Baldum, ut ad arbitrium boni uiri componi oporteat rem. Nam ut duplex libido est ac uoluntas, altera impetus, altera rationis: ita sermo hic pro subiecta materia accipietur de posteriori, quae aliquid uult, quoniam ratio quaeipiam illud suadeat⁴. Et uoluptatis uerbum et libidinis sic est pro uoluntate apud Symmachum, Plautum, Terentium, Catullum, Sallustium, alios: ut alii notant⁵. Fecit ad hanc partem et quod de potestate est. Potestas proprie dicitur eius quod possumus legitime absque iniuria⁶. Etiam plenitudo potestatis de bona et laudabili intelligitur, non de tyrannica et uituperabili⁷. Ampla potestas non ad abusum, sed ad legitimum usum censetur⁸. Plenitudo potestatis, et quaecumque latissima et absoluta sic cogitur, ut ne quid absurdum admittatur⁹. 'In infinito quidem licet, sed ciuilliter modo,' ait 'Celsus, nam quaedam in sermone tacite excipiuntur¹⁰.' Qui uero se dedunt discretioni, iudicio, conscientiae, tanto sunt tutiores, quanto haec sunt uerba significantiora arbitrii boni uiri: conscientia etiam optimi¹¹. Bonus uir et conscientia idem sunt¹². Et de conscientia uerbum capitur munita legibus, non de alia, quam pars sibi fabricat¹³. Sic et de uerbo traditur aequitatis; ut qui ex aequitate procedere habet, is sequi teneatur casum legis uel rigorosum. quia semper sit uerum, ut non debeamus sequi proprii capitis aequitatem, sed legis¹⁴. De discretionem (Italicum, et barbarum, non Latinum hic nunc est uerbum) historiae in hunc modum loquun-

¹ Inno. c. 13. de renu.² Iustin. Gen. 5.³ l. 24. de leg. 2. (D. 31).⁴ l. 46. de fid. lib. (D. 40. 5); Scal. de Ca. L. L. 78.⁵ S. 1. Uer. 19.⁶ Bal. 1. cons. 326.⁷ Bal. 1. cons. 345 et 5. 350.⁸ Alc. 4. cons. 5.⁹ Alex. 2. cons. 83; Menoch. de Arb. q. 7.¹⁰ l. 9. de seru. (D. 18. 7).¹¹ l. 137. de U. O. (D. 45. 1); Bal. l. ult. C. de iu. do. im. (S. 34); Alex. 1. cons. 33.¹² Dec. l. 157. de reg. iu. (D. 50. 17).¹³ Alex. 2. cons. 218; Ias. rub. de Ad. He.¹⁴ Rom. cons. 149.

tur: 'Atque discretionem sic aiunt uocari, quum permissa militi potestas 'est in oppido quod capitur pro suo arbitrio debacchari, corporibus liberis 'tantum saluis¹.' Imo neque excepta uidentur saepe corpora: quum ipsa sic corpora deduntur, non oppida, in quibus deflecti illa interpretatio debacchandi possit². Saepe et, oppidis sic deditis, exprimitur, ut ad discretionem facultatum, uitae, honoris, sit deditio³. At, uulgo quid intelligatur per hoc uerbum in deditioe, ego quidem ignoro. Et historiis tamen credere docemur⁴. Sed hoc non ignoro, barbare significare uulgare uocabulum alibi, ac si Latine diceretur 'moderatio⁵,' quae auersa debacchationi: et est ipsum arbitrium boni uiri; ut nostri nobis et philosophi exposuerunt⁶. 'Discretio' (ait Bernardus) 'moderatrix zeli et clementiae. Solent discretionis oculo caligante, alterutrum sibi praeripere, terminos occupare: caliginis autem duae causae, ira, et mollior affectus. is iudicii censuram 'eneruat, illa praecipitat. turbatus ira oculus clementer nihil intuetur. 'Suffusus fluxa quadam et muliebri mollitie animus rectum non uidet. 'Non eris innocens, si aut punias eum cui forte parcendum esset: aut 'parcas ei qui fuerat puniendus⁷.' Haec est discretio. Discretio mater omnium uirtutum, ut in iure est Canonico⁸. Etiam quum discretio sui capitis dicitur, intelligi tamen de communi forma traditur⁹. Etiam quod dicitur, nec pecti reductionem ad arbitrium, si commissum quid est conscientiae, id alia quaedam res est. nec enim sequitur, ut iudicare ille possit propterea non ex arbitrio boni uiri, qui ex conscientia iudicare habet. itaque iniquitas dicitur eius: quae et emendanda est a superiore¹⁰. Sapientiae item uocabulum includit arbitrium boni uiri¹¹. Et prouidentia, et consideratio, et similia: doctentia sequi rationis iudicium, non placitum uoluntatis¹². Gratiae porro qui dederunt se, et misericordiae, imo et qui ueniam implorant, confugere iterum uidentur ad arbitrium. Non enim fatetur delictum qui se misericordiae submittit¹³. Quicquid P. Syrus ait, 'Mala causa est quae requirit misericordiam.' Cum imo misericordia sit

¹ Comm. Pii 2. lib. 4.² Guicc. 18.³ Guicc. 9.⁴ Fely. c. 2. de rescr. not.; l. 1. si ce. pe. (D. 12. 1).⁵ Scalig. de Ca. L. L. 150.⁶ Menoch. de Arb. q. 86.⁷ Ber. 2. de Consid. 11.⁸ c. ult. 1. q. 6.⁹ Ceph. cons. 88.¹⁰ Rom. cons. 27. 261. 458.¹¹ Ceph. cons. 28.¹² Ber. de Pr. et Dispe.¹³ Menoch. de Arb. q. 8.

aegritudo ex miseria alterius iniuria laborantis : et nihil nisi bonitas¹. Ius est misericordia, etsi non commune². Non fatetur delictum qui ueniam petit : ut nec qui renunciat defensionibus³. Potest scilicet petiisse ueniam et iustissimis his caussis, propter quas iuste aliquis bellum suscipit : et uictus tamen incurrit in uictoris legitimam indignationem. Petunt errori ueniam Caerites, quodque fuerint auxilio consanguineis⁴. Petit Cicero saepe errati ueniam omnibus qui pro Pompeio steterint contra Caesarem ; etiam obtendit fatum : ‘ omnes enim qui ad illa arma fato sumus nescio ‘ quo reipublicae misero funestoque compulsi, etsi aliqua culpa tenemur ‘ erroris humani, a scelere certe liberati sumus⁵.’ Sic et fortunam alibi effert : quam uitare nemo ualeat⁶. Ait, se compulso : ut cum coactis uel delinquere agatur mitius⁷. Ait, ‘ aliqua culpa.’ nam uere culpa error uacat, et a culpa distinguitur, quod in errorem homines incidere omnes ualent⁸. Officium alibi, pudorem, pietatem affert : et si non ueram, tamen probabilem dicit causam, propter quam ignoscatur⁹. Et Matus item, ‘ Neque Caesarem in dissensione ciuili sum secutus, sed amicum,’ etc¹⁰. Alii aliter petunt ueniam caussis impetrabilibus. Et cum his agendum non quasi cum peccatoribus est¹¹. Ut non semper uerum sit, quod Augustinus ait, ‘ Ubi uenia datur, manifestum est, esse peccatum¹².’ De quo et magister Sententiarum, ‘ Cui uenia datur, nisi culpa?’ Et quod Seneca, ‘ Uenia debita poenae remissio est.’ Et quod in iure Canonico, ‘ Non est ‘ sine uitio quod ignoscitur¹³.’ Et quod Tertullianus, ‘ Gratia non est, nisi ‘ offensae ; nec pax, nisi belli¹⁴.’ Quamquam hoc ita accipimus, ut sit quidem offensa, sed et iusta sit causa facti eius qui gratiam petit. Ut sic qui se submittit gratiae, non fatetur crimen : hoc saltem, non confert absolutum arbitrium, nam istud uerbum est ciuilliter intelligendum, et expectat benignam interpretationem et tractationem¹⁵ ; quam nisi praestare

¹ Cic. 4. Tusc. 8 ; Manu. pro Ligar.² Ceph. cons. 39.³ Alex. 1. 1. de no. op. nu. (D. 39. 1) ; Dec. reg. non uidetur (D. 50. 17. 13).⁴ Liu. lib. 7. c. 20.⁵ Cic. pro Marc. 5, pro Ligar. 6.⁶ Cic. 9. Fam. 13.⁷ Rom. cons. 523.⁸ Soph. Trach.⁹ Cic. 11. Fam. 22. 27.¹⁰ Cic. 11. Fam. 28.¹¹ Iust. cons. 3 et C. si q. i. m. (6. 57. 6) ; Tiraq. de p. m.¹² Aug. Leu. 68 et de Bo. Co. 10 ; Lom. 4. Se. 31 ; Sen. 2. de Cl. 7.¹³ c. ult. 1. q. 6.¹⁴ Tert. adu. Mar. 5.¹⁵ Chass. Ca. 5. Consid. 24 ; Alc. 5. cons. 108.

victor uelit, dedititium restituere habet in statum pristinum¹. Gratia non habet iuris uinculum: et nisi conceditur tamen, saepe iniuria fit². Imo uenia dicitur etiam de his quae habent uinculum iuris, nam uictis debetur certe sepultura, quam qui petunt apud Uirgilium, aiunt tamen, 'Si qua est uictis uenia,' etc., 'ueniamque rogantes:' et quod Seruius utrobique interpretatur beneficium, sic cape, ut modo dixi de gratia, ut nisi concedatur, iniuria fiat. Sic uerba omnia agenda huc ad aequum et bonum, quae ars est iuris et iustitiae. Et semper tenendum, quod ubi funditus nullum est delictum, ibi nec dicitur concessum arbitrium puniendi³. Etiam licentiae uerbum sic bonum et honestum sonat⁴. Sic alia: 'Placet, Uidebitur, Probabitur, Putabis⁵.' Ius et consuetudo seruabitur⁶. Qui tenetur stare omni declarationi, iustae teneri stare intelligitur⁷. Qui committit se alteri, fidei et probitati se committit⁸. Qui se alteri permisit, potestati se permisisse dicitur. Sed aucupia ista syllabarum non hic sequimur. Et de potestate tamen ante dixi. 'Potestatem exercere, negligere rationem, quid tam bestiale⁹?' Bernardus. Qui se cognitioni submittit, etiam definitioni (si et hoc scire cupis) se submisisse censetur: ut late responsum a Baldo est¹⁰. Etiam hoc moneo, non me loqui de subditis. illi enim submisisse se uidentur non quasi arbitrio, etsi arbitrio se dedant, sed multo efficacius: ut uerbum congruat personae de quo Baldus ibidem.

CAP. XVIII.

In deditos et captos sacri.

UT haec tamen ita sint, ita possunt casus contingere, quum si sacuitum fuerit in deditos et captiuos, laesa iustitia bellica non existimetur. Magnus patrum nostrorum dux Liuianus captum unum aliquem multis uerborum contumeliis affectum necari iussit, alios autem tractauit humanissime¹¹:

¹ Ang. l. ult. de pr. st. (D. 46. 5). ² Alex. 1. cons. 80; Alc. 4. 1; Rom. 330. ³ Bal. 3. cons. 463.

⁴ Menoch. d. q. 8. ⁵ l. 46. de fi. li. (D. 40. 5); l. 21. de statul. (D. 40. 7); Alc. 9. cons. 73.

⁶ Bal. l. 1. C. si pro. pu. (4. 46). ⁷ Alex. 1. cons. 28. ⁸ Manu. pro Rabir.

⁹ Ber. 3. de Consid. 4. ¹⁰ Bal. 3. cons. 121; Alex. l. a diuo Pio, de re. iud. (D. 42. 1. 15).

¹¹ Iou. 12.

et causa saeuitiae in unum, quod ille, si de Liuiano antea loquebatur, hominem appellare belluam consueuerat. Et causa proba fuit. Nec est quidquam tam seruilis ingenii, quam uel apud infestissimum hostem foeditate sermonis et petulantia dicendi abstinere non posse. ut ita Scanderbegus conuicianti Hotomano respondit¹; et Memnon transfixerat militem, Alexandro maledicentem, elogio addito, 'Ego, te pugnare contra Alexandrum uolui, non ei maledicere'.² Sylla ob dicteria sibi obsidenti Athenas dicta, stragibus illic et sanguine impleuit omnia: et parum abfuit quin deleret urbem³. 'Haud doctis dictis certantes, sed maledictis:' dicebat Ennius de bello quidem: sed cuius dictum est sapienter capiendum⁴. 'Aduocati non ultra quam litium poscit utilitas, in licentiam conuiciandi et maledicendi temeritatem prorumpant. Agant quod caussa desiderat. Temperent ab iniuria,' etc.⁵ Strenuo militi indecorum maxime, ut lingua promptior quam armis uideatur⁶. Etiam hic et de uerbis apte illud, 'Quod tibi non uis'.⁷ Etiam scribit Plutarchus, 'Hostibus concessa uis: uirulentia autem ex odio est; et multi uerba grauius quam facta ferunt: et contumeliam grauius quam detrimentum.' itaque uirum, aliqui strenuum, captum necatum recitat: quia conuicia in hostes dixisset⁸. Conuicia acerbiora morte⁹: hic sane, ubi licet interficere; etsi sit alias iniuria facti quam uerbi acerbior¹⁰; et detractores latronibus deteriores ait interpres magnus¹¹. Et M. Tullius grauitatem, sapientiam, 'iustitiam' laudat Caesaris in hoc, quod numquam nisi honorifice nominaret Pompeium¹². Non itaque excusat se satis Caecinna, dum ait, 'Summa criminis est, quod armatus aduersario male dixi.' Et eum merito supra alios Pompeianos potuit odisse Caesar. Neque huc ad nostrum tractatum possis afferre sententiam Papiniani. 'Qui occidere potest adulterum, multo magis contumelia poterit iure afficere'.¹³ Quid enim simile homini flagitiosissimo et turpissimo cum honorato iustoque hoste? Turpi illi minus est, si contumeliis afficitur. Et non nego tamen, orationes dici in hostes, per quas illi in odium, in contemptum, adducantur. Et de dicendi eiusmodi

¹ Scander. 3. ² Plut. Apo. Reg. (174). ³ Plut. de Loquac. (505); Suid. ⁴ Gell. lib. 20. c. 9.

l. 6. C. de postul. (2. 6).

⁶ Alc. 5. cons. 63. ⁷ c. 14. dist. 50.

⁸ Plut. Timol.

⁹ Eccl. 26.

¹⁰ l. 16. de poe. (D. 48. 19); l. 38. de iniur. (D. 47. 10).

¹¹ Anch. cons. 325.

¹² Cic. 6. Fam. 6.

¹³ l. 22. de adult. (D. 48. 5).

libertate modo monui: tradidique in libris De legationibus. ac ita nunc concludo, 'parcius ista iuris tamen obiienda,' quae contumeliosa sunt: et quae praebere possunt hosti nonnullam causam saeuendi. Addo, nec Alexandro opus fuisse concionibus, nec Mario, ad uincendum: sed fecisse utrumque disciplina propria militari omnia¹. Quod iuri sapientes aduersum orationes istas obseruant. Pugna armis: quae hic contendunt: ut dixi ad belli definitionem.

Qui saeui ipsi dederunt se, non iuste saeuitiam accusabunt si quam patientur. Tractati a Florentino pessime, etiam et suspensi, Hispani: quoniam pessime ille tractatus alibi ab Hispanis fuisset². Non defendo mortis speciem infamem: nisi hostesque sic fecerint. Nam Romani iuste uirgis captos caedunt et securi feriunt: quod sui ab hostibus capti, immolati fuissent³. Et filiis Reguli nobilissimos Poenorum captiuos dederunt crudelissime crucianda perditionesque, in patris uindictam, qui Carthagine fuerat saeuissima interfectus morte⁴. 'Qui passos esse quae fecerint, indignantur⁵?' Quod quisque iuris in alium statuerit, si eodem ipse iure utatur, summae est aequitatis, et sine cuiusquam indignatione iusta. ait Ulpianus⁶. 'Neque enim lex iustior' ulla est, quam necis artifices arte perire sua: de Perillo, qui imbut auctor opus⁷. Nec dici hic ualet, non illos esse se, qui crudeliter egerint: adeoque non se esse tractandos crudeliter. Nam unum corpus sunt hostes. ut unum corpus est exercitus⁸. Unum corpus est eorum qui ab una parte faciunt pacem: alterum eorum, qui ab altera⁹. Et sic, ab una parte qui bellum faciunt. Et singuli tenentur, etiam si delictum ab uniuersis patratum sit¹⁰. Uelim tamen, misericordiosem erga hos esse hostem, qui uere alieno laborant uitio. Et sic de retaliando.

Nunc tertium dico casum. Pepigerunt, Franco dedere Perpinianum infra triduum: et mox indicant suis de auxilio submittendo. quod ut cognouit Francus, et fraudem sensit peti tridui, ui oppidum adoritur, expugnat, caedit impubesque, foeminasque¹¹. Et qui pepigit

¹ Card. 3. de Sap.² Iou. 28.³ Liu. lib. 7. c. 19.⁴ Gell. lib. 6. c. 4.⁵ Liu. lib. 26. c. 31.⁶ l. 5. quod qui. iu. (D. 2. 2).⁷ Ouid. 1. Ar. Am. u. 656.⁸ l. 30. de usuc. (D. 41. 3).⁹ Alex. 4. cons. 116.¹⁰ Bal. 4. cons. 329.¹¹ P. Aemil. 7.

dedere arcem, nisi auxilium sibi aduenisset intra dies triginta: nec stetit pacto: captus suspenditur¹. Et recepto Rhegio per uim a Ferdinando: Galli capti omnes de moenibus praecipitati: quod de deditioe, dum coep-
tas perficerent munitiones, simulanter egissent, ludificatique diu crebris colloquiis regem essent: et quosdam etiam milites, incaute ante moenia obuersantes, tormentis repente emissis interfecerint². Hoc tamen casu cum de deditioe conuentum non esset, nisi caedes incautorum militum accessisset, aut nisi induciae forsitan accessissent, indigni Galli erant eo supplicio: quoniam tractatus ad nihil obstringit³. Et multa tractantur quae non concluduntur⁴. Interim uero nec quidquam est quod uetet simulare, dissimulare, et per dolos deseruire rebus suis. Huc saepissime contenditur, ut per istiusmodi iniectas spes, et tractationes, et mentiones, securus ac negligens hostis efficiatur. Et stratagemata haec nemo unquam reprehendit. 'Tractationes de pace non suspendunt arma:' ait Philippus nunc rex Hispaniae Sebastiano Lusitaniae regi ultimo: quem et monet, conicere ita Maurum hostem in negligentiam⁵. Expresse et paciscuntur, ne per induciarum tempus facerent obsessi munitiones: et ut id uidere obsidentes possint diebus singulis⁶. Et nec fieri haec possunt eo tempore: etsi expressum nihil est. Sed extra inducias loquor nunc. Et sic Ferdinandum condemno. Quamuis nec ignoro, aliaque esse exempla etiam deditiorum qui trucidati, quoniam nec sincere de pace egerint, et bellum intulissent⁷. At pulchrum est, non quaerere quid alii egerint, sed quid optime actum sit⁸. Sana enim ratio exemplis anteponitur⁹. Condemnari quoque posse Ferdinandus uidetur, etsi caedes militum suorum facta sit. Cur enim illi ad moenia? Et nisi igitur perfidia sit: nec saeuiri potest. Ob periurium et perfidiam Ligarius necatus a Caesare¹⁰. Ille captus, semel dimissus, dedit fidem, non futurum se postea contra Caesarem. De quo casu et mox dico. Sed an excusari nequit miles, qui pactus deditioem aliquam, arcis puta ubi in praesidio est, si dicit, non suae potestatis rem fuisse, et esse eam sibi interdictam expresse

¹ Guicc. 12.² Iou. 3.³ Decia. 2. cons. 56.⁴ Dec. cons. 105. 133. 315; Bal. l. 6. C. si quis alt. uel si. (4. 50).⁵ Connest. 2.⁶ Iou. 3.⁷ Iou. 40.⁸ Diod. 1.⁹ Aug. 1. de Ciu. 22.¹⁰ Hirt. de Bell. Afr. c. 64.

aut ante, aut post pactum deditiois? Et culpa, dolus, excusat neminem. Culpa militis est, si nesciebat, posse se pacisci et pactum efficere, dolus est, si sciebat, se non posse. Et dediti igitur isti paciscentes hosti sunt. Sed tamen si post pactum aduenerit prohibitio, dignus miles aliqua excusatione est, et quum ipse dominus aduenerit, miserit, qui locum nunc teneat contra hostem. Aliqua excusatio est, si dominum non excluserit. Sed peccauit in hostem, et in pactum tamen: de quo adseruando cauere debuit. Negat Ferrariensis dux, se decere ad Caesarem proficisci, quia teneret sequester arcem Caesari, Galloque¹. Qui debet quid facere, is et debet prouidere ne impediatur. Impeditus tamen casu fortuito et ui maiori, tum excusabitur penitus, si aut culpa nulla dedit casui occasionem, aut casui non antecessit. Ut sunt ista iuris notissimi.

Est nunc quartus casus, si aliter iura belli uiolarunt qui nunc in hostium potestatem deueniunt. Nam frustra inuocat leges, qui contra leges committit². In captiuos, ait Philo, sacutum, qui iniustis armis et scelestis consiliis bellum gessere etiam in foeminas: quae uirorum instrumenta et exsecutrices³. Iure caesi, qui araldum pene uiolarunt, et mox capti fuerant⁴. Irreconciliabile hic bellum creditur⁵.

Quintus est casus sine dubio in subditis. Etiam dico, suspensos iure transfugas milites a fortissimo illo Ioanne Medice, Cosmi patre magni, auo magni Ferdinandi⁶. Etiam isti quasi per contractum et per sacramentum militiae subditi⁷. Alii subditi sic suspensi alibi, nec semel: et qui exsules. Atque de exsulibus tamen uidendum forte est amplius, siquidem isti pro peregrinis et prorsus extraneis haberi uidentur⁸. Et, ne tamen longum faciam, sic dico: quod etsi per exsilium aliquod (nam exsilium triplex) ciuitas pro certo amittatur⁹, quia tamen hoc est ad exsulis poenam, non eum iuuare potest¹⁰. Et horum temporum exsules, qui banniti dicuntur, siue (quod quidam dicunt, et minus probatur) deportatis, siue relegatis similes sint, in poena ad eum, non exsuunt subiectionem¹¹. Actiue, ut nostri inquirunt, hoc est ad commodum, isti sunt

¹ Guicc. 3. ² l. 37. de min. (D. 4. 4): Nou. 117. ³ Phi. de Ui. Mo. et de Fort.

⁴ Iou. 2. ⁵ Dio 42. ⁶ Guicc. 12. ⁷ Guicc. 9; Na. Co. 7. ⁸ Decia. 3. cons. 86.

⁹ Ant. Aug. 3. Em. 6; l. 5. de in. et re. (D. 48. 22); l. 2. de pu. iu. (D. 48. 1).

¹⁰ Bal. l. omnes populi (D. 1. 1. 9).

¹¹ Cla. § fi. q. 61; Ceph. cons. 22. 79.

extranei ciuitatis: sed passiue, hoc est, ad incommodum, non sunt extranei¹. Sic et ciuitas data aliquando ad incommodum apud Liuium: ut hic ad solum incommodum relinquatur. Etiam nunc saeuiet poena in istos qui in ciuitatem uenerint unde exsulant, nam et ubi exercitus ciuitatis est, ibi territorium ciuitatis est. Magis pro his excusandis subditis uidendum, quod traditum a magnis interpretibus est, ut si non iniusta opinione crediderint, se non fuisse subditos eius contra quem militant, hi nec puniendi sint, quasi subditi, seuerius; ut sic, qui secuti arma Gallica sunt Mediolanenses contra Ludouicum Sfortiam defenduntur; quia habebant Galli titulum aliquem in eo ducatu². Et Gallis illi Mediolanenses iam obstricti iuramento fidelitatis tenebantur. Quid priuatis fiet hominibus in istis principum de imperio controuersiis: quum in alterutram peccare partem necesse est; et quum quae est uicta, ea semper hostis patriae et rebellis iudicetur? ‘Si uicissent, dicendi posteris magni reges, qui nunc saeuissimi ‘hostes iudicantur:’ ait ille³. Illud tamen defendes quoque, quod factum ab Hispano est, quod cum pepigisset exercitui Gallico, ut de regno abiret Neapolitano, id pactum de Neapolitanis, qui in Gallico erant exercitu, negabat intelligi⁴. Nam etsi non potuerit in eos quid grauius statui, ut neque in eos Mediolanenses, propter regni illius ius multo maxime controuersum: retinere tamen Hispanus potuit quod suum existimabat. Debuerunt Galli exprimere de Neapolitanis. Nec enim fieri pax debet, nisi et adhaerentes nostri positi in tuto sint⁵. Et infideliter facit, qui sic non exprimit. Si non sunt expressi, non ueniunt adhaerentes. Expressis cautum firmiter est uel subditis et patriae proditoribus: ut responsa in iure sunt, et supersunt exempla. Hispani et transfugas suspenderunt bene. quicquid Itali indignarentur, suspensos milites quasi latrones⁶. Sed haec absolui, et de subditis.

Sextam noto occasionem saeuendi, si bis aliquis capitur. Et sic lego factum, bis captos fuisse suspensos⁷. Etiam Caesar, quos antea ceperat, iterum captos interficit. stultitiae deputans, seruare eos qui non semel

¹ Ceph. cons. 324; Liu. 8. 9.² Dec. cons. 410; Alc. 7. cons. 19.³ Oros. lib. 3. c. 20.⁴ Guicc. 6.⁵ Ang. cons. 257; Barb. 4. cons. 62; Liu. lib. 39.⁶ Iou. lib. ult.⁷ Iou. 26.

aduersati fuissent¹. Atque id defendes aduersus militem non sui principis, aut patriae suae, sed mercenarium qui propter ingrati uitium, quod contrahit dimissus semel, et iterum tamen ferens arma contra suum liberatorem, dignus uideri poena magna merito potest. quoniam eo in uitio nihil mali non inest, etiam iniustitiae; si gratitudo uirtus non solum maxima, sed etiam mater est uirtutum omnium reliquarum. ut eleganter disserit M. Tullius. Nihil tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quam committere, ut beneficio non indignus modo, sed uel uictus esse uideare². Sic Macedonia in seruitutem redacta propter hoc uitium³. Et rex regnumque Cypri publicatum. Uitium hoc redigit sub seruitutem manumissos. parentes armat contra liberos, datorum inducit reuocationem, certe praestat semper causam accusandi et puniendi⁴. Ceterum ut ciuis, uel captus millies, tractari possit ad eum infamem modum, aut aliter asperius, causa nulla est. Neque enim non tueri patriam, aut principi suo non parcere quisquam potest. 'Si arma quis patriae meae inferret, quicquid de me meruerat, perdidit: et, referre illi gratiam, scelus haberetur:' inquit Seneca⁵. Haec sexta causa saciendi, uitium ingrati. In qua de ciue quod dico, id in eo intelligo, qui parcere habet. Nam Caesaris factum defendo, qui eos captos sic tenebat, qui potuerunt (distracta in partes ciuitate) non minus Iuliani esse, quam Pompeiani: et elegerunt Pompeiani esse: et obstinatissimi illic fuerunt. An dicerent semper, poenitere se? 'Sed non est poenitentia, saepe petere ueniam de his quae saepe peccamus⁶.' Caesar sic distinxit: eos, qui ex delectu militarunt, condonatis omnibus iniuriis, inter suos milites adscripsit. ex senatoribus, equitibus, quos ante etiam captos misericordia fuerat prosecutus, omnes morte multauit. reliquos, qui tum primum contra ipsum arma tulissent, dimisit: nihil eos contra se deliquisse addens, qui, nullo suo beneficio affecti, studuissent rebus Pompeii, cuius essent amicitia usi. imo his tribuebat plus laudis, quam illis qui, beneficio affecti a Pompeio, eum descriuissent, etc. apud Dionem. Iniustus est, qui non tribuit cuique suum.

¹ Dio 41. 44.² Cic. pro Plane. 33.³ Sen. 3. de Benef.; Stra. lib. 15.⁴ 1. 5. de iu. p. (D. 37. 14); 1. 1. 7. 9. ult. C. de re. do. (8. 56); 1. 1. C. de in li. (5. 44); Nou. 114; Alex. 4. cons. 40; Cotta Mem. *ingratitude*; Sue. Cl. 25; Tac. 3. Ann.⁵ Sen. ult. de Benef.⁶ Cl. Alex. Str. 2.

ut non is tribuit, qui armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum. quod Cicero in hac Caesaris causa disserit¹.

At septimam saeuendi causam afferunt in eos qui commeatum inferre obsessis uoluerint: et capti sunt. Sic Carolus Burgundus capitale dicebat: et suspendi eos iubebat qui in obsessum oppidum, et tormentis oppugnatum, ingredi et obsessis opem studebant ferre². Uectores commeatum in obsessam arcem, in oppidum obsessum suspensi alibi, nec semel, nec nouiter³. Et in bello Senensi postremo Marinianus dux plures quinque millibus agrestium ita suspendit. nec ulla arbor homicidii nescia in eo agro superfuerit⁴. Atque hic scriptores aiunt, ita postulare rei militaris rationem, aliquando ad ceteros deterrendos saeuire in hos qui commeatum obsessis inferunt. Mihi tamen, si quae sit iustitiae ratio, nondum liquet. Nisi hic et de mercatoribus, mercenariis est aliquid distinguendum: nam ut isti milites non sunt, et non patriae adsunt, sed per auaritiam ducti huc sunt, ut potentiora arma contemnant, puniri et ita posse uidentur nec militariter. Mercenarii etiam naturalem amittunt nobilitatem⁵. Et milites mercatores non gaudent priuilegiis militum⁶. De aliis nullam extrico rationem.

Octaua, forte et iusta est occasio saeuendi, quam itidem animaduerto usurpatam, si cum infido et mobili hoste res sit. Sane contra ius belli esse, Sallustius dicit, ut ut dicat etiam utile, aut alia ratione excuset, factum huiusmodi⁷. Ego tamen et contra iura belli ordinaria factum aio, et esse tamen ab extraordinario atque singulari iure putauerim. Audi nunc Sallustium, qui sic de Capsanis, qui se Mario dederunt, 'Ceterum oppidum incensum, puberes interfecti, alii omnes uenumdati, praeda militibus diuisa. id facinus contra ius belli non auaritia neque scelere consulis admissum, sed quia locus Iugurthae opportuus, nobis aditu difficilis, genus hominum mobile, infidum, ante neque beneficio, neque metu coercitum.' Adde haec de Numidis, 'Nulla iurisiurandi, foederis, obsidum, reuerentia aut respectus. etiam si obsides filii, fratres, ductorum exercitus suorum. cum nullo pacem habent, nisi cum his, qui metu eos terrent⁸.' Adde de

¹ Cic. pro Marc. 10.² Commin. 6.³ Iou. 3. 26; Comm. Pii 2. lib. 11; Plut. Demet.; Isocr. adu. Callim.⁴ Nat. Co. 9.⁵ Tiraq. de Nob. 34.⁶ Bal. l. 6. C. de milit. (12. 40).⁷ Sallust. Iug. 89.⁸ Procop. 2. Uand. 8.

his alia, et de aliis barbaris, quae ubique leguntur. 'Foedus barbaris
' fidesque ex formula ¹.' Et dic mihi, quid ex iure ages cum istis qui, ueluti
ferae bestiae, indocibiles, et omne ius ignorant? Sic Caesar non parcit
iisdem Numidis Iubac, qui se ei dederunt ². Caesar sic saeue tractat
Gallos aliquando, tum ob alias causas, tum ut genti ad omnia consilia
mobili terribilis exempli notam inureret ³. Sic et Uercingetorigem ultro
se dedentem et supplicem uincit, in triumphum trahit, necat. et maleficia
illius uiri sic praeualuisse censuit ⁴. Nam duas praeterca causas non ualde
probo saeuitiae: et quia deditio sit facta quasi ex consilio credito salutari
magis. et quia extorta per ultimam desperationem. Quae enim improbitas
prudentialiae et fortitudinis est? Et defendi tamen causa posterior posse
uidetur ab his, quae de pertinaci studio disserui antea sermone altero. Et
Fridericus secundus Fauntinis, 'Qui, dum potest, delinquit, dignus est, ut,
' quantum potest, puniatur ⁵.' Et causa quoque prior: 'Est enim congruus
' pessimis conatibus, contra noxiam conscientiam sperare securitatem ⁶.'

Sed iam dico nonam causam. Si clades aliqua accepta sit, sic saeu-
it in captos ⁷. Sic alii, sic Galli, sic in Gallos, usque a uetustis
temporibus, in mulieres, in pueros, in infantes, in confectos actate, in tem-
plis, alibi. Sic Auarico, urbe Galliae, capto omnes in ea homines caesi
a concitatis ira oppugnationis, toleratorumque in ea laborum. Sic His-
paniae ciuitas Illiturga, Romanorum antea amica, reliquias exercitus
Scipionum, eo ut ad amicos refugas, prodens Pocnis, mox expugnata a
Scipione filio deletur funditus, caesis et mulieribus et paruulis. Quid si
carissimus occidisset? Negat Achilles, se supplicibus parsurum, inter-
emto Patroclo, ut antea faciebat libenter ⁸. Et Aeneas sic

'Furiis accensus, et ira

'Terribilis, postquam, saeui monumenta doloris,

'Balteus, et notis fulserunt cingula bullis

'Pallantis pueri: uictum quem uulnere Turnus

'Strauerat, atque humeris inimicum insigne gerebat.

'Sic ferrum aduerso sub pectore condit'

¹ Liu. 28.

² Dion. lib. 43.

³ Oros. lib. 6. cc. 8, 9.

⁴ Dio lib. 40. c. 42, 43. c. 19.

⁵ Sigo. 18. de Re. Ita.

⁶ Apul. 7. Asi. ad fin.

⁷ Herodot. 3; Dio 40; Iou. 2; Caes. 7; App. Hisp.; Liu. 28.

⁸ Hom. Il. 20.

Turno supplicii¹. Sic antea neque pepercit ob eundem Pallantem aliis supplicibus: ut dico ego postea. Sic Alexander Cosseorum gentem cœruit ad Hephaestionis inferias, et ad magnitudinem doloris sui mitigandam². Hoc tamen iniustum facinus: si Cossei nihil fecerunt in necem Hephaestionis. Selymus, multos occidi iussit iustius, sic ut parentaretur manibus Sinambassae: quem unice defleuerat³. Dolor maximus de his est quae (ut rixa, metusque) tollunt consilium: et credi faciunt, non excessum dolo modum⁴. Dolor nimius non deliberat, non uerecundatur, non consulit rationem, non metuit dignitatis damnum, legi non obtemperat, iudicio non adquiescit, modum ignorat et ordinem: id omnimodo et solummodo satagente animo, quo uel careat, quod se dolet habere, uel habeat, quo se dolet carere. Quae Bernardus⁵: et quae sunt eius generis alia passim. Non iustificat, sed excusat saeuitiam dolor. Non iustificat: quia etsi dolor tollit consilium, non tamen tollere debuit, ut sic qui per dolorem quid illicitum facit, is non in totum non punitur, sed mitius punitur et multum excusatur: docente Baldo⁶. Ubi cecidit uictorum dux Aurantius ad Uolateras, ibi captus caesus dux hostium hoc quoque dicitur nomine, ne dux captor uaderet, ubi dux occidisset capientium⁷. Et propter uulnus acceptum, etsi leue Scipioni apud Iliturgam etiam ibi saeuitum: et propter uulnus ducis saeuiri potuisse, notatum habes apud Pausaniam: nec saeuitum tamen⁸. Sane uero sic decet, belli impetus, quantum pote est, obligare: quod Liberique thyrso, multa obuoluto hedera, admeri notant⁹. Sic ad amplas illas superioris disputationis formulas ditionum hoc addendum est. Et quod si concessum tibi est, ut nocere etiam possis, id tamen accipiendum moderate est¹⁰. Si, ut possis arbiter auferre de iure nostro, etiam ut auferas moderate, et in parua quantitate, si, ut in magna quoque, sane quidem ne sit nimis magna¹¹: cum id genus alii: quae obligant potestatem exorbitantem.

An ergo dicemus decimam hic causam, si a suo principe, aut a suis aliis redimi captiui negliguntur? Utique Persa rex multa necauit millia, quos

¹ Virg. 12. Aen. u. 942. ² Plut. Alex. ³ Iou. 17. ⁴ Alex. 1. cons. 109; Cotta Mem. defensio.

⁵ Ber. Ep. 1.

⁶ Bal. l. 18. de sta. hom. (D. 1. 5).

⁷ Iou. 29.

⁸ Paus. 3.

⁹ Macr. 1. Sat. 19.

¹⁰ Castr. l. 2. de aq. p. a. (D. 39. 3).

¹¹ Bar. l. 6. pro soc. (D. 17. 2).

redimendos, duobus in singulos aureis, Mauritio imperatori: † et is redimere neglexit¹. Sic Annibal captos ad Cannas². At ego non uideo, cur isthaec fieri possint. Nihil ille princeps peccat in hostem: si nullum est iuris uinculum, quo hosti adstringatur redimere. Aut num dicimus, istud imo uinculum esse, quia uinculum est ex aduerso, redimendos praebere? Et adfirmemus illic tanto magis, ubi capti non fiunt serui, sed in hoc habentur, ut pretium habeatur redemptionis, alioquin onerosi habentibus? Utique id mihi ius uidetur, ut uinculum utrinque sit. Nec ius pacti de reuendendo est huic iuri simile; est enim a prouisione partis, quae sibi prouidet, non et alteri. hoc autem ius a prouisione legis est, quae pariter prouidet utrique bellanti. Et de hoc tamen quicquid est; in quaestione proposita dicam audenter, non esse istos captiuos despectos tractandos durius: ne afflictio addatur afflictio non ex sua culpa: qui nunc et est capientis magis, quam primi principis. Atque de his quoque tu cogites. Hactenus uero de captiuis per tempus belli. De sequenti habet sequens liber.

CAP. XIX.

De obsidibus.

DE obsidibus nunc est dicendum, qui uidentur ueluti captiui. Ut ecce filium Philippi et filium Nabidis obsides duxit Quinctius ante curram. non quasi captiuos? 'multi nobiles captiui obsidesque,' inquit Liuius³. Et, obsidatum nihil aliud quam seruitutem esse, dicebant Parthi⁴. Et sic nostro iure facere testamentum non posse uidentur, ut nullus hostium potius⁵. Et rescriptum recitatur Commodi, per quod obsidum bona, 'sicut 'captiuorum,' omnimodo in fiscum cogenda ueniunt. Sed uere non sunt isti captiui, et articulus 'sicut,' in rescripto est pro altero 'quemadmodum:' qui nihil praeterea ponit quam id quod necit similitudinem, ut in rescripto similitudinem necit de bonis tantum⁶. Facere autem testa-

¹ Nic. Call. ult. ² P. Diac. 3. ³ Oros. lib. 4. c. 20; Liu. lib. 34. c. 52. ⁴ Iose. 18. Ant. 4.

⁵ l. 11. qui te. fa. po. (D. 28. 1); l. 10. de te. mi. (D. 29. 1); l. 31. de iu. fi. (D. 49. 14).

⁶ Ias. l. si filius de lib. et po. (D. 28. 2. 7); l. 4. C. de inst. (6. 25).

mentum non possint obsides : quoniam ciues non sunt illic, ubi obsides sunt. Ut ciues esse debent scilicet, qui facere testamentum uolunt¹. Si etenim serui essent, bona eorum nulla essent. Atque coguntur bona obsidum in fiscum quasi uacantia. cum nullus sit obsidum heres in ciuitate : quae ciuibus solis praestat ius succedendi². Quod si ergo accepissent obsides togae Romanae usum, id est, ciuitatem Romanam impetrassent, tum hereditatem habere in ciuitate poterant³. Et ciuitatem tamen impetrare non potuissent, et esse ac manere obsides, seruique. Inepti sunt qui aliter tradunt de statu obsidum⁴. Et sunt tamen interpretes magni, qui seruos dicunt, non datos tamen inter Christianos. Sed nec serui sunt qui dati Turcisque sunt a Christianis, nam dati in pignus sunt, non in seruitutem. ‘Obsides sunt, qui fidei publicae seruandae caussa principi aut duci exercitus dantur.’ ut sic recte Baldus et Hugo Donellus⁵ : qui et docent, quod nos, captiuis male obsides comparari.

In illud uenit obses periculum, ut, si hosti non seruetur fides, etiam occidi ualeat. Et quidem plures interfectos scimus⁶. Thessali interfecerunt aliquando ducentos et quinquaginta. Romani Uolscos Auruncos trecentos. Gothi Romanos⁷. Daci mutilarunt⁸. Angli item necarunt. Et uero sic ius belli creditum⁹. Et atrox tamen uisum optimis imperatoribus, supplicium de innoxiiis sumere obsidibus : ut historiae narrant de Narsete, Carolomagno, aliis, qui pepercerunt¹⁰. Quod si ipsi peccarent obsides ; tum non foret sententia atrox, quae obsides damnaret. Sic et truncati capite, qui post suorum perfidiam dimissi, ut tamen non ipsi quoque se adderent perfidis, et contra hanc legem addiderunt se suis. Sic Tarentini, qui fugere tentarunt, retracti Romam, uirgis caesi et de saxo deiecti¹¹. Licuit (ait Bodinus) semper, obsides fugientes necare : etiam si expressum pactis de hoc non esset¹². Et nec istos tamen, Cloeliam et socias, sic multat Porsena, sed honorat remissas ibi (quod ius est)

¹ Bal. 1. cons. 460; Cuiac. l. 11. qui te. f. p. (D. 28. 1). ² l. 1. C. de her. inst. (6. 24).

³ l. 32. de iu. fi. (D. 49. 14) et Bal. d. 460. ⁴ Acc. alii d. l. 11 et c. 9. de iureiur.

⁵ Don. 4. Com. 21; Bal. l. 2. C. de pa. qui fi. di. (4. 43). ⁶ Plut. de Cla. Mu.; Liu. 2; Diony. 6.

⁷ Procop. 1. Goth. ⁸ Polyd. 5. 7. 15; Bod. 1. de Rep. 10. ⁹ Flor. 3.

¹⁰ Agath. 1. Goth.; P. Aemil. 2. ¹¹ Liu. lib. 25. c. 7.

¹² Bod. 5. de Rep. ult.

a Romanis¹. Ius hoc esse dico. quia obsides non sunt captiui: quibus fugere ius est. Obsides enim dati sunt conuentu, ut apud hostes sint, quam non licet fallere conuentionem: non magis quam recipere rem datam pignori citra furti crimen². Ergo iuste Eduardus tertius rex Angliae Gallum accusat, quod contra ius foederis receperit obsidem fugientem³. Uidetur is facere furtumque sui, quemadmodum fugiens seruus, coque nomine etiam accusandus recipiens⁴. Si item obsides sic obligantur, ut, si uel unus eorum fugisset, soluta omnibus esset fides, atque unus fugerit: uideri, reliquos morte affici posse. Sic Athenienses ex facto interfecerunt reliquos⁵. Uidentur enim nunc et inuicem obsides: et quasi duo rei inuicem fideiussores⁶. Ait Baldus, quaestionem esse difficilem, si duo aequae principaliter obligati uideantur inuicem fideiubere. alibi sic probat tamen⁷. Et hic ita expresse prospectum est. Neque illae rationes huc afferentur: non esse membrorum suorum aut uitae suae quemquam dominum⁸: et ad poenam corporalem posse neminem se pro alio obligare: et non ualere illas conuentiones de se dedendo in manum et arbitrium offensi hostis. Uides enim contra esse ubique in hoc bellico negotio, ubi et necessitas sic postulat: puta, ut nunc sumus in obsidibus: cum non sit magistratus qui ratas efficere pactiones, et ulcisci crimina possit: quamquam et ualere illiusmodi conuentiones dicantur, si moribus receptae sint⁹. At uero si qui obsides accepti, is illos inuitos inuicem uelit obligare, hoc iuste non poterit. quia non sic addere primae legi potest. Posse, mihi uidetur. Quicquid Baldus scribit, inuitum non obligari istum hic subditum, et neque infantem, aut similem alium¹⁰. Nam a ciuilibus definitionibus ad has gentium argumentatur: quum ratio diuersa est et obseruatio. Etiam constitutio ius est: et ea est in more et iudicato¹¹. Et Baldi tamen auctoritas multum tueri obsides ualet; et nemo sibi obligat alterum inuitum. Princeps, ciuitas, obligat obsides uel nolentes, iure potestatis, quodque ciuis patri patriaeque debet. Uasallus quidem nequit obses inuitus dari: nisi id sit in inuestitura expressum¹². Sed subditi tenentur magis obedire quam

¹ Liu. lib. 2. c. 13. ² l. 12. de fur. (D. 47. 17). ³ Polyd. 19. ⁴ l. 1. C. de ser. fug. (6. 1).

⁵ Thuc. 4. ⁶ l. 11. de duo. re. (D. 45. 2). ⁷ Bal. 1. 198. Rep. 5. 466, 1. 285, 5. 135.

⁸ Aret. Inst. tit. 1; Rom. cons. 15; Ceph. 690. ⁹ Menoch. de Arb. q. 7.

¹⁰ Bal. 1. 2. C. de pa. qui fi. di (4. 43). ¹¹ Quinctil. lib. 12. c. 5. ¹² Cuiac. 2. de Feu. 7.

uasalli¹. eosque cogere ob publicum commodum princeps potest². Atque sic si ipsi peccarunt obsides. Quum alii peccarunt, mihi quoque atrox uidetur, si obsides puniuntur. Sed et iustum est, et expedit. Sic enim fides, rerum pretiosissima, asseritur, et ius delicatissimum militiae. Neque is unus est casus, quum alius peccat, alius plectitur. ut per uarias et multas rationes discussi in quaestione de filio perduellis puniendo. Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur³. Sed et sic uenerunt obsides: itaque poena ex conuentione est: et ergo iusta, sicut si ex culpa ueniret, aut ex peccato, quod theologique scribunt⁴. Inquit autem Ioannes Bodinus, desitum esse, occidere obsides, postquam sperni fides coepta est, quasi nimis saepe patrandae hodie essent caedes istae atroces innoxiorum obsidum, si sic perfidia aliena semper uindicaretur. At ego contra putem, desitum esse seruari fidem, postquam omitti uindicatio perfidiae coepta est: ut uitia uolent impunita.

Nunc de custodia obsidum. Et liberi cum sint, utique liberaliter sunt custodiendi. Et poterunt tamen ita custodiri, et custodiri ita solent, ut fugere non possint. 'Ut in priuato obsides seruarentur: neque in publico cum proceundi facultas daretur:' legis in historia Romana⁵. Scilicet obsides accipiuntur, quia non fidentur. Et non igitur uidentum est, quid iure possint, sed quid quoquo possint modo: et ut pignus fidei omni modo saluum sit. Quaero praeterea duo. unum, si obsides, in unam caussam dati, possint in aliam retineri. alterum, si principe mortuo qui dedit, aut pro quo dati sunt, retineri nihilominus possint.

Et in primo, uel si obsides sint quasi pignus, respondendum est, retineri eos in caussam aliam non ualere. Nam 'si in sortem duntaxat uel in usuras obstrictum est pignus, eo soluto propter quod obligatum est, locum habet pignoraticia⁶.' At sunt obsides quasi illi qui in carcere positi sunt ob debitum unum: quique ibi nequeunt propter aliud retineri: ut in responso quodam Baldi est⁷; ubi, quod pignoribus etiam improprie carcerati conferantur, et obsides. Quare nec est diutius de primo isto disceptandum. Etiam in lectura sic tradit Baldus,

¹ Natta cons. 414; Bello. 49.² Rip. l. 8. de leg. 1 (D. 30).³ Tac. Ann. 13. 14.⁴ Bellar. 5. Contr. 3. c. 11.⁵ Liu. lib. 32. c. 26.⁶ l. 11. de pi. act. (D. 13. 7).⁷ Bal. 5. cons. 90.

obsides non esse pignori et itaque non seruire: non uenire aliis pro pignore: similia non pati habere¹. non ligari, at teneri custodiis, Seruius notat ad illud Uirgillii, 'Et fluuium uinclis iuuaret Cloelia ruptis.'² ubi putem ipse tamen figuratum sermonem esse de iuris uinclis.

Secundum Romae contigit, et pronunciatum facto fuit, obsidem non esse liberum³. Quod magnum praecudicium est: nisi si paruum sit, quia iudicium fuit in causa propria Romanorum, sic pro se iudicantium. Neque tamen decet, ita conuellere eius senatus et populi auctoritatem. Per nostras leges liberatur fideiussor tamen, qui spondit, 'Titium non facturum,' isto mortuo⁴. Etiam distinguendum uidetur, an dictum sit, 'Titium regem Syriae non futurum:' et itidem liberetur fideiussor moriente Titio, an ita, 'Syriae regem Titium non facturum:' et fideiussor non liberetur⁵. Quasi in priori casu adiectum de rege sit ad demonstrandum, quis ille sit Titius, pro quo promittitur. in posteriore de Titio ad ostendendum regem qui tum est. Si in priori sit considerata persona organica, et pro ea promissum sit: in posteriori autem sit persona mystica, et pro ea promissum. Et finiat itaque prior promissio: quia persona organica finit, non finit posterior: quia mystica non finit. Uerum, si istae distinctiunculae iuris ciuilibis obtinere hic habeant, alius censuerit. Portius hanc ipsam uerbalem, non realem, spernit⁶. Et alii alias non laudant⁷. Illa potiora: quod plerumque persona pacto inseritur, non ut personale pactum fiat, sed ut demonstretur, cum quo pactum factum est⁸. Et nomen, quod profertur principaliter, illud attendatur. de qua principalitate etsi appareat aliquando ex ordine, magis tamen ex eo semper quod in contrarium deductum est: et ex persona, quae istud exsequi et implere habet, ac potest⁹. Quae Baldus explicat. Et leges inquirunt, 'Non ordo scripturae spectatur, sed potius ex iure sumitur id, quod agi uidetur. Ordo scripturae non impedit causam iuris¹⁰.' Et sic sentio in supra proposita specie. Nam casus sunt, quum non transit res in successorem: etiam et quum nomen

¹ Bal. l. 2. C. de pa. qui fi. di. (4. 13). ² Seru. Aen. 8. u. 650. ³ App. Syria.; Iust. 34.
⁴ l. 7. de co. et de. (D. 47. 22). ⁵ l. 37. de sti. ser. (D. 45. 3) not.; l. 1. de off. ei. (D. 1. 21).
⁶ Port. rubr. Inst. de oblig. (3. 13). ⁷ Bal. l. 112. de U. O. (D. 45. 1).
⁸ l. 7. de pact. (D. 2. 14). ⁹ Bal. C. de de. li. to. (7. 5) et l. S. C. qui te. fa. po. (6. 22).
¹⁰ l. 6. de solut. (D. 46. 3); l. 77. de leg. 2. (D. 31).

proprium nullo modo adsumtum est : ut quum est factum compromissum in regem : quum est dictum, pro honore regis quid fieri : etsi additumque et pro honore maiestatis¹. Nam personam respiciat nomen regis : et ergo parte hac mixti exstincta, exstinguatur mixtum, et pars altera, quae respicit dignitatem cum uocabulo maiestatis. Ut gemino responso est apud Baldum.

CAP. XX.

De supplicibus.

AGE uero uideamus nunc de his quae maxime fiunt inter arma et praelia ; et quae ad hanc belli gerendi partem restare sola uidentur. Et primum de supplicibus.

‘ Inde Mago procul infensam cum tenderet hastam,
 ‘ Ille astu subit, ac tremebunda superuolat hasta ;
 ‘ Et genua amplectens effatur talia supplex :
 ‘ Per patrios manes, et spes surgentis Iuli,
 ‘ Te precor, hanc animam serues².’

Sic et Liger supplicat. Sic et Turnus :

‘ Ille humilis, supplexque oculos, dextramque precantem
 ‘ Protendens.’

Et non his parcit pius Aeneas. Ut neque Achilles parcit supplicibus post Patroclum interentum³. Non parcit Aeneas Mago : nam

‘ belli commercia Turnus
 ‘ Sustulit ista prior, iam tum Pallante peremto.’

Non quod Pallas supplex, cui Turnus non pepercerit : sed quod in tanta rei acerbitate, quam Turnus effecit, mitiora isthaec hosti reddere Aeneas non habuit. Sic ‘ Uitellio rescriptum, Sabini caede et incendio Capitolii ‘ diremta belli commercia⁴.’ Aeneas non parcere habuit Ligeri : qui uesanus

¹ Bal. 3. cons. 121. 217.² Uirg. 10. Aen. u. 521.³ Macr. 1. Sat. 2.⁴ Tac. 3. Hist. 81.

multa prius in Aeneam maledicta aut superba effuderat. Et itaque pius heros, 'Haud talia dudum, dicta dabas.' Et nos antea de his malediciis adnotauimus. Non Turno parcere habuit. quicquid dissertet Casertanus contra¹. Etenim inferiae dandae Pallanti fuerant haec gratissimae. Ergo immolat Turnum, non simpliciter interficit. Et nec ipse immolat Aeneas: nam 'stetit acer in armis Aeneas, uoluens oculos, dextramque repressit: 'Et iam iamque magis cunctantem flectere sermo coeperat.' Pallas est qui immolat. Et factum hoc stat ex illa religione: ut bene defendit contra Lactantium Piccolomineus doctissimus, simul et Torquatus Tassus. Persepolim excindendam dicebant Graeci, et urbis eius excidio parentandum maioribus². Et non sunt ulla aut Aristotelis aut cuiusquam alterius documenta quae non cedant religioni. Etiam sensus concedunt. Opinio uerisimilitudini, intellectus rationi, fides auctoritati innititur³. Fides rationem non quaerit, sed ante rationem credit. quia nec quidquam sit magis contra rationem, quam per rationem illuc conari, quod supra omnem est rationem. Quae Bernardus. Et quae apta omni religioni ac fidei. Uerum et immeritus Turnus, cui alias parceretur: qui foedus a regibus ictum turbauit. unde aitque Latinus, 'Arma impia sumpsit.' et de suis, et de Turno antea,

' Ipsi has sacrilego pendetis sanguine poenas,
' O miseri. Te, Turne, nefas, te triste manebit
' Supplicium⁴.'

Turnus contraque pactum, a se cum Aenea initum, decurrit: Aenea abscedente uulnerato per perfidiam: qui pactum firmum facere conabatur: etiam post acceptum uulnus,

' Ipse neque aduersos dignatur sternere morti:
' Nec pede congressos, nec equo, nec tela ferentes
' Insequitur: solum densa in caligine Turnum
' Uestigat.'

Et percusso a Messapo, magno hostium ductore, uix tandem irae assurgunt. Et tum, 'Multa Iouem, et laesi testatus foederis aras, iam tandem

¹ Caser. 2. de Si. Ce. 7.

² Picc. 6. Mo. Phi. 12; Tass. 1. de Nob.; 5. Cur. 7.

³ Ber. 5. de Consid. et Ep. 190.

⁴ Uirg. 7. Aen. u. 595.

‘ inuadit medios.’ Et ergo utrumque illud, ‘ Pallas te hoc uulnere, Pallas
 ‘ immolat : et poenam scelerato ex sanguine sumit.’ Adde illa Scaligeri,
 ‘ Neque deprecantem Turnum interficit, donec alteram fortitudinis partem
 ‘ potioem ducat: ultionem scilicet necessitudinum; itaque ne se quidem
 ‘ auctorem uult facere, ut alibi,’ Aeneae magni dextra cadis¹: ‘ sed reiecit
 ‘ in necessitatem: et Pallanti immolat tamquam inferias pro uictima, non
 ‘ tamquam hostem, qui bellum intulerit: non riualem, qui uxorem petat:
 ‘ non fortunarum depopulatorem, qui regno arceat.’ Etiam Euander hic
 agit, qui Aeneae ait, ‘ Turnum gnatoque patrique, quam debere uides
 ‘ meritis, uacat hic tibi solus fortunacque locus,’ etc.² Non dico strages a
 Turno editas: non uerba contumeliosa dicta etiam in Aeneam,

‘ Longe illi dea mater erit, quae nube fugacem

‘ Foeminea tegat, et sese occulat umbris.’

Sic ignauos Aeneadas, sic Aeneam desertorem Asiae, semiuirum Phrygem
 uocitat, et per opprobrium exprobrat ei ‘ crines uibratos calido ferro,
 ‘ myrrhaeque madentes.’ Propter quae nec parci Turno oportuit. Sed et
 in ardore pugnae quomodo exaudientur supplices? Et neque ius exigit, ut
 tum parcat: cum inconstans sic quaereretur uictoria. Decet bellatorem
 hominem in conflictu aduersus hostem omni posthabita mansuetudine
 atque clementia saeuire: ut inquebat Pausanias³. Et sic Lacedaemoneii
 cum Homero Martem uocarunt ‘ immisericordem, insanum.’
 Et sic alia sunt. Uictoria iam certa superest quaestio. Atque scribit
 Plato, ‘ Omnium, tum in ciues, tum in peregrinos, maximum est pec-
 ‘ catum, quum peccatur in supplices⁴.’ Et Hesiodus, ‘ Par est delictum,
 ‘ si quis et supplicem et hospitem malo afficiat⁵.’ Aliquis autem legis-
 lator, ‘ In supplices beneficum esse, id opus conueniens esse et humano
 ‘ generi⁶.’ Et Siracides, ‘ Supplicem afflictum ne abiicias⁷.’ Sic Cicero
 non semel ait, probare uulgo omnes, ut quisque afficiatur miseratione
 supplicum: atque esse ferinum penitus, in eos saeuire⁸. Imo canibus
 peiores dixerit Aristoteles hos qui supplicibus non parcunt⁹. Canes non

¹ Scalig. 3. Poet. 12. ² Uirg. 11. Aen. u. 178. ³ P. Ualer.; Hiero. 1. *robur*; Seru. 8. Aen.

⁴ Plat. 5. de Legi.

⁵ Hesio. Op. u. 325.

⁶ Tib. const. 1. pr.

⁷ Eccl. 4.

⁸ Cic. 1. 2. de Inu.

⁹ Arist. 2. Rh. 3.

mordent prostratos. 'Non armatos, neque in praeficio belli iure, sed sup-
 'plices interfectos.' sic Sallustius infamat¹. Deo curae supplices: ut aiunt
 alii². Et idem Plato, 'Deus afflicti supplicis custos exinius.' Et ille, qui
 Aetolos hortatur ad deditioem, 'Uercundiam supplices uiolandi impo-
 'netis Romanis³.' Et itaque Priamus contra Neoptolemum, 'At non ille,
 'satum quo te mentiris, Achilles Talis in hoste fuit Priamo: sed iura,
 'fidemque supplicis erubuit⁴.' Supplices sacrosancti. Et contra eorum
 uiolatores ira Dei implacabilis; ut legis apud Pausaniam⁵. Et apud Euripidem⁶,
 qui philosophus scenicus nuncupatur⁷, et cuius singuli uersus sin-
 gula testimonia censentur⁸, sic habetur, supplicem interficere haud fas esse.
 Et Thueydides de Graeciae ritu haec adfirmat⁹. Et de Pythagora hoc
 idem defendunt alii, non esse supplices uiolandos¹⁰. Atque haec igitur
 plurima sunt, ex quibus ius possit confici, quod uestigamus. Ecce enim
 sic tradunt philosophi, legistatores, theologo, poetae, historici; Romana
 historia, Graeca, barbara.

Sed uidendum est tamen, si de supplicibus qui in templa confugerunt,
 et itaque tutis per loci religionem, capientur supradicta. Nam et ita
 significat Plutarchus alicubi¹¹. Et quaedam ita sunt; et Tacitus ait,
 'Liberum patrem bello uictorem supplicibus Amazonum, 'quae aram
 'incenderant, ignouisse¹².' Et Alexander ita Tyriorum praecipuis parci-
 qui in templum Herculis confugerunt: etiam regi¹³. Agesilaus, etiam
 uulneratus, his parci- qui ad templum perfugerant: et irac religionem
 antetulisse narratur¹⁴: nec modo ueneratus est in Graecia, sed et
 apud barbaros templa. Et sic hostes simul sunt Deo: sanctitate templi
 insulaeque praestante omnes inuiolatos, et inducias praebente religione¹⁵.
 Etiam rex ipse Perseus, uictus a Romanis et profugus, illic tutus. Uandalis
 parci- Belisarius: atque suscipit illos sic in fidem: qui profanatores et erant
 templorum, et cultu Ariano; armatos autem tantum exarmat¹⁶. Parci-
 Totila per fugis in templa, iterum capta Roma¹⁷. 'Quod belli iure fieri

¹ Sall. Or. 1. de Rep. n. 36.² Diony. lib. 7. c. 53.³ Liu. lib. 36. c. 27.⁴ Uirg. 2. Aen. u. 540.⁵ Paus. 3. 7.⁶ Lucia. Piscat.⁷ Ath. 13.⁸ Q. Cic. ult. Fam. 8.⁹ Thuc. 3.¹⁰ Diod. 11. 12.¹¹ Plut. de Superst.¹² Tac. 3. Ann. 61.¹³ Arria. lib. 2. c. 24.¹⁴ Nep. Ages. 4.¹⁵ Liu. lib. 44. c. 29; Plut. Aemil.¹⁶ Procop. 1. 2. Uand.¹⁷ Procop. 3. Goth. 36.

‘licuisset, illicitum sibi esse iudicarunt:’ ait hic Augustinus de Alarico, qui sic reueritus templa¹. Sed in eo errat theologus, si licitum in templis dicit, contra quam defendimus nos. Et uero non legerat, aut non meminerat supra narrata a nobis: qui et scribit, non legi factum unquam, ut istis parceretur. Imo Priamum occisum fuisse ad aram. Imo enim, inquam ego, notatum, si quando factum non fuit. ‘Nec religio inter arma hostilia ‘supplices textit:’ Seneca notat². Quid de Priamo? Eius uxor, ‘Huc tandem concede: haec ara tuebitur omnes.’ Sed ille linguam armat et manum: non sedet ad aram supples. Nec igitur parcere Priamo necesse fuit aut ius. Ceterum neque iuri huic locus forte sit inter diuersarum religionum homines. Nam ecce Machabaei et templa et perfugas in templis combusserunt³. Templa nostra Saxones, olim idololatrae, incenderunt⁴. At ista non recito. quae nec sunt pauca. Nicetas id contra Latinos exclamat, diripuisse eos templa, et ad ea refugis non pepercisse⁵. et Turcas humaniores: qui captis Hierosolymis nec matronas uiolarunt, nec sepulcrum foedarunt. Ratio autem contrariorum factorum (si eorum est ratio, quae non probes) haec fuerit, quod loca sacra esse desinunt capientibus, quae erant sacra captis⁶. Communis religio potest tueri fugientes ad loca sacra, quasi fugientes ad uinculum quod per bellum non est solutum. ‘Unitate ‘religionis sociatae gentes conscientiam aliae aliarum implorant⁷.’ Sic supplicant confugientes ad loca sacra. Et quia supplicant, parcendum sic eis est. Supplicatur tamen et per communionem naturae. quae communis manet semper, si homines non sint ferae. Natura communis etiam est hostibus. ut inquit Baldus⁸. Et sic supplices possunt ubique esse. Et siue ad genua accidunt, siue attingant genas, barbam, mentum, aut etiam osculentur, uictoris, (quae rationes olim supplicandi⁹) et siue aliter, uerbo, nutu significant se supplices. Parcendum est supplicibus. Quae ab Atheniensibus indicata lex: et ab aliis excepta gentibus dicitur; et nunc ostenditur¹⁰. Remedium potentissimum: quo hostis placetur. ‘Non ueniant’ (ait ille) ‘supplices, ne animus tuus creditus immitior uideatur: qui non

¹ Aug. 1. de Ciui. 1.² Sen. 7. de Benef. 27.³ 1. Macc. 5 et 10.⁴ P. Aemil. 2.⁵ Nicet. Andr.⁶ 1. 36. de relig. (D. 11. 7).⁷ Oros. 5.⁸ Bal. 5. cons. 54.⁹ Eurip. Iphig. Hecub. Andr. Med. Elec. Bacc. Suppl.; Aug. de Cu. pro Mor. 5.¹⁰ Diod. 13.

‘ nisi extremis remediis possit placari¹.’ At unum nunc audi. Neque etiam atrocissimis olim hostibus, nunc supplicibus, parcitur: ut Gylippus recte apud Diodorum. Parcitur his qui innocenti animo, aut communi culpa humana, uel fortunae coguntur inclementiam experiri, uel non extraordinarium facinus deprecari. Ciuitatum illarum refugii ius, quod in lege Moysis est scriptum, hic supplicibus aptabitur rectissime². Uelim ius asyli his esse: quod itidem infelicibus tribuitur recte; aut in dubiis caussis, ut interim tuti sint qui eo fugiunt, donec liqueat de re³. Alioqui ut sunt asyla sublata merito, quae inuitare malos adue malum uidentur: ita ego, supplicibus saepe oclusas esse debere uictoris aures, aio⁴. Audisti de dedititiis.

CAP. XXI.

De pueris et foeminis.

DIGNI quibus semper parcatur, pueri: et dignae foeminae sunt. ‘Foe-
 ‘ mina nomen hostis non capit;’ inquit Seneca⁵. Et alius, ‘Stat sexus
 ‘ rudis, insciusque ferri⁶.’ Et ergo quod tractare nequeant arma, sicut
 clerici, excluduntur a feudis foeminae⁷. Sed et ‘corporalia munera foe-
 ‘ minis ipse sexus denegat⁸.’ Aut quid peccatum a pueris, a foeminis est?
 Et ergo his parcitur⁹. ‘Cum captiuis et foeminis gerere bellum non soleo.
 ‘ armatus sit oportet, quem oderim;’ dicebat Alexander¹⁰. ‘Iure belli in
 ‘ armatos repugnantesque caedes;’ ait Liuius¹¹. Sic parcit pueris Pau-
 sanias: et sic respondit, pueros participes factionis non esse¹². Atque leges
 nostrae, quod ad finitas crimen non admittit: et quod isthaec actas quod
 uidet ignorat: et quod in paruulis nulla deprehenditur culpa: et quod
 affectu carent¹³. Ea actas ignorat dexteram et sinistram: dicit Deus:
 quod est, boni et mali differentiam ignorat¹⁴. Sed haec sexcenta sunt.

¹ P. Aemil. 1. ² Deut. 19. ³ Mor. Rich.; 1. Reg. 1. ⁴ Str. 14; Pap. Pract. For Inq.

⁵ Sen. 4. Oct. ⁶ Stat. 1. Syl. u. 53. ⁷ Alex. 1. cons. 30; Dec. 130.

⁸ l. 3. de mun. et hon. (D. 20. 4). ⁹ Ceph. cons. 699. ¹⁰ Cur. 5. ¹¹ Liu. lib. 28. c. 23.

¹² Hierodot. lib. 9. c. 88.

¹³ l. 1. ne uis fi. (D. 43. 4); l. pe. de fi. li. (D. 40. 5); l. 22. C. de poe. (9. 47); l. 1. C. de fa. mo. (9. 24).

¹⁴ Ionae 4; Hierony. Ep. 7.

‘Arma habemus’ (inquit Camillus) ‘non aduersus eam aetatem cui. etiam captis urbibus, parcur, sed aduersus armatos.’ Nota est historia impii paedagogi Faleriorum puerorum. Addit autem dux Romanus, ‘Nobis cum Faliscis, quae pacto sit humano, societas non est: quam ingenerauit natura, utrisque est, eritque. sunt et belli sicut et pacis iura¹.’ Recitant aliique hoc Camilli factum, et cuncti laudant. Imo Ualerius Maximus facit iudicium senatus, ut pueri remitterentur²; et factum refert in tractatu de iustitia. ‘Camillus uir sanctus et sapiens eam sciebat ueram esse uictoriam, quae salua fide et integritate pararetur.’ ita Florus³. ‘Focdum facinus uisum Camillo: qui ad suosque, saeua res bellum est, cumulumque secum trahit iniuriarum et uiolentiae. Sunt tamen bonis uiris certae belli leges: neque enim ita est ad uictoriam incumbendum, quin sceleste et impie factorum nomen declines.’ ita apud Plutarchum⁴. Respuit et abominatus est Minos oblatum sibi Nisi a Scylla filia crinem fatalem,——

‘Minos porrecta refugit:

‘Turbatusque noui, respondit, imagine facti:

‘Dii te summoueant, o nostri infamia seclī!’

Haec illa furibunda, quae respondit,

‘At belli saltem captiuam lege necasses!’

Neque enim haec est lex belli in uiros, et tanto minus in foeminas. Ut uero qui cum parricida conspirat, parricida censetur, et quasi parricida punitur: ita Minos filiam parricidam est detestatus, Camillus parricidam paedagogum⁵; nam praeceptorem sancti uoluere parentis esse loco⁶. Et itaque, uocari in ius nec posse sine uenia, uoluerunt, tamquam parentes a liberis. Laesa porro uideri poterant iura belli, si pueros illos accepisset Camillus, quoniam ut nocere illa aetas nec solet, nec potest: ita neque noceri eidem debet. Laesa et naturae societas foret, quae omnino illi manet aetati, quae in nullo eam uiolauit. Et sicut, ad ius publicum quod attinet, nihil est ius paternum: ita nec ad ius naturae filiis disperdendum, quod a patre nec est, faciat quidquam paternum ius et factum paternum⁹.

¹ Liu. lib. 5. c. 27.

² Ual. 6. c. 5.

³ Flor. lib. 1. c. 12.

⁴ Plut. Cam.

⁵ Ouid. 8. Metam. 95.

⁶ Uirg. Ciri. 447.

⁷ l. 6. 7. de parric. (D. 48. 9).

⁸ Alc. l. 1. C. de in ius uo. (2. 2).

⁹ l. 14. ad Tieb. (D. 36. 1).

• Liberis, quae non a patre, sed a genere, a ciuitate, a rerum natura tribue-
 'rentur, ea manere incolumia¹, non eripi propter crimen paternum, dicit
 Alphenus, dictat ratio. Quo igitur in facto naturalis ratio laeditur admissio,
 id admitti nec debet. Hostilitas cum nullo tollit obligationem naturalem,
 tanto minus cum his².

Ut uero consilium Camilli laudatissimum est, et a nobis probatur, qui
 remisit ductos sibi pueros, et paedagogum ductorem: ita nec laudabitur,
 nec probabitur diuersum Aristomenis in Lacenis intercipiendis uirginibus
 factum, et pretium exactum pro earum liberatione³. Actas puerorum
 infirmior: sexus mulierum infirmior. Ut utrique sit indulgentum. Hic
 excipio tamen mulieres quae supra communem sexum agerent uirorum
 munia. Neque enim Amazonibus (non hae fabulosae, quae etiamnum
 alicubi in Aethiopia esse dicuntur⁴), Sacidis, Iberis, Artemisiae, Zenobiae,
 Uictoriae illi 'matri castrorum,' cognominatae, Danicis ductricibus exer-
 cituum, id genus aliis fortissimis foeminis, indulseris magis quam uiro
 ulli: non furialibus illis quae ad Monam insulam Suetonio Paulino
 occurrerunt⁵. Non illis quae in Socratis aut Platonis republica tum alia
 ciuitatis communia cum uiris, tum haec quoque bellica tractent⁶. Sic ducit
 in triumphum Aurelianus, imperator ferocissimus, mulieres quas uirili
 habitu pugnantes cepit⁷. Sic multas etiam caeciderat. Nam quod
 Spartani ab Argis oppugnandis abstinerint, quia in defensione essent
 mulieres, quas laedere fuisset ignominiosum, nihil hic est. hic enim in eo
 quod uiros agunt foeminae, non sunt foeminae, sed uiri⁸. Et facile sic
 tucremur omnia, custodibus foeminis positis et defensoribus. Alterum
 igitur uerum fuit, abstinuisse oppugnatione Lacones, quia ignominiosum
 fuisset, laedi atque repelli a foeminis, quod itidem dixere.

Sed hic incidit quaestio, si istae mulieres aut eo nomine tractari possint
 indignius quam leges bellicae permittunt, quod intra suum sexum non se
 tencant, et quod uirilia induant: nam hoc nomine uituperatam etiam a
 suis Gallis, et hoc quaesito colore necatam ab Anglis hostibus puellam illam

¹ l. 3. de in. et re. (D. 48. 22).

² Garz. l. 5. de pact. (D. 2. 14).

³ Paus. lib. 4. c. 16.

⁴ Hipp. de Aer. et 3. de Art. ubi Mer. et 3. Lect. 7; Diod. 4; Arria. 7; Plut. Alex.; Iust. 12.

⁵ Cl. A. Str. 4; Herodot. 7; Tac. Ann. 14; Iust. 2. 25; Diod. 17; Poll. Tyr.; Leo. No. 48; Sigo. 11.
 de Re. Ita. ⁶ Plat. 5. de Rep. et 7. de Le. ⁷ Uopis. Aucl. ⁸ Paus. 2; Cl. A. Str. 4.

Lotharingam narrant¹. At ego puto, non huc spectare Dei legem. 'Non inductur mulier ueste uirili²:' quam et de armis alii expresse accipiunt. Alibi autem de ea lege latissime disputauit. Hic tantum dico, 'Magna quaestio est, utrum patriae liberandae causa muliebri tunica indutus debeat hostem decipere. Et utrum sapiens, qui aliquo modo certum habeat, necessariam fore uitam suam rebus humanis, malit emori frigore, quam foemineis uestibus, si aliud non sit, amiciri. profecto cernis. quantae inquisitionis indigeat, quatenus ista progredi debeant, ne in quasdam inexcusabiles turpitudines decidatur:' ut sic Augustinus ad eam legem³. Istae sunt absurditates inexcusabiles: quae praecepto diuino referendae non sunt. Sed redeo ad tractatum. Controuersiam iudicii militaris, ait P. Iouius, quam peterent Hispani, captas mulieres sine pretio sibi ab Italis reddi: et Itali hoc se facturos negarent: atque pro illis ratio fuerit humanitatis, et mos antiquus, ut imbelle genus omni censeretur uexatione indignum: pro Italis autem clades Romana recens fuerit, ubi redemerunt ab Hispanis etiam puellas infantes auro multo⁴. Ego dico, ius pro Italis fuisse: qui Hispanis reddiderunt quod Hispani dederunt primi exemplum malorum et iniustitiae. Sed attende ad nobilem regis Gallorum definitionem: qua et adprobata fuit iustitia Italarum, et defensum una ius istud quod dicimus foeminarum: nam largitur rex Italis pecunias, Hispanis foeminas restituit liberaliter.

Et habes duas causas, cur hic aetati sexuiue non parcitur. si uirorum munia induant foeminae. Si hostes his antea non pepercerunt. 'Beatus, qui rependet tibi: et dissipabit paruulos tuos allidens ad petram:' inquit Psaltes⁵. Et si uoles id referre simpliciter ad Dei iussum: quae causa tertia: et hoc potes. Sic Moyses et foeminas et paruulos interficit: qui lege sancit tamen, ne foeminae aut paruuli interficiantur⁶. Non est ulla iniquitas, si, iussum sequendo Dei, matrem cum filiis deleueris⁷: ut a prisco aeuo est prouerbialis locutio: omnes scilicet ad internecionem sine ullo sexus aetatis discrimine Deus auctor uitae et necis supra legem omnem longe iustissimus⁸; nec dicti, nec facti sui rationem reddet. est

¹ Comm. Filii 2, lib. 6. ² Deut. 22. ³ Lyr.; Caiet.; Aug. q. 32. ⁴ Aug. 2. Soliloq. 16
⁵ Iou. 41. ⁶ Ps. 137. ⁷ Deut. 2. 3. 20. ⁸ Bell. 5. Con. 3. c. 15. ⁹ Gen. 32; Os. 10.

enim rerum omnium iudex maximus. cuius non est argumentari, sed pronuntiare: ut ita Lactantius¹. Et in hanc eandem sententiam Augustinus, 'Qui quaerit, quare haec Deus uoluit, is quaerit aliquid maius uoluntate Dei:' et Augustinianus Gregorius de Arimino, 'Uoluntas Dei iustitia summa².' Imo audiant Platonem profani illi, qui per istam superbiam intolerandam refragantur Deo: et nolunt decreta Dei iusta agnoscere, nisi quae eis persuaserit ratio sua. Scilicet animalis homo aptus sit rationes Dei percipere: et altissimi esse consiliarius. Scilicet homo Deus esset, uel Deus homo. nam alterutrum necesse est, si intelligere Deum habet homo. Sed audiant isti Platonem: qui hoc scribit, quod iustum quid est quia illud Deus uelit: non autem illud uelit Deus, quia sit iustum³. Audiant Aristotelem, qui de Deo, quod non sit uirtute probus, quia tunc Deo esset melior uirtus: sed uirtus ipsa a Deo proba est⁴. 'Audaciam existimo,' inquit Tertullianus, 'de bono diuini praecepti disputare, neque enim quia bonum est, iccirco auscultare debemus: sed quia Deus praecepit⁵.' Et Tertullianus certe, 'Bonum est, quia a Deo euenit⁶.' Alio se habent modo res Dei, alio hominum. 'Mirum, sed tamen uerum, mundus nobis notus esse non posset, nisi esset: Deo autem nisi notus esset, esse non posset:' ait Augustinus⁷. Et alibi, 'Nos ista, quae fecisti, uidemus, quia sunt: tu autem quia uides, ea sunt⁸.' Et rursus, quod non minus hic aptum, 'Scientia Deus dicitur scire quae probat; nescire quae improbat: et sic ars nescire uitia quae improbat.' Auerroes autem, quod non scit Deus quod est, quia est: sed, quicquid est, sic est, quia Deus scit⁹. Et ita scientiam Dei et scientiam nostram aequiuoce praedicari. Et sic Thomas Aquinas, 'Electio sequitur dilectionem Dei, dilectio sequitur electionem hominis, nam is, quia quid probat in alio, propterea diligit: at Deus diligit, propterea eligit,' in summa; 'Uiae meae non sunt uiae uestrae, neque cogitationes meae cogitationes uestrae,' ipse inquit Dominus¹⁰. Nos ius hominum tractamus, uias hominum hic insistimus. Imo uiam illam ostendimus, quam inire nos et insistere nos uoluit Deus. Illa

¹ Lact. 3. Instit. 1. ² Aug. 1. de Ge. 10. Ma.; Gr. de Ar. 1. Sent. ³ Plat. Euthyph.; Laer. Arist. 2. Ma. Mo. 5. ⁴ Tert. de Penit. ⁵ Tert. de Fug. In Pers. ⁶ Aug. 11. de Ci. 10. ⁷ Aug. 11. de Ci. 10. ⁸ Aug. Fi. Confess. et Exo. q. 152. ⁹ Auer. Praedic. ¹⁰ Aquin. q. ad Rom.

extraordinaria Moysis facta, Dei iussa, non sunt nobis rapienda in consequentias. 'Non si aliquid praeter morem in domo a domino institutum seruo iubetur, atque is laudabili obedientia facit: ideo non est plectendus, si hoc facere sponte praesumerit¹. Leges non sibi, sed hominibus dedit Deus, unde quodcumque praeter illa ipse praecepit, non a transgressoribus, sed potius a piis et obedientibus impletum intelligendum est². Cum iubet ille qui legem constituit, aliquid fieri quod in lege prohibuit, iussio illa pro lege habetur, quoniam auctoris est legis³. Ceterum et istorum iussuum extraordinariorum Dei explicatur et a theologis et a philosophis ratio⁴. Et quae tamen ad homines non pertingit. Sic nos, inuitis omnibus impiis, qui non recipiunt nisi quod probare ratio humana potest, adorabimus iustissima illa Dei iudicia singularia: nec trahemus (quod temerarii et faciles facerent) in exemplum nobis. Sequemur autem eiusdem leges, positas omnibus. Haec lex hic est, ut pueris et foeminis parcamus. Iussus si sit Dei contrarius, ille et extraordinarius est, nec traditur libris nostris, nec ore hominis cuiusdam, ut sic respondetur, non id esse extraordinarium mandatum, de quo consulimus homines, an iustum sit. Sed an discedere ab ea lege ac regula possimus, si hostes laeserint nobis pueros, foeminas: quia pensationem istam laudauerit alibi Deus: et quia talio sapit ius naturae: nunc in sermone propositum erat. Nostri interpretes iuris clamant, adhaerendum regulae: et non aliter quam per superordinarias rationes eundem ad fallentias: et plurima eius generis⁵. Clamant, ad absoluendum propensiores semper nos esse oportere, quod hic efficiet ut pueros istos et foeminas absoluamus, secundum regulam legis Dei, naturae et ciuitatis⁶. Sic sanc. 'Homini non est homine prodige utendum⁷.' Illa uiri immanis dicta, facta, 'Scelera non ulcisceris nisi uincis. Sceleri modus debetur ubi facias scelus, non ubi reponas⁸.' Imo enim, 'Scelere quis pensat scelus?' Et de hoc postea. Et hic ergo, ubi de sanguine sit quaestio, nolim talionem: etsi uelim in aliis omnibus. Sanguinis tantum gratia sunt aliaque contra rationem iuris

¹ Aug. Iud. q. 49.² Aug. Iud. q. 36.³ Aug. Leu. q. 36.⁴ Aug. Ios. q. 8; Plut. de Se. Nu. U.⁵ Rol. 1. cons. 81; Crau. 129.⁶ Plo. 1. si quando C. und. ui. (8. 4).⁷ Sen. Ep. 86.⁸ Sen. Thy. uu. 195, 1052.

et contra publicum commodum introducta¹. Etiam, deletis Hammonitis et Moabitis, seruant uirgines Iudaei: non eis culpam imputantes, propter quam eueriti utraque meruit gens². Aliae scilicet deletae foeminae, quae in fornicationem duxerant populum, ut de his indicaui antea. Quae est quarta causa saeuendi in foeminas. At quid de eo dicemus, quum insignis perfidia et maxima clades uindicatur? Probat causam mite pectus Germanici, cui non aetas, non sexus propterea attulit aliquando miseracionem³. Insistendum caedibus, nil opus captiuis, solam interneccionem gentis finem bello fore, clamabat. Et eius adclamabat exercitus, perfidos et ruptores pacis ultioni mactandos et gloriae. Mihi crudele, itaque iniustum uidetur, in turbam saeuire imbellem et innoxiam. Si foeminae noxiae: tum noxia exstingui dicitur magis quam foemina. 'Exstinxisse nefas,' ait Uirgilius: 'non foeminam, sed crimen, ut pertinet ad uirum iustum, sumere de facinoroso supplicium: et pro suis et pro patria ad uirum fortem, hic silcant grammatici,' ait Scaliger ille doctissimus⁴. Silcat et doctissimus Casertanus: qui auctoritate grammaticorum nonnihil et mouetur hic contra Uirgilium⁵. 'Ne obstrepant Aeneae aduersus Helenam irascenti. Nam et ipse ibi disputat: et ita mouetur, ut uincat melior sententia: quam diuinus poeta merito adscribit deae. Neque enim aliud ratio est in mente humana, qua superantur affectus, quam radius quidam, ut ita dicam, primae illius lucis, sine qua omnia sane merito et dicuntur tenebrae et existunt. Disputationem ecce qualem:' namque etsi nullum memorabile nomen foeminae in poena est, neque habet uictoria laudem⁶. 'Non quaerit igitur aut nomen, aut laudem, sed iustitiam, ut suorum delectat ignominiam. Quis enim patiat, affines suas foeminas primarias premi seruitio impudicae mulieris? Igitur recte interpretatur factum suum sic:' exstinxisse nefas. 'Nullius enim non interest, nefas tollere; uir enim iustus nullum malum superesse pati debet.' Quae itidem Scaliger et mox iterum in grammaticulos. Et haec igitur quarta causa iusta, si foeminae noxiae. Et Aeneas tamen non occiderit noxiam: ne

¹ I. 18. C. de transact. (2. 4); Alc. 5. Parad. 9.

² Num. 31; Aug. Deut. q. 35; Phi. de For. et de U. Moy.

³ Tac. Ann. 1. 2.

⁴ Scalig. 3. Poet. 24.

⁵ Caser. 5. de Si. Ce. 14.

⁶ Scal. 3. Poet. 12.

aut dubitari de eius facto, disputariue posset et ex primo intuitu iudicari quodammodo minus digne quam herois eius condicio postulare uidebatur, ut in alio facto eiusdem idem obseruat Scaliger : de quo nos alibi.

Honestatem porro mulierum attaminare, iniustum fuerit semper. Ut enim contra naturam non sit, spoliare cum quem necare honestum est¹, et, ubi ius est seruitutis, uenundari hostes iure belli una cum liberis atque uxoribus liceat, non tamen infami contumelia quemquam captiuorum afficere, ius est². Ineptus, qui trahit ad iustitiam bellicam haec usurpata in bellis iniuste³. Neque hic do talioni locum. Et nota, quod etsi qui fecit non indignabitur fieri sibi : et qui fecit alienis, non indignabitur fieri suis, quae tamen suae nunc patientur, ipsae iustissime conquerentur, nam haec separata causa mulierum est et puerorum. Et istis reddere rationem aliquando hostis habebit de iniuria, reddet certe Deo, reddet reliquo mundo, quando non hic sit magistratus, qui uictoris iniustitiam coerceat et ulciscatur. reddet illis principibus qui honestas sequi uolent bellorum causas et commune uindicare ius gentium et naturae. Praedonis in proposito uox illa apud Heliodorum, id est, hostis gentium iuris, ‘ Si imperii legibus utendum fuisset prorsus uelle suffecisset⁴.’ Et Persae praedonibus nequiores, qui in Graecia sic affligerunt mulieres turpiter⁵. Tarentini insolentes, iniuriosi, audiunt, qui bello captos pueros, captas uirgines, libidini cuiusque prostituerunt⁶. Sicyonii durius exagitantur, qui eadem fecerunt Pellenensibus captis. O dii (inquit Aelianus) haec efferatissima, quae ne barbari quidem ulli fecerint⁷. interpretes iuris meliores idem respondent, ut, quem potes necare, eum habere nequeas impudice⁸. Sic et lex Dei uult, duci captiuam in uxorem, quam amas : non sinit te cum ea licenter agere⁹. Age, audi et iudicia summorum ducum. Alexander uicti hostis uxorem, facie in-clyta mulierem, uetuit aut in conspectum suum deduci, ne eam uel oculis quidem contingeret¹⁰. Et non hanc modo Darii uxorem, sed et captiuas omnes Persas pudice auersari praecepit. Et amore captus captiuae

¹ Cic. 3. de Off. 6. ² Polyb. 2. ³ Bod. 5. de Rep. 5. ⁴ Heliod. 1.

⁵ Herodot. 8. ⁶ Athen. 12. ⁷ Aelia. 6. Ua. Hi. 1.

⁸ Bal. 1. ult. C. si co. ius, uel ut. pu. (1. 22). ⁹ Deut. 21 ; Cl. A. Str. 2.

¹⁰ Arria. lib. 4. c. 20 ; Plat. Alex. ; Gell. 6. c. 8.

Roxanes, hanc duxit in uxorem, non afficit contumelia. Etiam tutatus captiuas est, quae, uiolatoes pudicitiae suae, uictores dominos peremerunt¹. Cyrus tuctur pudicitiam captiuae etiam contra amicissimum². Captiuarum pudicitiae curam captis Syracusis curauit Marcellus³. Lucullus captis Tigranocertis omnia diripuit: sed mulieres ab iniuria militum conseruauit⁴. Quid maiorem dico Africanum? 'Meae, populique Romani disciplinae caussa facerem, ne quid, quod sanctum usquam esset, apud nos uiolaretur:' sic Scipio de pudicitia seruanda captis mulieribus⁵. Quid memorem alios, uel recentiores? Lotrechius, Uastius, in id uehementer incubuere, ne uiolarentur mulieres⁶. Recitat Nicetas, quemadmodum Turcique cauerint edicto, et praestiterint, ne coniugata, ne uirgo uiolaretur, captis Hierosolymis et Constantinopoli. Totila Gothus capta urbe et hoc accurat, ne ulla uitaretur, foedaretur, foemina⁷. Et de Belisario narrat, quod, Alexandri exemplo, nec asperxit bello captas. At de re aperta nimium multa, an non, dicam aliquid adhuc sequenti libro. Imo enim non sunt haec multa ad frenandum belli licentiam, militum libidinem: cui et scriptores nonnulli fauent, quasi nec existenti contra iura armorum. Adde igitur, quemadmodum Ualerius Torquatus missus fuerit in exilium, nec quoquam refragante, qui captiuae intulit stuprum⁸. Et Sertorius integram cohortem Romanam infamem hoc flagitio, concidit, tantum abfuit ut eam mulierem condemnaret quae militi uiolento oculos eruit⁹. Laudatum et Chiomarae mulieris Galatae hic facinus maius¹⁰. An quisquam mihi constituit etiamnum ius diuersum ex diuersis illaudatorum factis illaudatis? Sane, si occidere pueros, mulieres, non licet, minus licet, afficere damno pudoris. hoc enim maius damnum est¹¹, quod etsi inuitus nemo sustinet uere, sustinere tamen uidetur¹²: quod tantundem ualet. Dic, si uxorem duceres, quae passa istam calamitatem fuerit? Non hoc damnum inferre licet, etiam si damnum uitae inferatur aliquando licite. quod dixi. Quae mulier pugnat, cur contra

¹ Plut. Alex. et de Cla. Mu.; Zon. lib. 4. c. 12. ² Zon. ³ Plut. Marc.; Aug. 1. de Ciu. 6.

⁴ Dio lib. 35. c. 2; Xiphil. ⁵ Polyb. lib. 10. c. 18; Liu. lib. 26. c. 49. ⁶ Iou. 23. 28. 38.

⁷ Procop. 3. Goth. 20.

⁸ Plut. Pa. Ro. Gr.

⁹ App. 1. Ciuil. 109.

¹⁰ Plut. de Cl. Mul.; Liu. lib. 38. c. 12.

¹¹ l. 8. quod me. ca. (D. 4. 2).

¹² l. 1. de postu. (D. 3. 1); l. 20. C. de adult. (9. 9).

non patiatur pugnari? Quae apta pugnare, succedit in feudo sicut masculus¹; sed cur pati contumeliam adeo insignem, caussa nulla explicabitur. Idem Gothus dimisit foeminas captas; etiam nec tulit Symmachi filiam tractari male, qui statuas Theodorici confregit, qui Symmachum patrem occidisset². Apud Troglodytas foeminae dirimunt certamina et praelia: et nefas ducitur eas laedere ullo pacto³. 'Ullo pacto.' Laedi se clamitabant Graecae illae, quarum uiros bello captos faciebat capos Theobaldus Umbrorum dux⁴: quod et Pharnaces (indignum) antea fecerat⁵: atque is sic destitit Umber ab ea saeuitia. Audi rem splendidissimam. Athenienses quum in litteras incidissent uxoris Philippi, quae ad maritum erant, eas nec resignerunt et ad hostem capitalissimum ferri permiserunt, ne maritale secretum diuulgarent, 'praefendum rati fas com-mune propriae ultioni⁶.' Sed iam satis. Disputat nobiscum Philo; et abstinendum sic scribit ab his a quibus et nullum est periculum, factos et natura immunes ab ipsa militia: et alia id genus⁷. Disputat Cardanus acriter contra Titum, qui uno spectaculo aliquot millia Iudaeorum, in quibus pueri et mulieres, feris dilanianda exposuit⁸. Quod et ante uoluit eidem genti facere Ptolemaeus⁹. Erant (ait Cardanus) Iudaei, erant rebelles, erant contumaces: sed quid meruere boues, animal sine fraude dolisue? Decet, stirpem impiorum excindere, at insontes occidere non licet, etc. Exprobrat propheta specialiter Israeli, quod foeminasque puerosque duxerit in captiuitatem de Iuda¹⁰. Scilicet inter Iudaeos non erat ius seruitutis: tanto tamen minus ille sexus, haec actas erat abducenda. Audiant Christiani. Iure ciuili audimus et sexum et aetatem captiuare; nec ullum fuisse respectum religionis. Audio et ipse, nec audeo improbare. Et audio tamen multo libentius rationes contrarias, quae pro sexu ac pro aetate sunt. Dixerim semper laudandum, si aut potestate temperatur: quod et ius ciuile in re multo leuissima: 'Si tamen, cum posset, non fecit, laudandus est potius¹¹.' Illa uulgo nota, 'Non omne, quod licet,

¹ Iser. c. 1. qui fe. d. p.² Procop. 3. Goth. 20.³ Diod. lib. 3. c. 33.⁴ Alc. 7. Pare. 23; Sigo. 6. de Re Ita.⁵ Hist. de Bell. Alex. 41.⁶ Apul. Apol.⁷ Phi. de Crea.⁸ Card. Enco. Nero.⁹ 3. Macchab. 5.¹⁰ Mic. 2.¹¹ l. 1. de pe. et co. re. ue. (D. 18. 6).

'honestum est. Semper non solum, quod liceat, considerandum est, sed et 'quod honestum est'.¹ Quod uero de pueris dixi, idem et de his qui defecti aetate sunt, uolo. Est enim infirma utrorumque aetas, et ius saepe par². Sed sic de senibus tamen, ut ex sequenti sermone intelligetur. Nam saepe consilio pollet, cui uim natura negauit et plus ualet umbra senis, quam ensis iuuenis³. Etiam nec armato parcitur seni, ut de Priamo audiuius et de armatis foeminis. Etiam nec seni arroganti, contumelioso, ut scimus de Romanis illis ante ueneratis Gallo uictori, mox ferocientibus trucidatis. Haec et in pueris uera, qui aut multum a puberi aetate non absint: aut quomodolibet prosint contra hostes suis⁴. Neque enim spes aetatis habet eos facere audacios impune⁵: 'Furiosos excipi nequaquam dubium est:' ait Ulpianus alicubi et aio ego hic⁶. Et tamen furiosorum, dormientium, licet uim propulsare, etiam cum eorum nece: quemadmodum et bestias irruentes occidimus, iure semper licito defensionis: quicquid disceptes, furiosos, dormientes, bestias neque capaces esse iniuriae faciendae, ut Bartolus, Baldus, alii haec explanant⁷.

CAP. XXII.

De agricolis, mercatoribus, peregrinis, aliis similibus.

QUID nunc de infirmiori possessione? Indis receptum fuit, ut tuti agerent agricolae⁸: et parcebat agricolis Belisarius⁹. Etiam Normandus quidam dux, quem praedonem uolebant, agricolis uim fieri uetuit: et nihil minus quam praedo uidebatur¹⁰. Ait autem Arrianus, creditus iurisconsultus, nefas esse, agricolas capere et fructus eorum deuastare¹¹. Uidelicet innocens et quieta rusticitas peculiaris patrocinii et defensionis beneficio digna est, ut legislatores aiunt: et rusticitati, sicut aetati et sexui, succurri uolunt¹². Et si arbores ipsae frugiferae caedi uentantur in bello: quid

¹ Il. 108. 158. de reg. iu. (D. 50. 17). ² l. 3. de Silan. (D. 29. 5); l. 122. de leg. 1. (D. 30).

³ Bal. l. 5. C. qui te. f. p. (6. 22); c. 9. de uo. ⁴ l. 14. de Silan

⁵ l. 15. de quaest. (D. 48. 18). ⁶ l. 3. de Silan.

⁷ Bal. l. C. un. ui. (8. 4); Dec. l. ut uim (D. 1. 1. 3); Alex. l. 3. de adq. pos. (D. 40. 2).

⁸ Diol. 3. ⁹ Suida. ¹⁰ P. Aem. 3. ¹¹ Arria. Ind. c. 12.

¹² l. 1. de ed. (D. 2. 13); l. 2. si q. i. i. u. n. i. (D. 2. 5); l. 3. C. de def. ci. (1. 55).

frugiferis his fiet hominibus¹? Quod Bodini argumentum est. Quid, quod legislator noster priuilegia adseruat Samaritanis, hominibus odiosis, si agricolae essent nec a cultura cessarent²? Et in Lateranensi quodam concilio caput hoc fuit, 'Innouamus, ut presbyteri, monachi, conuersi, peregrini, mercatores, rustici, euntes et redeuntes, et agricultura existentes, et animalia, quibus arant, et semina portant ad agrum, congrua securitate laetentur³.' Inquit concilium, 'Ut presbyteri, monachi, conuersi,' id est, homines religiosi: uiri pacis, alieni armorum⁴. incapaces feudi, aut nomine hoc, secundum ueriores et receptiores sententiam, quia prohibitum sit monacho, clericoue pugnare, et per se, et per alium: et eorum arma non sint, nisi orationes et lacrimae⁵. Nec opem domino, si habent, hi ferunt uel genti iuste bellum. Uacantes religioni sic immunes alibi sunt et ab armis⁶. Miles Dei factus, desinit esse miles seculi: ait Baldus: et alia id genus⁷. Et ergo quod de mulieribus tradidi, si isti religiosi tractum arma, non eis parceretur. Sed et dignum est Titi dictum ad sacerdotem, qui obstinatissime defenderunt templum Hierosolymitanum, donec conflagrarit, 'Ueniae tempus praeteriisse: sacerdotibus una cum templo esse percundum⁸.' Et, nisi igitur quid sit eiusmodi, parceret ita uictoris uictis huiusmodi. 'Crudelis strages,' prouerbio dicta, quum non parcebatur aut sacris illis uiris, acies praeuentibus⁹. Hoc ius apud omnes gentes receptum dicitur, ut tuti essent, qui in sacris collegiis degerent¹⁰. Atque ita nec nocent Philistaei collegio prophetarum. Sed an fieri religiosis his potest male, si in concionibus, si per expeditiones, si per labores belli, uerbis iuuent suos, firment aduersum hostes? Homines cuiuscunque sexus, condicionisue et usui bello esse possunt uel consilio, uel aliis modis, et sic consideratur in iure¹¹. Neque uis est solum in uulnerando. Parem delinquentis et suadentis culpam esse, de tibi sine, se excusante, quod nec esset strenuus armis, ullius aut saeuo laeserit ense latus, cecinit noster Alciatus, raptam de Aesopo fabulam: et imo istum peccare magis, qui

¹ Bod. 2. Daem.² Nou. 129.³ c. 2. de tre. et pa.⁴ c. 1. 2. 3. 23. q. 8.⁵ Rui. 1. cons. 42; Aret. c. 8. de prob. et no. c. 9. de uo.⁶ l. 13. de uacat. (D. 50. 5).⁷ Bal. 5. cons. 439.⁸ Zon. lib. 6. c. 25.⁹ Eras. Chil. 1. c. 5. p. 26.¹⁰ 1. Sam. 19. ubi Tr.¹¹ l. 19. de capt. (D. 49. 15); l. 7. de ui. pri. (D. 48. 7).

clangore alios aeris in arma ciet¹. 'Ea Alciati emblemata' (recitauero tantum testimonium Alciati laudum) 'talìa sunt, ut cum quouis ingenio certare possint. Dulcìa sunt, pura sunt, elegantiã sunt: sed non sine neruis, sententiã uero tales, ut etiam ad usum ciuiliũ uitã conferant².' Ceterum et cum his militiã seruũ agi mitius consueuit tamen. Et definitum in iure est, ut mitius ille puniatur, qui consuluit, suasit, hortatus est: nisi qui facit non erat alius facturus, nam hoc casu suasor pariter teneatur facienti³. Quae mihi uidentur aptissima in quaestione proposita: et sunt satis, si quae considerauimus antea de dicendi libertate etiam addimus. Nunc rursus de rusticis. Sancitum iure itidem est, ne uel pignori ob debita ciuilia capiantur boues aratorii, aut aratorii serui, aut instrumenta aratoria⁴. Et Romae fuit capitale, id est, poena exilii, si bouem quis aratorium occidisset⁵. Et id genus alia: etiam apud alios⁶. Et alia priuilegia agricolis data, et rusticitati et simplicitati: quae ctsi respiciant ius ciuitatis: et hoc quoque ostendunt tamen, esse agricolas quibus quid indulgendum supra alios sit. Scio, ab aliis relatum, sic tutos fuisse Indis agricolas, quod alii pugnarent, et essent agrorum propugnatores⁷. Dicam mox et defendam agrorum uastationes. Sed quod ius nunc dicimus et defendimus, id ea stat ratione: quoniam bellum armorum est contentio: quae hic cum inermibus non est: ubi (quod dicitur de pugna Marathonica⁸) ex alia parte uiri ad occidendum parati, ex altera pecudes ad moriendum paratae fuerint. In pugna (Iosephus dixerit⁹) poenas dederint, qui arma ceperint: insontibus non nocendum. Ergo si insontes non sint isti agricolae, at sint armati, eis nec parceretur. Non indulgetur uersutis hodie rusticis: ut aiunt interpretes iuris.

Mercatoribus neque nocendum est: qui apud hostes deprehenduntur, etenim nec hostes isti sunt. ut nec alii peregrini. Mercatores sunt peregrini. et illis propterea etiam fauctur¹⁰. Peregrinos neque represaliae afflictant¹¹. Et Imola sic respondit, inuentum apud hostes tractari quasi hostem non posse:

¹ Alc. Embl. 173; Aeso. Tibicen.² Scal. 6. Poet. 4.³ Clar. § fi. q. 88.⁴ l. 7. C. quae res pi. obl. (8. 17).⁵ Cuiac. 4. Obs. 25.⁶ Nou. 32. 33. 34; Ouid. Meta. ult.⁷ Str. 15.⁸ Oros. 2. c. 8⁹ Ioseph. 12 Ant. 3.¹⁰ Alex. 7. cons. 130.¹¹ Dec. cons. 352.

qui de rebus bellicis nihil curet¹. At hic de pluribus explicandum est. Nam sunt qui dicunt, abrogatam usu contrario legem illam concilii Lateranensis²: et aliqui cogunt eum ad mercatores, qui ad nundinas eant et transeat, non morentur, non habitent³. Ergo et de incolis, et de ciuibus adoptatis est uidentum. Derogatum autem ego nescio legi, et hoc uideor scire. consuetudinem istam contrariam non facile ostendi posse. Sed neque mihi curae lex concilii, at naturae hic est; cui derogari non ualet: nec derogatum intelligitur, etsi legi scriptae, idem statuenti, derogatum dicamus⁴. Pro secundo aiunt, esse ciuitatis partem hunc mercatorem, qui manet in ciuitate. Uerum id est falsissimum, nisi quid additur. Uidelicet dicuntur aduenae, siue forenses, qui uel habitent absque animo contrahendi domicilium illie, ubi habitant⁵. Nec aliter incolae fiunt, quam si domicilium ac sedem cum maiori parte suarum fortunarum fixerint animo manendi perpetuo, et iam decennium manserint⁶. Isti proprieque ciues appellari merentur⁷. Nam accuratam illam definitionem cuius, qui particeps onerum et honorum ciuitatis est, non hic sequimur⁸. Incola de populo est⁹. Et igitur iura exerceri hostium in incolas posse uidentur. De ciuibus adoptatis uidetur difficultas tamen. Et sunt hinc atque inde opiniones, si isti uere et proprie ciues sint. Et itaque si etiam in odiosis definitionibus intelligi eos oporteat. Represalias contra Perusinos concessas ad ciues hos non porrigi, uult non nemo¹⁰. Priuilegia Danis mercatoribus tributa, ciuibus in Dania factis non prodesse, senatus censuit Parisiensis¹¹. Et id deque mente plurimum est interpretum¹². Sed breue facio. Mihi ciues isti uidentur ueri et proprii ciues: ut cum plurimis defendit contra alios Ioannes Cephalus in responso primo quarti uoluminis. De quo has habes conclusiones: Proprie hos esse et intelligi ubique ciues, qui non secundum aliquid, at absolute et simpliciter creati ciues sunt. Et sine dubio sic esse, si dictum in creando sit, ut pro originariis ad omnia essent: ciuesue essent in omnia et per omnia. Sic

¹ Imo. cons. 51.² Panor. c. 2. de Tre. et Pa.³ Bella. 5. Contr. 3 c. 15.⁴ Inst. de iu. na. (1. 2).⁵ Sylua. cons. 1.⁶ Alex. 1. cons. 16. 5. 34; Alc. 2. Pare. 7.⁷ Boer. Decis. 272.⁸ Bal. l. 9 C. de testa. (6. 23).⁹ Dec. cons. 318. 350; Ceph. 722.¹⁰ Crot. rubr. so. mat. (D. 24. 3).¹¹ Bod. 1. de Rep. 5.¹² Rom. cons. 62 et ibi. Mandos.

Cephalus: cui assentior: etsi ad odium neget hos ciues intelligi Angelus, Iason, Alciatus¹. Rem uero adhuc clariorem ait Cephalus, si et habitent isti in loco, onera autem non sustineri, nihil obesse. Quae in tractatu nunc nostro adfirmant, ut istisque fieri quasi hostibus possit. Ceterum alia (ut idem distinguit) est quaestio ad ipsam ciuitatem, quales isti ad eam sint: et conclusiones supradictae obtineant. alia autem quaestio, quae est nostra, quales isti sint ad alios, et nunc ad hostes ciuitatis: et nunc supradictae conclusiones non obtineant, sed diuersae: quae ciues hos non agnoscunt. Et sic sit dictum antea de represaliis et de priuilegiis. Etiam ne sit belli ius contra istos ciues, facit alia conclusio, quod uerba, aut dispositio de prouincia, patriae, non hos tenent adscititios, sed tantum naturales et originarios loci. Quam habet conclusionem, et communem notat, quum uerba sic sunt, 'persona de ciuitate Mantuae,' ut originarii soli comprehendantur, praeceptor meus Eugenius in responsis². Et ergo si Hispanis bellum indixeris, contra Hispanienses bellum non geres: id est, qui aut incolatu sunt Hispani³. De incolis tamen contrarium scribebamus. Sane et de istis ciuibus uidetur dicendum contrarium. Et neque in bellico hoc tractatu, quum consideramus rem, non uerba, quae forte nec dicta ulla sunt, ire in distinctiunculas istas oportet. Consideramus hic, qui nos laeserint, laedant, quibus facere bellum oporteat: siue illi ciues sint apud hostes, siue sint peregrini. Etiam qui se dant in corpus aliquod, isti uolunt proculdubio teneri cum corpore. Etiam in bello. quia non est bellum de insolitis ciuitati⁴. Et neque in iure uniuersali dicere licet, de hoc se, siue de illo non cogitasse. Quid? an non defendere ciuitatem isti habent? Ergo et pati alios contra se habent, qui offendant ciuitatem. Atque haec probata conclusio est, ut omnia his adscititiis dentur, quae dare ciuitas potest. ergo et hostes dentur. Neque mouet me argumentum represaliarum. Nam etsi ab illarum iure ad ius belli omnes propemodum argumententur⁵: et Baldus scribit, minorem iustitiam debitae proportionis seruari in bello: itaque represalias esse iustiores: et esse tum licitas magis, quum licitum bellum est: tamen illud negarim audenter, repre-

¹ Alc. 1. cons. 2.² Eug. 1. cons. 9.³ Sosp. lib. 1; Cuiac. 24. Obs. 33.⁴ Ceph. cons. 58.⁵ Couar. Reg. Peccatum, p. 2. § 10.

salias contra Perusinos concessas ad ciues hos non porrigi¹. Et uero argumentum Ioannis Croti nihil ualet, quod sicut non prosunt his priuilegia alterius ciuitatis tributa ciuitati huic ipsorum nouae, ita nec obsint represaliae, aut alia odia. Etenim respondeo, quod factum meum potest me obligare: sed alios mihi non potest. Ergo quod allegor in ciuitatem, etiam obliger cum ciuitate, at non quaeram priuilegium, quod, qui dat, mihi nondum dat. Et non debet esse in potestate accipientis ampliare, inque alios deriuare. Et quamquam non oporteat intelligi, priuatam ciuitatem facultate creandi et allegendi ciues: non tamen hinc sequitur, quod uellet Cephalus, et Liuius antea in disceptatione de Saguntinis, uideri et his consultum foedere, cautum priuilegio: ut dico in primo libro De armis Romanis. Non interdicitur adoptio: etsi adoptiui filii in feudis non succedunt, nec faciunt deficere condicionem illam 'Si sine filiis.' Non interdicitur legitimatio: ut ut legitimatorum non melior sit qualitas, quam adoptiuorum. Et id genus alia. Non est uera illa Croti sententia. Tenuis supellex hominis et iudicium modicum². Sic igitur exposui, peregrinum, siue mercatorem, siue alium, quantumuis longo tempore apud hostes commorantem, non esse hostem: sed eum esse hostem, qui ciuis effectus apud illos sit, uel incolatu, uel allectione simpliciter. Ita autem seruarique uideo. Et peregrinorum qui sunt in Hispania, non solent bona ab Anglis capi: non ab Hispanis bona peregrinorum qui in Anglia sunt. Et ita ius est: siue alibi inueniantur bona, siue in hostico. Neque enim ratio est, cur capta in hostico habeantur quasi hostium, quae hostium non sunt, si non sunt hostes, nec habentur, qui apud hostes manent. Quid enim locus facit? Et quantulocunque momento quis sit in hostico, si illic apprehenditur, hostis erit? Causa facit hostem: quia quis se hosti aggregauerit. Hostis bene interficitur ubique. Res hostium bene capitur ubique. Dico ad ipsum hostem quod attinet, nam de territorio alieno alia erit quaestio. Hic tantum, quod captae in alieno agro ferae, etiam domino aditum prohibente, adquirantur capientibus, ut recepta est sententia contra Dylum: quia solus aditus sit illicitus³. Alienum territorium (nunc dico) securitatem praestat: et

¹ Bal. l. 5. de iust. (D. 1. 1).² Alb. 9. cons. 129.³ Bar. Ang. Castr. l. 16. de se. ru. pr. (D. 8. 3).

itaque traditur, quod capta in alieno territorio non efficiantur capientium¹, itaque restituenda sint domino territorii repetenti: et sint restituta². Neque mouet, quod aut principium fugae factum sit ubi licebat capere, nam mutato territorio, mutetur potestas³. Sic iudicatum, ut Hispani, a Gallis hostibus fugientes in territorium Anglorum, non fierent hostium persequentium⁴. Et exemplum renouatum uidimus in Hispanis itidem fugientibus a classe Anglica hostica in litus Gallicum anno octauo et octuagesimo. Neque enim permissi Anglis sunt Hispani; et neque aliud relictum quod in Hispana nauī esset, caque ab Anglis intrata, per uim oppressa. Quae notanda definitio: et quia non sic necesse ad generalem ire disputationem de principio uel fine attendendo, de quo plures disceptant⁵: et quia territorium nihil tamen est aliud quam dominium, et in dominio priuato capere (ut dixi) licet⁶. Sed et in territorio foederali licere capere si foederatus non uetet, iidem interpretes tradunt. Etiam nec puto graue delictum, in loco non licito hostes offendisse. Et sic dicunt quaedam definitiones⁷. Proposita absoluamus. Res non hostium non bene capitur ullibi. Non hostis non bene interficitur ullibi. Ut ualet argumentum a rebus ad personas, et contra⁸. Res religiosa non est, quod in loco religioso est⁹. Inquit Ludouicus Romanus, quod priuilegium loco concessum competit cuique degenti in loco, ciui, peregrino¹⁰. Ceterum non est bellum contra loca: ut sit de locis quaerendum: sed est contra gentem. Non ego dixerim hostem, qui cuius non est: etsi conferat iussus in ea quae pertinent ad bellum. Et ita quoque uideo obseruari. Scilicet in causam facti deest inquirere, non in factum. Uidendum igitur est peregrino, ne quid faciat sponte, ut hostem iuuet, faceret enim se ipse hostem: non secus atque alius quilibet, qui hosti quoduis auxilium afferret: de quo traditum in primo libro est. Excommunicantur Lateranensi concilio, et rebus spoliantur, et serui etiam fiunt capientium, qui deferebant Saracenis merces aptas ad impugnandos Christianos, aut naues quoque suas Saracenis iuuandis praebebant¹¹. Hostis

¹ Ana. cons. 11; Alc. l. 1. de atq. pos. (D. 41. 2). ² Bal. l. 2. C. de se. fu. (6. 1); Guicc. 4.

³ Alex. 2. cons. 24; Cor. 2. cons. 159; Rom. 234; Ceph. 229. ⁴ Bod. 1. de Rep.

⁵ Euer. Loco a ui. fi. ⁶ Bart. l. 47. de fur. (D. 47. 2); Bal. l. 10. C. eod. (6. 2).

⁷ Ruin. 5. cons. 1. ⁸ l. 1. de collat. (D. 37. 6).

⁹ l. 4. de pecula. (D. 48. 13). ¹⁰ Rom. cons. 234. ¹¹ c. 6 et 12. de Iudae.

censendus, qui facit quod hosti placet¹. Et in exercitu hostium est, qui exercitui hostium necessaria ad bellum administrat². Quod Iustiniano respondit Amalasuintha regina. Et regina Elizabetha Hansiaticis ciuitatibus, conquerentibus, naues suas a classe spoliatas Anglica contra foedus, quo cauetur ut illae ciuitates tuto possent esse amicae etiam hostibus Angliae et cum iis habere commercia: non esse hoc colere cum utrisque amicitiam, si alteros laedas, iuues alteros; at imo hoc esse auxiliari hostibus, et cum hostibus aduersum alios facere. Maiestatis crimen est, commeatu iuuare hostes³. Et id genus alia grauius sunt. Omnis, qui audaciorem reddit hostem, opem dicitur et auxilium ferre hosti⁴. Sic naues Hansiaticae commeatum, alia ad paratum bellicum, uehentes Hispano. Sed absoluo de his, qui effecti ciues hostium. Nisi simpliciter sint tales, adde et nisi hoc uolentes principaliter, non esse hostes. Qui simpliciter Hispanus non est, is Hispanus non est⁵. Nec is in Hispanorum numero habendus est, qui insigne a rege Hispaniarum gerit Hispanicum, etsi etiam gaudeat omnibus his quibus ueri gaudent Hispani, ut explicat et respondit ex facto consultus Romanus⁶. Et numquam in poenis is uenit, nisi exaequatus ueris sit Hispanis, quod idem auctor scribit. Et id est, quod antea dictum est, nisi Hispanus simpliciter effectus est. Addidi nunc, 'et nisi principaliter hoc uoluit, Hispanus effici.' Namque cuius ille non est simpliciter ciuis, qui occasionaliter fit ciuis. ut quia iura ciuitatis Hispanicae consecutus dicebatur, quod duxerit (haec lex Hispaniae) Hispanam uxorem: et quod non esset tamen quasi et hostis Angliae iudicandus. Represaliae non sunt contra nuptam Senensis, quae contra Senenses sunt⁷.

At nunc uideamus ex aduerso de Hispano, qui in Hispania non sit: hoc est de eo qui ex gente hostium est, sed apud hostes non est. At represaliae traditur, non ad illos extendi qui se alio transtulerunt, esse enim domicilii potius spectandam causam, quam originis, nisi tamen et in originis loco munera subeunt⁸. Mihi tamen distinguendum hic aliter

¹ Agath. lib. 3. ² Procop. 1. Goth. ³ l. 4. ad le. Iu. ma. (D. 48. 4); l. 40. de poen. (D. 48. 19).

⁴ Bal. l. 5. C. de accus. (9. 2). ⁵ Bal. cons. Schis. § pe. ⁶ Rom. cons. 382. 383.

⁷ Bal. 5. cons. 185.

⁸ Bal. l. 3. de off. adses. (D. 1. 22); Decia. 2. cons. 71.

uidetur quia nec uidetur par semper ratio represaliarum et belli; cum sit hoc hostilitas animorum, illae incolumi amicitia fiant. Et Hispanus igitur sit, qui alibi quoque habitat extra Hispaniam: si alias non desit esse Hispanus. Non mutatur origo, nec describitur patria facile¹. Incolatus, allectio, addit ciuitatem ciuitati, non tollit priorem. Potest quis allectione ciuis esse uariorum locorum. potest alibi ciuis esse allectione, et item alibi, atque alibi: et alibi item adoptione: et in pluribus item locis per domicilium: et alibi natiuitate: et alibi origine. Origo patris attenditur: dum est natiuitas alibi². Et domicilium haberi pluribus in locis potest³. Regula autem est communis, ut causa attendatur quae nocet⁴. Etsi de domicilio attendendo plura tradantur, et item alia de attendenda origine, aliis. Subditi dicuntur non respectu originis, uel allectionis, sed domicilii⁵. Statutum, si simpliciter quem appellet Anglicum, domicilium significat. Si ciuitas punitur pro damnis datis, non absentes, non alii puniuntur, quibus culpa imputari non potest⁶. Et sic alia de domicilio. Quod non tamen contrahitur per mille (sic loquuntur) annorum habitationem absque animo habitandi perpetuo⁷. Qui tamen animus in re dubia intelligitur per habitationem decenniis. Sed ciuitas haec incolatu quaesita, aliterue, perditur multo facilius, quam originaria, aut natiuitatis. Perditur enim per omnem desertionem; ut quia illinc translatum alio domicilium sit. At ciuitas naturalis numquam perditur, nisi in poenam uno casu, quum deseritur periclitans. Quod itidem exponit Cephalus late. Et ita in eo qui bello exorto degit apud hostes, respondit Eguinarius Baro: et ad τὰ πρῶτα rescripsit.

Nunc mihi unum hic superest de rebus quae non sunt domini hostium, sed locatae, pignoratae, depositae, commodatae. Et uidentur istae quoque posse capi. Quoniam bona hostium dicuntur omnia, etsi in dominio hostium non sint, ut praeclearam decisionem Alciati appellat Cephalus⁸. Imputet praeterca sibi, qui hosti nostro quidquam commisit. Sed capien-

¹ Bod. l. 1. de Rep. 5; Ceph. d. 451. 722.

² Cuiac. 24. Obs. 33.

³ l. 6. ad municip. (D. 50. 1).

⁴ Ias. l. 22. de adopt. (D. 1. 7).

⁵ Rui. 4. cons. 120; Soc. 4. 79; Castr. 2. 89.

⁶ Rom. cons. 7.

⁷ Bar. l. 5. de iniur. (D. 47. 10).

⁸ Alc. l. 48. de U. S. (D. 50. 16).

tur tamen cum sua causa: nisi stante bello, aut ingruente tradita hosti sint. Quid enim ille in nos peccauit, qui olim quid tradidit homini non nostro inimico? Tradens inimico, peccat, si quid est quod bello seruiat.

CAP. XXIII.

De uastitate et incendiis.

QUANDO autem de personis exposuimus adeo multa: age, nunc aliquid de ipsis hostium rebus plenius dispiciamus. Scribit autem Polybius, quod saeuire in hostes et eorum castella, hortos, urbes, uillas, naues, fructus, deuastare, aliaque his similia facere, per quae hostium uires debilitentur, confirmentur suae, iura belli permittunt. ea uero destruere, quae nec propriis rebus emolumenti aliquid afferunt, nec hostibus detrimenti, ut sunt templa, porticus, statuae, aliaque huiusmodi, rabiosi esse hominis ac furentis plane. neque enim ad interneconem usque pugnare cum hostibus, uirum bonum decet, sed quoad eorum, qui deliquerunt, malefacta purgata sint atque correcta¹. Quae Polybius: etsi ab hostibus passi ista internecina essemus: adeoque nunc malum malo reddere uideremur. Contra Philippum sunt et illa apud Liuium, quod etiam sepulcra dirueret et templa deum: nec diuini, nec humani iuris quidquam relinqueret, itaque Athenienses, 'Esse quaedam belli iura: quae ut facere, ita pati sit fas. 'sata exuri, dirui tecta, praedas hominum pecorumque agi, misera magis quam indigna patienti esse. Sed cum diis infernis, cum superis bellum nefarium. omnia sepulcra diruta, omnium nudatos manes, nullius ossa terra tegi².' Et eadem Florus, 'Philippus ultra ius uictoriae in templa, 'aras, sepulcra saeuit³.' Et idem Polybius contra Aetolos, quod et sacra uastarent: nec belli modum seruare scirent⁴. Sane est et in bello excessus modi: et manifestus iniustus est⁵. Et iniustum est, inque ore iniusti

¹ Polyb. lib. 5. c. 11.² Liu. lib. 31. c. 30.³ Flor. lib. 2. c. 7.⁴ Polyb. lib. 4. c. 67.⁵ Bal. l. 5. de iust. (D. 1. 1).

positum, etsi solens illud, 'Arma non seruant modum, nec temperari facile, nec reprimi potest stricti ensis ira'¹. Cicero bellum hoc horrificum, nefarium, omni imbutum odio dicit, quod parietibus, tectis, columnis, postibus fit². Etiam barbari sic censent, praedam quidem in parte uictoriae computari solere: sed segetes uastare, uillas incendere, cetera id genus agere, ultimi esse odii et furorem ac rabiem uerius quam ultionem³. Ceterum si passi haec essemus ab hostibus, mihi Polybii definitio non placet. Quia, malum pro malo reddere, iustum est et laudabile. ut inquit Aristoteles⁴. Et damnum imo hosti est in ruinis ornamentorum: paratorum multo sumtu: reparandorum non minori. Aut cur haec illi non fiant qui paria miseriarum et dolorum nobis spectacula prior fecit? Inquit Baldus, 'Uindicta est reconstratio offensoris'⁵. Ait Pindarus, 'Inexpertus belli, qui non intelligit, quod qui afficit alium malo, etiam, ut ferat rationis est'⁶. Palatia regis Persarum admirabilia funditus diruit Romanus Imperator: ut doceret, (sic aiebat et sic ego adnoto rationem) quantum doloris Romani perceperissent, ipso Persa Romanas urbes incendente⁷. 'Par pari referre, ulcisci est, non contumeliam facere, contumeliam facit, qui animi gratia, non utilitatis, non uindictae facit'⁸. Et de Aristotele et de legibus Baldus, quod non incipit qui ex ira facit, sed qui ad iram prouocauit, et quod princeps est culpa a quo incipit malitia, et quod qui facit iuste non offendit, sed is qui patitur iuste⁹. Et id genus reliqua. 'Retribuunt retributionem gentibus,' filiis moriens ait Macchabaeus¹⁰. Et igitur ut destruerent aras gentilium: qui profanarunt templum, sanctuarium et legem. Et sic Iudas fana incendit, altaria destruit, sculptiles Deos igni comburit. Nec aliter Ionathas frater. Dauid etiam Philistaeorum Deos in proelio captos exussit¹¹. Quid ni? Ipsi non multo antea Philistaei arcam Domini in proelio captam profanarunt, inductam in aedem Dagonis, non solum contrectatam manibus profanissimis¹². Etiam locus, ubi capta idola Philistaeorum, intra fines Israelis: ubi haec ferri non poterant¹³. Cru-

¹ Sen. Her. Fur. u. 403.² Cic. pro Do. Su. 23.³ Scander. 9.⁴ Arist. 1. Rh. et 5. Eth.; Caser. 6. de Si. Ce. 1.⁵ Bal. 3. cons. 173.⁶ Pind. Nem. 4.⁷ Cedr.; P. Diac. 18.⁸ 3. Rh. ad Her. et Arist. 2. Rh.⁹ Bal. 2. cons. 143, 195.¹⁰ 1. Macc. 2. 5, 10.¹¹ 1. Chr. 14.¹² 1. Sam. 15.¹³ 1os. 15.

delissimis item hostibus facinora immania sine talionis, poenae acquissimae, timore si relinquinus, ad ea illos quasi inuitamus. Atque de talione Sex. Caecilius iuriconsultus, 'Quae acerbitas, si idem fiat in te, quod tu in alio feceris¹?' Et nos in libris De legationibus. Interim uero 'nihil est amarum, quam id ipsum pati, quod feceris aliis:' ut ait Tertullianus². Et hoc igitur iustum et expedit. Audi Florum de Thracibus, 'Non aliter cruentissimi hostium, quam suis moribus, domiti, quippe in captiuos igne ferroque saeuitum est³.' Iura belli non seruanti nec seruentur quidem. Frustra legis implorat auxilium, qui in legem committit⁴. Bellum certe neque aduersus Deum, neque aduersus res sacras, sed est aduersus armatos. Sic Alexander cauit, ne templa, ne luci Thebis uiolarentur excisis⁵. Sic de Neptuni ore philosophus scenicus, 'Stultus, qui expugnata urbe templum et tumulos et sacra mortuorum dat solitudini⁶.' Sic uidentur nihil minus, quam magi, id est sapientes et religionum interpretes, qui auctores fuerunt Xerxi, ut Graeciae templa inflammaret⁷. Et consilium dederunt tamen ex sua et gentis Persicae religione: quae nefas putabat, diuinum numen quasi tectis et parietibus conclusum coli. Sunt quidem qui templa oderunt ob istiusmodi rationes et occasiones, non sunt reprehendendi: alii sunt reprehendendi, qui odio et contemptu omnis religionis templa uiolant: etiam si improba religio eorum, quorum templa uiolantur⁸. Sed et omnes (excipio exceptum supra casum) reprehendendi, qui aliorum templa uiolant: hoc est, quae habituri ipsi non sunt, sed relicturi sic sunt hostibus uiolata. Iosephus in antiquitatibus notat, alienae non conuiciandum religioni, ne et nostrae remaledicatur sanctissimae per prouocatos⁹. Isti sunt gigantes, quia ita pugnasse cum diis dicantur, quod Deorum aedes ac templa uiolarunt, ut maiori mago, Apollonio, placuisse narratur¹⁰. Romani religiose euocare carmine longo soliti Deos eius ciuitatis, quam ad oppugnandam cingebant: nefas existimantes habere Deos captiuos¹¹. Erat enim euocare ab hostibus, ad se

¹ Gell. ult. c. 1.² Tert. 2. adu. Mar.³ Flor. lib. 3. c. 4.⁴ c. 14 de usur.⁵ Suida.⁶ Eur. Troa.⁷ Aesch. Pers.; Cic. 2. de Le. 10, Uer. 3.⁸ Dan. adu. B. 7. Co. 3. c. 6.⁹ Phil. de Monarch.¹⁰ Philostr. lib. 5.¹¹ Macr. 3. Sat. 9.

inuitare. Et is fuit illorum mos inferre in ciuitatem suam semper Deos omnes uictarum gentium: et ita ipsi colere illos deinceps, ut colebant alii prius et coli dii uolebant¹. Soli autem Deo Iudaeorum, uero Deo nostro, id praestitum non fuisse, docet Augustinus, quia Deus non uult uerus, alios haberi secum Deos: et ergo Romani, ne amitterent multos, unum non admiserunt uicta Iudaea, captis Hierosolymis. Sed de templis. Et Brutus sacras aedes, quotquot potuit, ab incendio belli conseruauit². Etiam immanis ille Tamerlanes templis pepercit³. Hoc tamen sic uidetur aliquibus si diuersae non sint religionis. Franci parcebant (ait Agathias) templis, quia eiusdem nobiscum religionis: Alemanni autem, qui aliter sentiebant, sacra diripiebant, uastabant⁴. Ceterum uastationem nos non probauimus: direptionem et probasse uidemur et adprobabimus sequenti plenius libro. Quid ergo in casu alio, quum templa hostibus sunt pro arcibus et castellis? De Hierosolymitano Titum cum praecipuis ducibus deliberasse, narrant. atque alios censuisse, belli iure uti oportere, nec ulli rei parcendum esse. alios uero sic distinxisse, ut, si Iudaei de templo bellarent, combureretur, nec iam templum haberetur, sed castellum⁵. Priores ius sequi uideri uolebant, forte an illud contrarietatis religionum? ut inuisissimam, odiosissimam fuisse Iudaicam scimus omnibus⁶. Secundi secuti certe sunt bonam bellicam rationem. quae Uenetisque placuit contra Genuenses in communitate religionis⁷. Cum enim Genuenses fanum occupassent Ptolemaidae et uniuersis: Ueneti fano, ut ab hostibus profanato, non pepercerunt. Ceterum Titus, etsi Iudaei templo occupato repugnarent, se uirorum loco res inanimatas uulturum, negat. Quae ratio ad iustitiam nulla est. Nam ultus fuisset hostes in templo uastando: et ad hostes per eam uastationem peruenire potuisset: et ita eosdem uincere. Altera ratio, quam afferebat, etiam nihil ad iustitiam, tantum opus non se crematurum, cuius uastatio Romanis damno, conseruatio ornamento futura esset. Sic Rhodii Demetrio, qui eos obsidebat, uastaturo extra urbem aedes, in quibus memoratissima imago manu Protogenis facta, pictoris illustris, ‘Quae malum, ratio

¹ Prud. 2. con. Symm. u. 345; Aug. 1. de Co. Eu.

² App. 4. Ciuil.

³ Iou. 14.

⁴ Agath.

⁵ Zonara. lib. 6. c. 23.

⁶ Cic. pro Flac. 28; Tac. 5. Hist. 5.

⁷ P. Aemil. 7.

‘ est, ut tu imaginem istam uelis incendio aedium facto disperdere? Nam
 ‘ si nos omnes superaueris et oppidum hoc totum ceperis, imagine quoque
 ‘ illa integra et incolumi per uictoriam poteris, sin uero nos uincere obsi-
 ‘ dendo nequieris: petimus, consideres, ne turpe tibi sit, quia non potueris
 ‘ bello Rhodios uincere, bellum cum Protogene mortuo gessisse¹.’ Et
 quidem Demetrius, ubi ista audiuit, pepercit imagini et ciuitati. Nostri
 hodierni haec riserint, nihil minus quam ueri milites, et non minus a
 cultu omni humanitatis alieni, quam a militari ueterum scientia et reliqua
 omni uirtute, atque arte belli. Sed si tamen aditus ad uictoriam facilior
 sit per haec destructa, ratio nec est parcendi. Quod modo de templo
 Hierosolymitano dixi. Et quod ad Polybium addere etiam oportet: qui
 haud dubie et sic sensit. Etiam nec parcitur uiuis imaginibus, carissimis
 pignoribus, expositis ad machinas atque tormenta: unde terrentur obsi-
 dentes ab uerberanda urbe et eis feriendis². Sed nos hic in eo sumus
 contra Polybium, quod par pari rependi uolumus. Et itaque si Graeci
 incensis Sardibus causam dederunt incendio templi Cybeles, tum Persae
 hoc praetextu iuste in Graecia post cremauerunt templa³. Et Isocrates
 et quisquis alius, Persis iniuste id exprobat⁴. Sed operae est pretium
 audire illum ad ius quod regulariter esse uolumus. ‘ Quid,’ inquit, ‘ rerum
 ‘ omnium habemus, in quod barbari non animo sint hostili? qui et simulacra
 ‘ Deorum et templa spoliare et comburere non dubitarunt? Quare lau-
 ‘ dandi sunt Iones, quod diris eos execrationibus deuouerunt qui templa
 ‘ cremata instaurarent, aut iisdem fundamentis exaedificarent, non quod
 ‘ deesset unde ea reficerent, sed ut monumenta posteris essent barbaro-
 ‘ rum impietatis; et nemo fidem iis haberet, qui ad eum modum in
 ‘ templa Deum ausi grassari: et qui non tantum nostris corporibus,
 ‘ sed et religioni bellum intulerunt.’ Quae iuste contra primos huius
 uastitatis auctores. Huc mihi tu reuoca, quae similes uastationes factae
 narrantur. Et quod Germanicus, cladem Uarianam ulciscendo, late ferro,
 flammis, omnia uastat: profana simul et sacra et celeberrimum Ger-
 manis templum Tamfanac solo aequat⁵. Quid faciant templa perfidis,

¹ Gell. 15. c. ult.² Ual. 5. c. 1; Sigo. de Re. Ital. 12. 13.³ Herodot. lib. 5. c. 102.⁴ Isocr. Panegy.⁵ Tac. 1. Ann. 51.

periuŕis, contemtoribus religionum? Sic Gallus quidam Hispano fertur respondisse, templa non oportuisse illi seruari, qui ostenderit templa curare nihil. Sane autem si melioribus Dei templis, quae sunt sancti, non pepercerint hostes: utique nec lapideis parcere templis olim necesse fuerit. Et illud quoque contra ius belli est, saeuire in hostes causa religionis.

Sic plures sunt casus, quum templis non parcitur: si hostes non ante pepercerunt: si profanata iam sunt ab hostibus: si sunt impedimenta ad uictoriam: si in simili casu egerint hostes aduersum iura belli: si tantum diripiuntur, non uastantur: et quum ea uastantur quae uastantibus remanent. Quae contra Polybium. Ex diuerso autem nec probandum uidetur grauissimus auctor: et quo uix alius iudicio firmior est nemo (haec Lipsius merito¹) usu atque experientia doctior, quod fructus deuastari sint. Nam lege Dei interdicatur, caeddi frugiferas arbores, uel ad machinas bellicas². Atque inquit Iosephus, quod si uocem edere illae arbores possent, simul si conclamarent, se, non belli caussam, inique ferre belli poenam³. Mitissimam legem hanc Iudaeorum de terra hostili non perdenda et de frugiferis non caedendis arboribus, alibi dicit⁴. Hanc legem in sua ciuitate sancit Socrates: et notat item mitissimam: et adfirmat dignissimam qua uterentur Graeci inuicem: qui eiusdem quasi patriae ciues non in eam inducerent populabundi uastitatem, et incendiis frena laxarent; at sic rationem inirent et sic agerent, non quasi semper flagraturum esset bellum, sed aliquando reconciliatis animis pax fuerit reditura⁵: aduersum barbaros illa saeuia fierent: cum quibus a natura sit bellum: inter Graecos, quasi eiusdem ciuitatis homines, seditio esse possit, bellum non fiat. Et id genus alia edisserit Socrates, quae aptiora Christianis sentimus. Et eadem prorsus Philo: an de Platone suo sic rapta? an de eodem utriusque hausta fonte: quem et haustum Platoni autumant⁶? Iniquum, ait Philo, bellum susceptum aduersus homines, saeuire in res innoxias, frugiferas arbores. etiam habendam rationem futuri esse: cum hi hostes possint amici fieri. nec enim temere prouerbium, 'Ita amicum

¹ Lips. 5. Mil. R. 1.² Deut. 20.³ Iose. 4. Ant.⁴ Iose. 2. con. App. 29.⁵ Plat. 5. de Rep. (p. 470).⁶ Phil. de Char. et de Cre.

‘habeas, posse ut fieri inimicum putes: ita offendas inimicum, tamquam ‘rediturus in gratiam.’ Etiam si nec ulla speraretur pax, tamen nocere arbores nemini, ast utiles esse. Probe. Et quo minus illud probes de suspicione in amicitia: ita hoc probaueris magis de moderatione tota in inimicitia¹. Sed sic tamen, ut ‘tales sint semper belli mores, quales sunt ‘hostes’². Itali, aorum nostrorum memoria, gerere inter se soliti bella incruenta: mox cruentissima experti per Gallos et alios exteros. Hoc de ciuili et antiquo more etiam Dionysius narrat: dum, sic a Romanis et Latinis priora solitum geri bella, exponit³. Sic uero M. Tullius, ‘Ea ‘bella, quibus imperii gloria proposita est, minus acerbe gerenda sunt. ‘Ut enim quum ciuilliter contendimus, aliter si est inimicus, aliter si ‘competitor: cum altero certamen honoris et dignitatis, cum altero ‘capitis et famae. Sic cum Celtiberis, cum Cimbris bellum ut cum ‘inimicis gerebatur: uter esset, non uter imperaret. cum Latinis, Sabinis, ‘Samnitibus, Poenis, Pyrrho de imperio dimicabatur⁴.’ Et de hoc quoque antea.

Ego etiam de lege Iudaeorum censui aliquando, ut sic esset, quia regionibus illis potituri, non aliena Iudaei uastassent, sed sua. ‘Nemo ‘sic uastat sua.’ dictum Polynici, regnum repenti et uastanti⁵. Ita Lacedaemonii neque uillas Messeniorum demoliebantur, nec arbores succidebant, sed tantum agebant praedas: quoniam suum iam illum agrum censebant⁶. Et ita Croesus ait, tuam, Cyre, urbem diripiunt: quum iste uictor, captis Sardibus, eius urbis direptionem uicto et capto Croeso ostenderet, ueluti per irrisionem captorum⁷. Et ita Timotheus iubet, fructibus parci, quibus fruerentur parta uictoria⁸. Et ita Quinctius milites enixe mouet suos, ut, quasi suae iam ditionis, rationem haberent eius quam tenebant⁹. Et ita Belisarius suis saeuientibus capta Neapoli: subditos iam necatis, inquit, non sumitis uindictam de hostibus¹⁰. Et ita ego olim de lege Dei. Sed uidetur tamen ea generalis esse, nec illi tantum esse

¹ Cic. de Amic.; Card. 2. de Sap.² Dionys. 3.³ Cic. 1. de Off. 12.⁴ Iou. 1; Com. Pii 2. 5.⁵ Sen. 4. Theb. u. 563.⁶ Paus. lib. 4. c. 7.⁷ Herodot. lib. 1. c. 88.⁸ Polyæn.⁹ Plut. Flam.; Liu. 32.¹⁰ Procop. 1. Goth. 10.

parti, quae de regionibus datae Iudaeis terrae est. Ceterum et rationem habet, propter quam liceat aliquo casu et istas succidere arbores frugiferas, si aliae nullae sint in agro infrugiferae. ut ait, 'nam agrestes arbores sunt, quibus utaris.' Quid enim uoluisset Deus, parci arboribus semper, qui uoluit, expugnari urbes? Sed adhuc manet contra Polybium et contra omnem non ex prisco aeuo memoriam, quod extra hunc casum uetat Deus huiusmodi uastitates. Aut ea numquid est ciuilis lex eius tantum rei-publicae? Non uidetur, quia extra rempublicam loquitur. Et Curtii uerba sunt, 'Delebant incolae urbem, hostes exstinguebant incendium. 'adeo etiam naturae iura bellum in contrarium mutat.' Rectius opinabimur, consilium datum Iudaeis, non consultum hostibus: 'Si ex eis 'comedere potes,' dicit. Et ratio uidetur; et quae istam interpretationem suadet. Iosephus, qui nuncupat legem mitem, adderet nunc, ex rigore belli aliter fieri posse. Et quidem iratior Moabitibus Deus iubet alibi, omnem illis arborem bonam deiici, omnes fontes aquae corrumpi, omnem denique possessionem bonam perdi et omnem destrui ciuitatem¹. Tu semper flecte ad mitiora et ad legem generalem.

CAP. XXIV.

De caesis sepeliendis.

RES hostium an sunt cadauera caesorum. Hostes esse desierunt, qui homines esse desierunt. In ea autem sacuire, aut illa prohibere sepultura, sine dubio res est improba et impia: nam 'defuncti non bella gerunt:' Lucanus canit. Et itaque, 'Nullum cum uictis certamen et aethere 'cassis:' Latini oratores aiunt, ut Aeneas 'corpora, per campos ferro quae 'fusa iacebant, redderet, ac tumulo sineret succedere terrae.' et quibus Aeneas respondet, 'Pacemne exanimis et Martis sorte parentis oratis? 'Equidem et uiuis concedere uellem².' Atque ita censet Pompeius sanctissime, exstincto Mithridate, eius et inimicitiam regis exstinctam esse; et

¹ 2. Reg. 3.² Uirg. II. Aen. u. 102.

regaliter eum regem sepeliri curat¹. 'Finitur indignatio moderata cum homine².' Quem odisse non potestis: inquit Cicero de mortuo³. 'Paci non intulit iram, post acies odiis idem qui terminus armis:'⁴ ut laudat Theodosium Claudianus⁴: et ut leonem Ouidius, 'Pugna suum finem, cum iacet hostis, habet.' Illud tempus pacis. Et mortuorum pax est sepultura⁵. Et sic traditum a nostris est, licentiam offendendi finire morte; itaque si quis offendi per ius potest, is iam mortuus offendi non possit tamen⁶.

Hoc Theseus Thebanis: qui nolebant Argiuos sepeliri, bello caesos: quod si quid mali passi ab Argiuis essent, eos iam mortuos esse: et Thebanos ultos hostes praeclare; sinerent igitur, mortuos, terrae debitos, terra condi. Multus est Euripides contra Thebanos in iure isto sepeliendorum hostium adferendo⁷. Communem, ucterem dicit hanc legem. Et Thebanos polluere leges hominum, confundere legitima totius Graeciae, contumelia afficere leges Deorum. Et in eodem Thebanorum casu paria Sophocles: diuinum hoc esse ius et aeternum naturae et usitatum. 'Quae fortitudo est enecare mortuum⁸?' ut Tiresiam Creonti dicentem inducit et persuadentem de hoc iure. Etiam is poeta multus alibi in re ista: inimicitias post mortem prorogare, impium: Deorum iura sacrata uiolari: omne ius, fasque obterri: et similia plura⁹. Tu uero sic considera, rem uisam dignam tragicis execrationibus: et prosecutos eam execrationibus duos summos tragicos late, pluries. Sed et alii poetae sic 'Ignominiosum, sauciare fugientem in praelio: et turpe, ferire cadauer 'prostratum:' Tyrtaeus. 'Uiuos punire, non mortuos, pium est. Et nec 'honestum est, mortuos uiros conuiciis proscindere:' Archilochus. Et sic solum in silicerniis defunctum laudari, quamuis improbum¹⁰. Atque de illa Thebanorum crudelitate et improbitate, deque bello contra eos Thesei et Atheniensium ob istam caussam, etiam Isocrates sic tractat in locis pluribus: et legem de sepeliendo apud uniuersos receptam homines: et contumeliosiores in semet esse qui prohibent, sepeliri hostes, quam in

¹ Dio lib. 37. c. 14; App. Mithr. 113.² Ennod. Paneg.³ Cic. pro Clu.⁴ Claud. 4. Cons. Ho. 114.⁵ Seru. Aen. 11.⁶ Bal. l. 10. C. de his qui ut ind. (6. 35).⁷ Eur. Suppl. u. 565.⁸ Soph. Antig. u. 1011.⁹ Soph. Aia. u. 1332.¹⁰ Suida.

hostes ipsos¹. Adde poctam Latinum, 'Bello cogendus et armis in mores
'hominemque Creon :'. Et apud eundem Theseus, 'Terrarum leges et
'mundi foedera mecum, mecum defensura,' etc. 'Nam quis erit saeuire
'modus? bellauimus. esto. Sed cecidere odia et tristes mors obruit iras,'
etc. Et Latinus alius contra alium Creontem, 'Hominemque cruentus
'exiit : et tenuem caesis inuidit arenam. Hoc facinus refugo damnauit
'Sole Mycenae, auertitque diem secleri,' etc.² Ait hoc odium esse, non
poenam. Ait, iura prodita, pietatem pollutam. Quid nostros nunc Italos
dico? Ariostus, qui et legum peritus et morum, furorem dicit Creontis⁴.
Tassus cruditissimus saeuitiam in terram, quae nihil sentit, saeuire in
occisos. Iustum ergo et pium Thesei bellum : et defunctis opitulari
quam uiuis iustius, uiui enim praesidio sibi esse possunt⁵. Haec hones-
tissima caussa belli, siue offensionis, siue defensionis. de qua scripsi.
Lysandro dedecori magno fuit, quod caesos hostes terra condi non est
passus⁶. Pausanias autem, nec ut rependeret paria, non passus insepultos
iacere hostes : quod existimaret barbarum esse saeuire in mortuos⁷.
Sic dicunt alii auctores, hostium sepulturam curandam : et curam esse
piam, necessariam⁸.

Hoc est gentium et humanitatis ius. ut de Chrysostomo aliisque idem
nobis docet doctissimus P. Faber⁹. Sic de pluribus in omni genere
doctrinae scriptoribus audis, Graecis, Latinis, Italicis. Sic et Hebraei.
'Haec in bello commercia, uel sepelire hostes, uel suis repetentibus dare :'
sic Philo¹⁰. Naturae ius uiolari ; ipsam pollui diuinitatem ; et poenam
ultra omnem exigi rationem, si fiat aliter : sic Iosephus¹¹. Haeretici
humaniter et pie sepeliuntur, Dei hostes¹². Aut sunt milites hostes quasi
famosi latrones : de quibus non sepeliendis lex est¹³? At milites ius tractant,
quibus non denegabitur quod uel aliis punitorum cadaueribus lex concedit.
Nam priuari sepultura est maxima poena¹⁴. Et reipublicae practerea

¹ Isocr. Panat. Platae. Panegy. Helen.² Stat. ult. Theb.³ Claud. Bel. Gi. u. 397.⁴ Ariost. can. 19; Tas. 10.⁵ Arist. 30. Probl. 9.⁶ Suida.⁷ Paus. lib. 9. c. 32.⁸ Paus. 1; Herodot. ult.⁹ Fab. 2. Sem. 1.¹⁰ Phi. adu. Flac. (p. 974).¹¹ Iose. 4. 5. Ant.¹² I. 6. C. de haeret. (1. 5).¹³ l. 28. de poen. (D. 48. 19); l. 1. de ca. pu. (D. 48. 24).¹⁴ Bal. l. ult. C. de ne. ge. (2. 19) et 1. cons. 426.

expedit non minus humari mortuos quam uiuos conseruari. Quae noster Baldus. Ius hoc est: spectatque ad religionem: cum qua non geritur bellum¹. Spectat ad naturam: ut audis: contra quam non geritur bellum. Adde legislatorem, cognomento Philosophum, 'Naturae com-
' muni dedecus fit, dum fit mortuis². Spectat ad ius gentium: de quo, non aduersus quod, est bellum. Adde haec, quae Lucanus contra Caesarem, prohibentem sepeliri caesos in praelio Pharsalico, 'Non illum
' Poenus humator consulis et Libyca succensa lampade Cannae com-
' pellunt, hominum ritus ut seruet in hostes³.' Et Tacitus, de Tiberii immanitate super corpora necatorum, 'Interciderat sortis humanae com-
' mercium⁴.' Spectat simul et ad belli ius, quod quaerimus. Adde de Appiano, 'Hoc humanum et ex belli iure, sepelire hostes⁵.' Et ita, iuris belli magistri, Romani non permittebant, hostes insepultos iacere⁶. Quid tamen Romanos nominamus? Audiuimus de omnibus. Et non ergo dubitandum quin hoc ius sit. Omnes et auctores sic scribunt. Addamus illa siue Ciceronis, siue Gallionis, siue Cornificii, siue cuius alterius, 'Mortuis iratum esse neminem oportet. Et sic
' Ulysses in Aiace Sophoclis. et sic Aeneas, nullum cum uictis certa-
' men et aethere cassis. Nam quod malorum est extremum accidit
' illis iam; nec quidquam incommodi sensuri sunt. Et sic Apollo apud
' Homerum contra Achillem,

' Surdam foedat humum, implacata concitus ira?'

Et contra Achillem illa quoque Claudiani,

' Pallantis iugulum Turno moriente piauit
' Aeneas: tractusque rotis ultricibus Hector
' Irato uindicta fuit uel quaestus Achilli.
' Tu neque uesano raptas uenalia curru
' Funera: nec uanam corpus meditatus in unum
' Saeuitiam?'

¹ D. de relig. (11. 7).

² Leo. Nou. 53.

³ Luc. 7. Phars. u. 799.

⁴ Tac. 6. Ann. 19.

⁵ App.

⁶ Suida.

⁷ 3. Rh. ad Her.†

⁸ Claud. 1. Stilic. u. 97.

Et cetera in laudem Stiliconis. Contra Achillem, qui fata hominum in exanimis hoste non uereretur, etiam ipse inducitur Iupiter¹. Contra Achillem et Plato est: aut uerius contra Homerum: qui Achillem deae et Pelei filium, uiri moderatissimi et a sapientissimo Chirone educatum, tanta perturbatione refertum induxerit: ut nec, nisi accepto pretio, Hectoris cadauer reddiderit². Et uero istam illiberalitatem alii etiam uituperant³. Et ii defendere non audent, qui audent saeuitiam quae 'Ter circum Iliacos raptauerat Hectora muros' quasi scilicet haec affectus irae et heroum⁴. Atque dicere tu praeterea potes, meritum haec Hectorem: qui in Achille isthaec, certe Achilli facere uolebat in cadauere Patrocli, caput praecidere, sudi affigere, cadauer trahere, canibus dare⁵. Ecquid quoque si uiuenti et uidenti (quod Ajax ait apud Sophoclem⁶) haec facta Hectori sint ab Achille? Achillis exemplo ab Alexandro Betin religatum ad currum et per talos spirantis lora traiecta et tractum, Curtius narrat⁷. Haec uiuenti fortassis fient non semper iniuste: ut de iusta aliquando saeuitia audiuius; et de hoc ipso statim audiemus. Neque enim aut in altero deseram Homerum, quod facit, ut exanimumque auro corpus uenderet Achilles. Etsi huic id exprobrat Cassandra quoque uel maxime, quod fuerit cadauerum uenditor⁸. Et Priamus et Hecuba hanc conqueruntur indignitatem, uiuosque multos filios suos ab Achille uenditos⁹. Nam et querelae hostium hae sunt. Et taceo, quod Phoenicis praeceptoris, imo etiam Iouis, monitu haec uenditionis in cadauere Hectoris fecit Achilles¹⁰; et quod fere omnia accepta donauerit Hectoris sorori Polyxenae¹¹. Quae tamen eluere Achilli maculam multam ualent. Hoc dico, munera (facessat hinc iam nomen uenditionis; nisi illud tu capis in sua generali recondita significatione: qua et ipsa etiam continetur donatio¹²) a Priamo allata munera capere Achillem debuisse, quasi uictoriae et honoris iudicium. Munus enim tale est¹³. Et sic respondere alios recte ad defensionem Homeri, censeo. 'Placatur donis Iupiter'¹⁴. Atque quod Plato etiam uituperet in Homericis Ioue aliaque

¹ Auso. Iliad. 24.² Plat. 3. de Rep. (p. 391).³ Plut. de Uir. Alex.⁴ Tass. 1. de Nobil.⁵ Hom. Il. 17. 18.⁶ Soph. Aia.⁷ Cur. lib. 4. c. 6.⁸ Lycophr. Alex.⁹ Il. 22. 24.¹⁰ Il. 9. 24.¹¹ Cedr.¹² I. 29. de statul. (D. 40. 7) Alc. 2. cons. 19; Bal. l. 1. C. de re. perm. (4. 64).¹³ Arist. 1. Rh.¹⁴ Ouid. 3. Ar. Am. u. 654.

et hoc, quod muneribus placetur: refutatus est ea ratione a uiris sapientibus, quod de diis non Platonis iussa scribenda fuerint, sed quae uulgo ferebantur et recepta erant¹. Ait Plato, improbiores esse qui credunt, sacrificiis Deos placari, quam qui Deos negant, aut qui dicunt, eos curam rerum humanarum non gerere². Et plura isthaec Platonis sunt: quae extra suam ciuitatem non ubique probentur: et de quibus non est in praesentia disserendum. Pro Achille Homérico etiam illud dico, iustum esse, barbaros uel subtili ingenio spoliare pecunia³. Etiam usuram, auaritia⁴ extremum, admittit in hostem Ambrosius⁴. Et relatum in ius est canonicum⁵; quicquid Carolus Molineus scribit, sententiam istam tribui Ambrosio non uere⁶. Baldus quoque contra hostem publicum sic de Ambrosio tradit⁷. Quid ni ita? Furari, rapere licet et occidere; si foenerari est occidere⁸. Adde postremum pro Homero, barbaros uiuos Graecis seruos natura, itaque potuerit Achilles quasi pecudes uendere in seruitutem uel ipsos Priamides⁹.

Sed audi. Nec fuit igitur iniustum, quod Achillis cadauer redditum Graecis nec fuit antea quam reddidissent Graeci totum quod pro Hectoris fuit datum cadauere¹⁰; ut istud redemptum ad pondus, aiunt¹¹. Et hoc est ius retaliationis; de cuius aequitate pluries dixi. Et hic forsitan potest unus esse casus, ne mortui reddantur suis, neue sepeliantur ab hostibus. Scanderbegus sic noluisset Turcas sepeliri caesos, sed ueritus foctores, pietatem hostibus non uoluntariam dicitur impendisse, cosque humasse¹². Nec puto tamen exerceri ius oportere talionis contra hos qui iam non sunt: contra naturae legem et humanitatis. De pretio rependi talio potest uiuentibus. Alioqui non mihi lectum aut relatum, pro cadaueribus pretium esse dictum umquam. Potest et alius esse casus non sepeliendi hostem, si, quod Thebani responderunt alio tempore¹³, hostis in terra nostra armatus repetat. Romani neque legationes de pace audire uolunt, dum Pyrrhus, dum Annibal armati essent in terra

¹ Mint. 1. Poet.² Plat. 12. de Legi.³ l. 2. C. de commer. (4. 63).⁴ Ambr. Tob. c. 15.⁵ c. 12. 14. q. 4.⁶ Mol. Alex. 2. cons. 1.⁷ Bal. 3. cons. 449.⁸ Cic. 2. de Off.⁹ Arist. 1. Rh.¹⁰ Lycophr. Alex.¹¹ Athen. 6.¹² Scander. 9.¹³ Thuc. lib. 4. c. 99.

Italica¹. Ceterum ferox ille populus: et contra quam fieri passim cernimus. Et neque ista sunt paria. Ut hunc casum secundum minus probem: contra quem uideo item fieri semper. Thebani semper hic improbi. Tertius casus uidetur ex Daudis facto: qui Goliathi caput suspensum habuit Hierosolymis². Et uidetur factum ad terrorem minuendum suis, aut ad notam singularem beneficii singularis Dei. Attamen et iste casus, quia propheta Dei est, non mihi trahetur in regulam facile. Quartus uidetur autem contra cadauer odiosissimi. Et sic Mezentius, odiosissimus tyrannus, hoc ueretur. et itaque Aeneam orat,

‘Unum hoc per, si qua est uictis uenia hostibus, oro,

‘Corpus humo patiare tegi. scio, acerba meorum

‘Circumstare odia, hunc oro defende furorem?’

Ait uere furorem; quem non ueretur in Aenea, sed in suis. Et iste tamen casus de tyranno ad ciuile spectat ius, non ad hoc gentium bellicum. Quodque fieri a ciuibus potest contra tyrannum, non idem potest ab hoste fieri contra hostem. Forte quod fieri contra tyrannum potest, iniustum dominum, idem potest fieri contra hostem iniustum. Uerum non mihi hic sermo de iniusto hoste: id est de eo qui nequit hostis esse. Qui aliquando peccat hostis, is non propterea hostis non iustus a me dicitur. et de hoc a me dicitur. Piratae capti et infami affici morte possunt et patibulis affigi inseputi.

Uix igitur superest casus, in quo liceat facere cadaueribus hostium iniuriam. Nam quod multi sic deprecantur, ne abiiciantur inseputi: et minitantur multi hoc hosti: nihil ius faciendi probat. Multa barbatae quae fiunt homines deprecantur. Hoc barbarum et ferum et impoliti aevi primi immane, et contrario emendatum iure per expulsorem feritatum Herculem constituo, ut aiunt. Aeneae quidem et ad supplicem sunt illa,

‘Isthic nunc metuende iace. Non te optima mater

‘Condet humo, patrioue onerabit membra sepulcro.

¹ Dio Ecl. de Legatio.; Zon.

² 1. Sam. 17.

³ Uirg. 10. Aen. u. 903.

· Alitibus linquere feris, aut gurgite mersum
 · Unda feret, piscesque impasti uulnera lambent¹!

Sed perempto Pallante et in ardore pugnae haec heros. Mox enim, 'Nunc 'ite: et miseris supponite ciuibus ignem.' Multum uero interest, siue miniteris, te aliquid facturum, siue facias. Saepius minitari licet, quum facere non licet². Et qui minatur, aperte etiam ostendit, se nihil mali uelle facere; sed incusso timore retrahere a malo. Etiam sunt homines in minando saepenumero promtiores quam in perficiendo. Etiam principes grauiora subiectis saepe minitantur, acuendi potius studio quam nocendi; ut plus terror corrigat, quam poena consumat³. 'Expedit timeri poenam.' propter quam oderunt peccare mali⁴. Uiuenti sic minitari poena maxima est: ex illo humani cordis affectu erga carnem suam. Et itaque si cognoscant homines, aliquid post mortem suam suis corporibus, suorumque defunctorum deesse, quod in sua cuiusque gente uel patria poscit sollemnitas sepulturae, contristantur, ut homines: et quod ad eos post mortem non pertinet, ante mortem suis corporibus timent⁵. Ut haec et alia Augustinus. Ridet Lucretius et quisquis similis haec⁶. At hi philosophi, an philosophi? naturae oblatratores⁷. Quid tum postea, si cadauer nec sentit, nec tuum est amplius? At fuit tamen. At nunc sensus est tibi uiuenti earum incommoditatum, quas passurum sit cadauer tuum. Iccirco ueri ac sani poetae suas personas pingunt cuiusmodi expositae sunt a natura: non quales ferrei quidam fingunt. Neque etiam scio, an uerum sit, quod illi ita iudicant: quum contrarium uideam in naturae ipsius penetralibus. Quae Scaliger ille pater incomparabilis. Nos et Deum audimus, naturae conditorem et cognitorem, sic suis minitantem hostibus, futuros insepultos⁸. Ecquid est, quod uiuentes oblectemur tantopere a gloria quae post mortem nos manet? Certe nihil addit beatis, prodest damnatis nihil. Sed siue isthaec a sensu post mortem abfutura sunt, siue ad aliquam animi partem pertinebunt: nunc quidem certe cogitatione

¹ Uirg. 10. Aen. u. 557. ² Cl. Al. 1. Paed. 8; Dio 38; l. 1. de Sila. (D. 29. 5).

³ Symma. 10. Ep. 47; Cassiod. 7. Ua. 1. ⁴ l. 27. de pact. (D 2. 14).

⁵ Aug. de Cu. pro Mor. 9.

⁶ Lucr. 3. u. 842.

⁷ Scalig. 3. Poet. 20.

⁸ Isa. 14; Ier. 8.

quadam, speque homines delectantur¹. Tenet etiam furiosos funeris cura : atque recitant quod, cum uirgines aliquando Milesiae morbo quodam animi incognito et immedicabili ruerent indices crebrius et suspensio uitam finirent, non aliter cessassent ab eo furore, quam quod decretum fuerit, ut quae corporibus suspensis demortuae forent, omnes nude cum eodem laqueo efferrentur²; et quod deterritae sic pudore solo fuerint funeris inhonesti. Et simile habet de plebe Romana Plinius³. Isthic tamen cautum libris Pontificalibus, ut, qui laqueo finiisset uitam, insepultus abiceretur. Et scientissimus Magius haec notat⁴; et exempla simul notat plurima eorum qui honeste cadere uoluerunt : honeste esse post mortem sic cupierunt pudore, amore sui corporis. Sic igitur poena uiuenti per supradictas minas, quam uererique potest qui nesciat, iustam non esse, aut sciat, iniustaque haec fieri aliquando ab hoste. Sed exercenda sacuitia in cadauer iam non est. Est haec iustitiae species circa defunctos. Est iustitiae species circa defunctos⁵: et religiosa eis ualde tributa sunt iura. An et hoc dicimus, animasque mortuorum isthaec curare⁶? Et propterea dici, mortuum offendi, uexari, mortuo iniuriam fieri? Aut non ita est⁷: et mortuus ipse non offenditur uere: sed ciuitas offenditur in mortuo et natura communis? Et itaque sepulcri uiolati actio ad ultionem magis esse censeatur. Aut offenditur mortuusque ex eo iure quod debebatur uiuo, ut post mortem possent quiescere ipsius cineres. Sic defunctus offenditur: cuius uiuentis uoluntas non obseruatur. Quid sic dicitur offendi, quia ueluti uiuo fiat iniuria? Nec Deo iniuriam sacrilegus facere potest: sed tamen punitur, quia tamquam Deo fecit: ut scribit Seneca⁸. Quid si, quia caris defuncti sic dicatur iniuria fieri? Sane si his fit iniuria, cineri dolor atque ossibus iniuri dicitur⁹. De quo et monuimus libro superiore. Uerum placet illud

¹ Cic. pro Arch.² Gell. 15. c. 10.³ Plin. 36. c. 16.⁴ Mag. 2. Misc. ult.⁵ Laer. Plat.; Cic. Lael.; Leo. Nou. 53.⁶ Valent. Nou. 5; l. 8. 38. 39. de relig. (D. 11. 7); l. 1. 3. de iniur. (D. 47. 10); l. 3. de sep. uio. (D. 47. 12); Bal. 4. cons. 387; Alc. § Cato. Auen.⁷ Ecl. 9. ubi Hiero.; Bal. l. 5. de iust. (D. 1. 1); Ceph. 341. l. 6. de sep. uio.⁸ Sen. 7. de Benef. 7.⁹ Cic. Uer. 3.

maxime, quod de laesa natura et tota humanitate explanavi. 'Etsi cada-
 ' uera furta non sentiant, ab omni tamen pietate alienus esse dignoscitur,
 ' qui aliquid mortuis abrogasse monstratur¹.' Atque haec iam satis. Sed
 non omittenda tamen Platonis illa, 'Nonne illiberale uidetur et sordidae
 ' auaritiae et muliebris atque humilis ingenii, cadauer spoliare et mortui
 ' corpus pro hoste habere; quum tam hostis euolarit, eo relicto instru-
 ' mento, quo pugnabat? Censeasne illos qui haec agant a canibus
 ' quidquam differre, qui aduersus iactos lapides excandescunt; cum
 ' uero qui lapidem iecerit, non attingunt².' Dixit Pacuuius, 'Nam
 ' canis quando est percussa lapide, non tam illum appetit qui se icit,
 ' quam illum eum ipsum lapidem quo ipsa icta est, petit³.' Et Alcicius
 habet de hoc in emblematis: aitque uindictam, quum alius peccat, alius
 plectitur⁴. Stultitia aliis creditur canis. Plato nec spoliandos mortuos
 censet. At id non iniustum est: ut ut sordidum sit. Hoc tu tolle,
 qui Themistocles non es; inquit militi Themistocles de eo quod in
 fuga hostibus ceciderat. Etiam quod Plato admittit fere cum barbaris
 saeuire mortuis, non mihi placet. Non admitto aut cum barbarissimis
 feritatem hanc. 'Humanae condicionis memor sepelit:' ut in lege est⁵.
 'Aliud homini, aliud humanitati conuenit:' ut erat apud Uarronem.
 Hic de humanitate res est. nam homo abiit. 'Uictoria quaerenda
 ' item est, non uictoriae satietas.' Uincere bonum est: superuincere,
 odiosum⁶. Numquid recitem plura? Est quidem differentia aliqua
 continenda inter Christianos et barbaros. Et sic uiri optimi prae-
 dicant, qui soliti et cum suis bellare Christianis et cum Turcis, saeuitia
 in Christianos abstinendum, cum quibus iura sunt belli et quaeritur pax
 amicitiaeque⁷. Idem quod et uetus Romanus contra Gallos dux, 'Quid
 ' stat miles? Non cum Latino Sabinoque hoste res est, quem uictum
 ' armis socium ex hoste facias. in belluas strinximus ferum. hauriendus
 ' aut dandus est sanguis⁸.' Sed haec iam et diximus antea: neque hic
 tamen uera sunt.

¹ Cassio. 6. Ua. 8.² Plat. 5. de Rep. (p. 469).³ Pacu. Arm. Iu.⁴ Alc. Embl. 170.⁵ I. 27. de cond. inst. (D. 28. 7).⁶ P. Diac. 11.⁷ Scander. 3.⁸ Liu. lib. 7. c. 24.

Tu, summe Deus, barbariem, feritatem, inexturabilem hostilitatem procul amoue bonus. Bos et leo comedant paleas, nequaquam feritatem bos discat, sed leo mansuetudinem doceatur¹. Nequaquam discant a barbaris Christiani tui barbaras bellandi rationes, sed istas humaniores a tuis barbari doceantur.

¹ Esa. 11 ; Hier. Ep. 8.



FINIS LIBRI II.



ALBERICI GENTILIS DE IURE BELLI

LIBER TERTIUS.

CAP. I.

De belli fine et pace.

HACTENUS uero de iure cum suscipiendi tum gerendi bellum exposuimus. ut una supersit nunc disputatio : quae ius doceat finiendi. Et quidem belli finis pax est ad quam contendere omnes oportet¹. 'Ita bellum' (ait Cicero) 'suscipiatur, ut nihil aliud quam pax quaesita uideatur.'² Et Augustinus atque canones, 'Pacem habere debet uoluntas, bellum necessitas. Non enim pax quaeritur, ut bellum excitetur, sed bellum geritur, ut pax adquiratur.'³ Sic et uictoria finis artis imperatoriae Aristoteli : quum ea honestatem habet et iustitiam, quae pax est⁴. Et qui bellaces sunt maxime, appetunt hoc quoque : aut fieri, insociabiles, monstra merito censebuntur. quandoquidem nec ullum uitium ita contra naturam est, ut naturae etiam deleat extrema uestigia⁵. Sic legati Romani dicunt regi Persarum, quod si numquam conueniretur in pacem, id esset hominum uitam in ferarum commutare⁶. Sic Iupiter (quae conficta a uiris sapientissimis ad nos instruendum potenter) Gradiuo Marti succenset, bella semper uolenti⁷. Et alia de poetis hic contra bellum notat etiam Polybius. Et ergo ille, quisquis est, apud Senecam, 'Si aeterna semper odia mortales agant : nec coeptus umquam cedat ex animis furor : sed arma felix teneat, infelix pareat : nihil relinquent bella. Pacem reduci uelle, uictori expedit,

¹ Arist. 7. Polit. 14. 13.

² Cic. 1. de Off. 11.

³ c. 3. 23. q. 1

⁴ Caser. 1. de Si. Ce. 7.

⁵ Aug. 19. de Ciu. 12.

⁶ Procop. 2. Pers. 10.

⁷ Phi. de Legatio. (p. 1007); Hom. 5. Il. u. 890.

‘uicto necesse est.’ Et Minerua inquit, ‘Laudo iras placabiles².’ Sed haec innumera de auctoribus omnibus. Hinc uero inductus trophaeorum mos materiae non duraturae: ut qui quidem bello uicissent, hi trophaeum statuerent, uictoriae declarandae testimonium praesens: ceterum uia non praeccluderetur redeundi in gratiam; dum alterius partis laus, alterius infamia consecrata longaeuo aliquo emolumento foret³. Et qui primi trophaeum lapideum et aeneum statuerunt, illi uituperati, etiam et accusati sunt⁴. Et laudati Romani, laudati Macedones: quibus mos nec ullum constituiere⁵. Laudatus Alexander, qui nec de Persis, nec de Indis exerit. Atque certa haec prima definitio est. Erant autem trophaea sacra. ut non euerterentur nec ab hostibus quidem, de quibus crecta erant, ut sic plurimi adnotarunt⁶.

Pax porro a condicionum pactione appelletur: si Festo credimus et Ulpiano, nam Isidorus contra a pace pactum deducit, et quasi ex pace factum interpretatur: atque inter partes esse ex pace conuenientem scripturam, legibus ac moribus comprobata⁷. Et ergo de omni conuentione dicitur pax: sed de bellica tamen praecipue, eaque, quae bello finem facit, aut etiam aditum obstruit⁸. Uerum definitur ab Augustino pax generaliter ut sic, concordia ordinata. Et ordo recta rerum distributio. Quae iustitiae natura est et aliis et iurisconsultis nostris⁹. Nos igitur hic pacem definiemus compositionem belli ordinatam. Baldus plenam sedationem discordiarum dixit: nam pacem non posse fieri remanente bello¹⁰. Quod uerum est: et postea late dicitur a nobis. Sed et hoc habet definitio nostra: et hoc amplius explicat de iustitia: quam quaerimus in ista hic sedatione et ordinem et tributionem cuique sui. Atque de hoc ordine, siue recta distributione nunc dicimus, quod eam aut unus facit uictor, aut pars utraque simul; et quod utrobique cum praeterita, tum etiam futura considerari solent et quidem debent. Id quod totius ille pater sapientiae Homerus docuit: et grauissimus auctor Plutarchus obser-

¹ Sen. 2. Her. Fur. uu. 362, 367. ² Eur. Tro. ³ Diod. lib. 13. c. 24; Nicet. Baldui. 9.

⁴ Cic. 2. de Inu. 23; Plut. Probl. R. 37. ⁵ Flor. lib. 3. c. 2; Paus. lib. 9. c. 40.

⁶ Uitruu. 2. c. 8; Dio 42; Plut. Caes. ⁷ l. 1. de pact. (D. 2. 14) ubi Cuiac.; c. 11. de U. S.

⁸ Decia. 3. cons. 117. ⁹ Plat. 1. de Rep.; Arist. 5. Eth.; l. 10. de iust. (D. 1. 1).

¹⁰ Bal. l. 1. de pact. et. 3. cons. 173.

uauit¹. Sed et noster ille omniscius et omnifiniens Baldus exposuit in responsis². Praeterita ultionem respiciunt, futura pacis constitutae firmitatem: Imo uero hanc firmitatem respiciunt etiam praeterita. ut ex sequentibus apparebit. Sed tradendum de utrisque est separatim.

CAP. II.

De ultione uictoris.

ET uero quemadmodum traditum a nostris est, non decere iudicem paci componendae prius incumbere, quam punita delicta sint: ita hic de ultione iusta prospiciendum fuerit ante: ut succisis belli omnis quasi radicibus pax haberi certior possit³. Iustum autem esse ulcisci, iam constat. Ceterum illud quaeritur, quae ea sit ultio, quam censere iustam possimus. Nam quidam respondent simpliciter, iustum, quod uis armorum in impotentiores agit⁴. Et ut alibi est, 'Nullum ius armis potentius est. quisquis enim uiribus potior est, aequiora semper et facere et dicere putatur.' Et ut alii, iustum, quod potentiori utile est. Et similia: quae notaui et improbau i alibi. Quemadmodum et Plutarchus improbat Pindari uersum, 'Hostem decet, hostis perdere omnia⁵.' Sane enim superuacua est omnis disputatio, si iustum in armis est et in uoluntate uictoris et in hoc uno uerbo Pindari. Sed non ita est. Nam uictoriae natura ipsius est insatiabilis. ut apud Dionem exponit Mithridates uere⁶. Et itaque pax esset numquam. Et itaque internecinum foret bellum et contra naturam: si uoluntas regeret uictoris omnia et uicti omnia perdi possent. Qui bella gerunt, finem non statuunt ipsam uictoriam, nec ut imperio suo cuncta subiciant: at omnes propterea bella gerunt, quod sequi inde cernunt uel iucundum, uel utile, uel honestum. ut inquit Polybius. tantum abest, ut haec perditio probari cuiquam possit⁷. Nisi uelis, efferatos esse quosdam,

¹ Plut. Probl. R. 62.² Bal. 2. cons. 195.³ Bal. l. 1. de no. op. nu. (D. 39. 1); Alex. l. 18. C. de trans. (2. 4). ⁴ Dio 49; Suida.; Str. 1.⁵ Plut. de Aud. Po.⁶ Dio lib. 35. c. 1.⁷ Polyb. lib. 3. c. 4.

qui in perdendo constituent iucundum sibi. Sed alia est adhibenda regula hic. Et Polybius Romanorum gesta ita examinat aliter. Ego illam crudelitatem neque contra barbaros receperim, quicquid diuersum scripserit Plato et uisus Aristoteles sit Alexandro suadere¹. 'Est ulciscendi et 'puniendi modus,' inquit Cicero. Et sequor igitur Alexandri consilium; et probaucrim iudicium Strabonis et Plutarchi magis: qui, barbaros inter et Graccos tanto discrimine non distinguendum, uoluerunt: sed, quasi rempublicam unam censentes orbem uniuersum, omnes homines populares, municipesque et ueluti unius armenti compascuo in agro compascentis corpus existimarunt². 'Est autem,' ut scribit in epistola nobilissima ad fratrem Cicero, 'non modo eius qui sociis et ciuibus, sed etiam eius qui 'seruis, qui mutis pecudibus praesit, eorum quibus praesit commodis 'utilitatique seruire. Etiam Afris, Hispanis, Gallis, immanibus ac barbaris 'nationibus, eorumque commodis et utilitati salutique consulere humanitatis est³.' Nec me mouet de sententia, quod barbari ipsi non tales sint contra nos; qui nec a rebus naturae contrariis per ullum aut metum, aut per ullam reuerentiam deterrentur⁴. Quoniam Plutarchus docte et illud confutat uerbum, 'Improbos contra armat improbitas probe,' et ulcisci iniustitiam, eamque imitari, iniustum esse respondet. Quod et Dio, ut aliorum improbitate fieri improbi neque contra eos ipsos debeamus improbos⁵. Atque eadem Polybius: quod qui mente praediti sunt, quum hostem ulcisci statuunt, non id primum spectant, quid merito ille patiat, sed magis quid ipsos facere deceat⁶. Ita ut de conuiciatoribus, non quid audire inimici debeant, sed quid nos propter modestiam dicere conueniat⁷. Quod non unus, et quod populus Romanus maiorque Africanus obseruasse factis traditum cum Carthaginiensibus⁸. Age, conferamus huc aliquas etiam sententias, ut se offerent. 'Aequum esset, huic culpae 'talionem reponi; sed ego arbitror, imitanda non esse, quae doleas: 'Symmachus⁹. 'Nec umquam committet uirtus, ut, uitia dum compescuit, 'imitetur ipsa, nam imitationem alienae culpae innocentiam uocaueris

¹ Plat. Menex.² Str. 1; Plut. de Ui. Alex.³ Cic. 1. ad Q. F. 1.⁴ Nicet. Baldui. 9.⁵ Plut. Dio.⁶ Polyb. 12.⁷ Iose. de Ui. Su.⁸ Polyb. 15; Sall. Catil.⁹ Symm. 5. Ep. 13.

'male:' Seneca philosophus; item et rhetor; poeta autem illa generatiora, 'Noscere hoc primum decet, quid facere uictor debeat, quid uictus pati¹.' 'Non quid istum audire, uerum etiam, quid me deceat dicere considerabo:' M. Tullius². 'Non quia tu dignus, sed quia mitis ego:' heroina apud Ouidium³. 'Etsi maxime dignae uidentur, cum quibus sic agatur: ipsa tamen res fuit indigna quae fieret, est locus misericordiae, ueniae, officio,' etc. Demosthenes in causa meretricularum, de quibus et se ipsa sic illa, 'Nam si ego digna hac contumelia sum maxime: at tu indignus qui faceres tamen⁴.' Et Castor et Pollux Oresti de matre caesa, 'Iusta quidem haec exsoluit: sed tu interim haud iuste fecisti nec Phocbus conluluit sapienter tibi:' apud Euripidem⁵. Quem hic ita laudat Clemens Alexandrinus, 'Euripides Socratica schola uere dignus, respiciens ad ueritatem et spectatores despiciens, Apollinem arguit in os, quod matrem interfici uoluit a filio⁶.' Ego de eo facti alibi, 'Non quid ille sua meruisset culpa, uerum quid Syracusani populi poscerent iura, quid mores, quid antiqua instituta decerent, uidentur est⁷. Et Augustinus L. Antonio, 'Cum libere te et tuos mihi dedas, demta mihi ira considerandum est, non quid uos commeriti, sed quid me deceat⁸.' Aut numquid plura? Moyses, qui unus satis, iniustos dicebat Edomaeos esse, sed se decere tamen agere mitius: et non oportere intueri, quid illi essent promeriti, at id, quod se deceret et Iudaeos suos⁹. Et igitur non quid uictor possit et quid uictoria uelit, sed et quid deceat utramque personam uictoris et uicti; uictoris uero in primis suam et rem etiam ipsam quid deceat, quae geritur, considerandum hic est. Omnia autem dirigenda sunt in finem: qui pacis utilitas. 'Quos expugnas, ad pacis utilitatem uincendo perducas:' inquit Augustinus. 'Mala est uincendi cura, si non id etiam curatur, ut uictoria bono sit:' ait Clemens Alexandrinus: qui gesta Persarum in Graecia sic uituperat¹⁰. Admitto illud, ut durius agi cum barbaris possit. Nam cum barbaris uolentia est affabilitate potentior. Et sic Romani (Strabo scribit) prioribus seculis,

¹ Sen. 2. de Ir. et i. Contr. et Troa. 2. u. 256. ² Cic. Uerr. 3. ³ Ouid. Ep. Hypsipyle. u. 148.

⁴ Demo. adu. Andr.; Ter. 5. Eun. 2. u. 26.

⁵ Eur. El. u. 971.

⁶ Cl. Al. ad Gen.

⁷ Diod. lib. 11. c. 92.

⁸ App. 5. Ciuil. 45.

⁹ I'hi. de U. Moy.

¹⁰ Cl. Al. Str. 1.

aduersum nationes agrestiores belligerantes, suauitatis disciplina nequam indigebant: sed ex quo contra mansuetiores bella tractare coeperunt, benigne agendo cuncta suo subdidere imperio¹. Ita Ambrosius, 'Uelcmentioribus hostibus et infidis et his qui amplius laeserint, uelcmentior refertur ultio: ut Madianitis, qui per mulieres suas peccare fecerunt, nullum Moyses superstitem passus².' Et nos de his etiam antea et de seuiore ratione agendi cum eiusmodi hostibus. Neque uero contradico mihi: licet fecerim iustam saeuitiam omnem aduersus hos saeuissimos hostes. Nam illud sic fuit ante uictoriam, ut uincas. istud nunc adscrimus, quum parta uictoria est. Atque differentia haec talis est, quales inter tormenta et poenam natatur ab Augustino sapienter. 'Inquirendi, quam puniendi necessitas maior est: ad hoc enim et mitissimi homines facinus occultatum diligenter atque instanter examinant, ut inueniant quibus parcant³.' Haec et Uirgilius insinuauit laudibus Romanorum,

'Tu regere imperio populos, Romane, memento.

'Hae tibi erunt artes, pacisque imponere morem:

'Parcere subiectis, et debellare superbos⁴.'

Edidit scilicet praecepta isthaec duo, debellandi unum, parcendi alterum. utrumque uero regendi ac imperandi ratione conclusit: adque pacem, suum belli finem, disposuit. Alios fregit, alios fecit mansuetos Caesar in Gallia⁵. 'Et nihil aliud est uictoria, quam subiectio repugnantium. quod cum factum erit, pax erit.' Itidem Augustinus⁶. Qui superbi sunt, hi iuste debellantur. Ut ad iustitiam idem Uirgilius hoc refert, 'Iustitiaeque dedit gentes frenare superbas⁷:' et aliquis notat nostrum⁸. Hos ut debelles, agas duriter. Debellati iam superbi non sunt. Et, quod dixi, tui sunt. Nunc fines quaeruntur bellorum: non bella tractantur. 'Et bellorum egregii fines, quoties ignoscendo transigitur:' rex aliquis apud Tacitum: 'Ita maioribus placitum, quanta peruicacia in hostem, tanta beneficentia aduersus supplices utendum:' apud eundem imperator Romanus⁹. Ungarorum (hi erant moribusque religioneque barbarissimi)

¹ Str. 9.

² Ambr. 1. de Off. 29.

³ Aug. Ep. 159.

⁴ Uirg. 6. Aen. u. 853.

⁵ Dio lib. 40. c. 43.

⁶ Aug. 19. de Ciu. 12.

⁷ Uirg. 1. Aen. u. 523.

⁸ Fab. 2. Sem. 2.

⁹ Tac. 12. Ann. 20.

ualida urbe capta per Carolum magnum, ad quam Galli plurimi cecidere, tamen et parcitur supplicibus¹. Sed et de his dictum antea quoque est. Quid igitur superest, nisi ut conclusio et regula omnis ultionis ostendatur? 'Uis una et intima medulla uirtutum omnium modus. Tene medium, si non uis perdere modum, medium sedes modi et modus uirtus. Temperantia est illud, Ne quid nimis.' Haec Bernardus ad Eugenium papam². 'Est poenae modus, sicut rerum reliquarum, et quaedam mediocritas.' Sic Cicero³. Qui item modum indicat et moderationem, si nihil fiet dissolutum, nihil crudele. Neque uero cohibenda semper aut hic est ira. Nam et ita est saepe bonarum actionum ministra et iustitiam affert⁴. Etiam parcere non mansuetudinis semper, sed interdum et uitii est et ignauiae⁵. Parcendum subiectis, dixit Uirgilius. Et hoc est, quum qui laecesserit, eundem poenitet iniuriae suae: et talem efficit nunc ultio, ut ne quid tale postea committere habeat⁶. Quae Cicero: et uere quidem, addens tertiumque, ut ceteri etiam sint ad iniuriam tardiores. Eleganter et Ennodius in Panegyrico Theodorici de hoste sic uicto, 'Nec exstinctus, ne periret monumentis: nec intactus, sed prostratus, ne uiueret arrogantiae.' Est quidem aliud poena, quae respicit patientem, et aliud ultio quae respicit facientem: ceterum et utrumque consideramus iam, siue poenam dicimus, siue ultionem⁷. Et pergimus igitur dicere, quod quae sunt communes poenarum regulae, eadem in modo ultionis constituendo ualebunt. Atque illae sunt, solatium affecti iniuria, securitas a punito et a reliquis in posterum et ne quid lucri faciat peccator. quas singulari quadam ratione explicauimus. Securitas ualde quaeritur: nam (ut hic dicitur) facta infacta fieri nequeunt. Atque Caesar egregie non adeo praeteritorum gerebat itaque curam, quam ut in posterum posset tutus esse. quare feceritque multis gratiam offensarum grauissimarum, aut leui admodum fuerit uindicta contentus: quum crederet, illos sibi temperaturos a maleficio. contra autem, securitatis suae causa multos, acerbius quam res ferebat, est ultus: ut alios supplicii grauitate abstereret⁸. Et hoc non

¹ Bonf. 1. Ung. 9.² Ber. 1. 2. de Consid.³ Cic. 15. Ep. ad Bru.⁴ Basil. Ho. 10. co. Irasc.⁵ Chrysost. Ho. 11. Op. Imp. et Psal. 131.⁶ Cic. 1. de Off.⁷ Arist. 1. Rh. 10.⁸ Dio 38.

tamen egregie. Nam meritum excedere ultio nunquam debet: at pro mensura cuiusque delicti debet constitui¹. Ultio in eo esse debet, in quo et peccatum est². Non debet nisi peccati auctores afficere: ut de hoc non semel notauimus.

Poenae interdictae respectu quodam naturae locum nec habere deberent hic. Nos priuatam disputationem tribuimus his quae per ius ciuile interdictae sunt, et quae mihi etiam naturae respectu interdictae uidentur: ut manus abscisso utriusque et pedis. Etiam de una sic Paulus ille Aemilius, nobilissimus scriptor, 'Licentia belli, potius quam humanitatis iure, praecisis dextris captos dimisit³.' M. Tullius quoque ait crudele et improbat, quod Athenienses praeciderent Aeginctis uel pollices⁴. Idem et Plutarchus et Aelianus, qui aliaque barbara Atheniensium recitat⁵. Uisum illud utile (inquit Cicero) aduersum ualidos classe et nimis propinquos. 'sed nihil quod crudele utile.' certe iustum non est quod crudele est. Etiam qui plus aequo uult sibi prospicere aut prodesse, is iniuriam facere dicitur: quia excedit modum⁶. Intercidunt pollice perduto, reliqui digiti omnes: qui absque eius ope nihil agunt. quod uir summus Andreas Uesalius et de eo Aeginctarum malo tradit⁷. Ille pollet digitus: unde et pollex dictus. imo ille digitus manus est: et sic Graccis appellatur. At auctori sententiae eius tam atrocis, capto mox a Lysandro, exprobratum hoc maxime in os fuit. Retaliatum fuit Atheniensibus et os foedatum. Etiam equi signo compuncti in fronte alibi⁸. Sic persequitur Nemesis iniustos. Est uero et poena haec iniusta. ut dixi in illa disputatione. Basilius barbarissimus, qui captiuis quindecim millibus Bulgaris oculos effodit, singulis tantum centuriis uno relicto monoculo, qui alios domum reduceret⁹. Etiam Guicciardinus, historicus ille nobilis et iurisconsultus laudatus, crudelia haec accusat: et in ore legati Florentini ponit, 'Iustitiam fundamentum esse uirtutum omnium. neque ab ea discedendum causa utilitatis.' quod et plus quam manifestum est¹⁰. Et si durante

¹ Ias. 1. ult. C. de iu. emph. (4. 66); Plat. 11. de Leg.; Leo. 61. 62. 66.

² l. 31. de fals. (D. 48. 10); Auth. omnes, l. 10. c. de succ. (6. 49); Cic. 3. de Leg. 20; Tert. ult. adu. Marc.

³ P. Aemil. 5.

⁴ Cic. 3. de Off. 11.

⁵ Aelian. lib. 2. c. 9; Plut. Lysa.

⁶ Bal. l. 3. de diu. re. (D. 1. 8).

⁷ Uesal. 1. Anat. 27.

⁸ Plut. Nic.

⁹ Zon. lib. 17. c. 9.

¹⁰ Guicc. 3.

bello haec nequeunt fieri, multo fiet minus finito bello, parta uictoria. Quid istae sibi uolunt poenae deformatrices naturae? Monstra non uult natura: at a poenis istis monstra statuuntur. Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, libido dominandi, culpantur hic: et contra sunt poenarum regulas¹. Haec sunt quae bellum finitum nec finitum efficiunt. Quod Augustinus uituperat late². 'Leo eum qui 'telum miserit, sed tamen non uulnerauerit, correptum raptatumque sternit, 'nec uulnerat'³. 'Ferarum, nec generosarum quidem, praemordere et urgere projectos: elephantes leonesque transeunt quem impulerunt. Non 'deceat regem sacua nec inexorabilis ira.' sic Seneca⁴. Discendum hic a uiris illis est laudatissimis: qui irati uindictam aut de noxiis seruis capere ipsi noluerunt, at mandarunt aliis⁵. 'Discite' (ait egregius Hospitalius contra matres non lactantes. ego autem uno tantum mutato uerbo hic apto)

'Discite uirtutem propriam; si uestra uoluntas

'Hanc refugit, nec quidquam hominis, nisi nomen habetis,

'Et faciem, propriam uirtutem discite reges

'A brutis, auibusque, inmani a stirpe ferarum:

'Aut illis hominis potius concedite nomen.

'Uosque feras, quales estis, sic ferte uocari⁶.'

An dixi satis? Pro qualitate personae, proque rei condicione et temporis et aetatis et sexus uel seuerius, uel clementius statuatur de poenis: ita ut neque seueritatis, neque clementiae gloria affectetur tamen⁷. Et id genus alia. Atque uix est, ut hic certius constitui quicquam possit: si non ipsae certae species proponantur, de quibus respondeamus. Quod immensum prosequi; nec cuiusquam est artis. Quae tamen tractari sapius solent, de eis fuerit dispiciendum.

¹ c. 4. 23. q. 1.

² Aug. 5. de Ciu. 26.

³ Pli. lib. 8. c. 16; Arist. 9. IIist. 44.

⁴ Sen. 1. de Cle. 5.

⁵ Ual. 4. c. 1.

⁶ Hosp. 3. Ep. ad Ia. Mo.

⁷ l. 11. de poen. (D. 48. 19); l. 16. ad leg. Iu. pec. (D. 48. 13).

CAP. III.

De sumptibus et damnis belli.

SUMPTUS belli uictor recuperat iure, et damna quae passus est; quod dicunt historici: qui referre temporum iudicia uidentur¹. 'Pro im-
 'pensis in bellum factis quindecim millia talentum Eboicorum dabitis:' in
 condicionibus pacis cum Antiocho. nouem, opinor, coronatorum miliones².
 Et alia sunt exempla. Nostri autem interpretes iuris, ad fori disceptationes
 quod attinet, sic tradunt, ut uictus uictori cum in ciuilibus, tum in crimina-
 libus, sumptus refundat, si et iniustam habuit causam litigandi: praesertim
 si is uictus sit qui litem mouit; qui et potuit et debuit se melius adparare³.
 Quod si autem litigasse iuste uidebitur uictus, condemnatio neque fit.
 Iusta causa reum excusat et actorem quoque. Attamen contra actorem
 facit et Polybii illud, quod priores in laedendo sustinent culpam omnium⁴.
 Sed et contra omnem uictum dicitur, 'Euentus belli, uelut aequus iudex,
 'unde ius stabat, ei uictoriam dedit'⁵. 'Aequitati semper solere iungi
 'uictoriam'⁶. Negabat id quidem Pius secundus: quoniam et Iudaci
 et Christiani saepe bellis uicti cacciderint⁷. Quae incepta est ratio: et
 Christiani enim et Iudaci saepissime digni fuere qui uincerentur, et quidem
 a barbaris impiisque. Neque uero religio bona iustificat opera mala;
 et pluries non ob religionem, at ob humanas causas bella nostri susce-
 perunt, gesserunt iniuste. Deum a Romanis stetisse sic Iosephus, aut
 quisquis alius apud eum⁸. Habes Iudaeos diserte damnatos perque pro-
 phetae uocem⁹. Et ego tamen sic puto, contingere nec raro, ut deteriores
 supereant eos qui sunt etiam in causa meliores. Quod et Plutarchus scribit¹⁰.
 Sic scilicet uidemus etiam in ciuilibus et tribunalium disceptationibus suc-
 cumbere saepe partem, inopia probationum, potentia aduersarii, sordibus
 iudicantis, aliter¹¹, ut in disceptatione uiolenta idem contingere et sane

¹ Iusti. lib. 33, c. 1. ² Liu. lib. 37, c. 45. ³ Bar. l. 27, de adult. (D. 48. 5); Dec. cons. 241. 360.

⁴ Polyb. 9.

⁵ Liu.

⁶ Amm. 23.

⁷ Comm. Pii 2. lib. 5.

⁸ Iose. 2, de Bel.

⁹ Iser. 21. 27.

¹⁰ Plut. de Cohib. Ir.

¹¹ l. 1. de appel. (D. 49. 1); Bal. l. 25. de sta. ho. (D. 1. 5).

facilius possit. Scribit Baldus, succubuisse Francos Anglis in lite regni, forte ex causa quae in mente fuit diuina, non ex illa quae clara pro Francis, et de qua litigabatur¹. Ceterum neque nodus hic est. Etenim iniusta litigandi causa ut possit censeri aequaliter, numquam euinci tamen potest a uictoria aduersarii; cum stare utrumque possit simul. aut uicti omnes damnarentur sumptibus litis. Quid? Non docuimus, non monuimus pluries, bellum iuste geri utrinque posse? Quid ergo? An ita hic etiam distinguemus, ut tum sumptus belli uictor recuperet iure, quum neque iusta uicto fuit bellandi causa? An constituemus, ut recuperet semper? Sic receptum uidetur. Atque iusta tum nec excusat causa ciuilitate litigandi, quum est promissum et conuentum inter partes, ut sumptus litis uictus rependeret². Et idem si statuto id esset cautum. Quamquam in hoc posteriore casu uariant nostrorum interpretum opiniones³. Sed hic adde, quod uictor est, qui in nostro bellicae litis argumento statuere de iusta et ipsius sua litigandi causa habet. Ergo uix eam pronuntiabit iustam uicti, quin suam uictoris pronunciet iniustam. Et id itaque non faciet. Et quamuis iustum esse bellum utrinque possit: non id tamen uideri parti utrique potest. Quoniam tamen induit nunc uictor iudicis personam aequi, non sustinet solam partis: utique debet, quantum potest, ad aequitatis regulam flectere se et cum iuribus suis asserere etiam iura partis: inque isto iudicio, quod exercet ultionis supra partem uictam, temperamentum ex utraque persona adhibebit. Inquit de quibusdam accusatoribus et iudicibus Cicero, 'Funguntur officio: defendunt suos: faciunt, quod uiri fortissimi solent. Iaesi dolent: irati efferuntur: pugnant lacessiti. Sed uestrae sapientiae tamen est, iudices, non si causa iusta est uiris fortibus oppugnandi M. Caelium, ideo uobis quoque causam putare esse iustam, alieno dolori potius quam uestrae fidei consulendi⁴.' Iudicem nunc agit uictor, et sui bellum gerentis iuste causam uidet. non illi iusto dolori, sed fidei praesenti habet consulere. Sic Minos iustissimus. 'Non tamen immerito Minos sedet arbiter Orci: uictor erat quamuis, aequus in hoste fuit⁵.' Ait Cicero, 'Amici personam deponat, qui induit iudicis⁶.' Et nos, 'Inimici

¹ Bal. l. 1. de senat. (D. 1. 9).² Alex. 2. cons. 37, 4. 34. 5. 183.³ Mol. d. Alex. 183.⁴ Cic. pro Cacl. 9.⁵ Prop. 3. Eleg. 17.⁶ Cic. 3. de Off. 10.

'personam deponat, qui induit iudicis,' quando et inimicitia nec manet nunc, hostibus debellatis. Et sic igitur quae sunt definitiones in priuatis causis, ad sumptus litis damnantes partem uictam, cae erunt et in his publicis: et nullae erunt acquiores.

Sumptus autem damnaque et interesse in tantum debentur, quum debentur tamen, ut, quamuis sit composita pax, neque illorum sit facta mentio, debeantur tamen et praestanda sint. Quae nostrorum est sententia interpretum¹. De qua ego quaerendum amplius putem in tractatu isto. Sed et iidem definierunt, quod attinet ad priuata, quod etsi remissa generaliter damna sint, remissi sint sumptus, non ideo a priuatis, quae ipsi passi sunt, non repetentur. Id tamen uerum esse negat Ioannes Bodinus². Et tu dubitare sic potes. Quoniam pro pace componenda non unum contra iuris regulas constitutum est³. In pace enim utilitas maxima a lite recedere⁴. Qua ratione et in fauorem transactionis multa inducta per ius ciuile⁵. Et transactio dicitur tertia contractus species semilucratiui⁶. Et non eum laedi qui inimicitias fugit, tradit alius praecceptor meus honoratissimus Sfortia Oddus⁷. Cum id genus pluribus. Pro bono pacis arbitratores possunt se extendere ad rem non comprehensam in compromisso⁸. Beneficium inuito hic confertur: et priuati homines compelluntur ad pacem: etiam et publici quodam modo, ut antea dixi⁹. Ne autem congeram plura, hoc ipsum, de quo agimus, singularis iuris est, bona priuatorum pacis causa dari a republica posse, aut principe. Et ita uulgo tradunt¹⁰: remitti ex ista occasione posse a principe et iniurias et damna subditorum: et hos conqueri deinceps nunquam posse, nec ciuilliter, nec criminaliter¹¹. Ipse scilicet princeps obligetur suis isthaec restaurare: quae iuris gentium eis tollit cum causa, iuris ciuilis sine causa¹². Philippus Decius et hoc docet amplius, donationes istas et remissiones factas a principe de rebus priuatorum lata excipi interpretatione oportere¹³. Qua in re forte aduersatur Alexander: qui ex facto consultus, si pace inter Farnesium facta et Ursinum, 'cum fine,

¹ Ias. l. 1. de pact. (D. 2. 14). ² Bod. 3. de Rep. S. ³ Rom. cons. 126; Alc. 1. 1 et 5. 131.

⁴ Alex. 5. cons. 94. ⁵ l. 39. ubi no. C. de trans. (2. 4). ⁶ Bal. l. 16. C. de fi. instr.

⁷ Odd. 2. de in int. re. 85. ⁸ Ceph. cons. 121. ⁹ Chass. 5. Cat. 24.

¹⁰ Rom. cons. 310; Alex. 1. 136, 2. 190; Alc. 5. 132; Ceph. 40; Duar. l. 5. de pact.

¹¹ Alex. 6. cons. 151. ¹² Ceph. cons. 133. ¹³ Dec. cons. 352. 602.

‘ refutatione, quietatione, pacto de ulterius non petendo uel exigendo, de ‘ et pro omnibus, singulis, damnis, interesse, expensis, iniuriis,’ Ursinus re-
 petere adhuc possit castra a Farnesio occupata, respondit posse¹. Et eam
 affert rationem, quod nullo uerbo remissum ius uindicandi sit: aliud quippe
 sit damnum, aliud rapina et furtum et illa occupatio Farnesii: a qua item
 aliud est interesse, item et expensae et iniuriac: atque iniuriam qui re-
 mittat, is remisisse non dicatur ex iniuria damnum²: et qui remittat
 iniurias, expulsiones, deuastationes, non propterea remisisse dicetur damna
 et interesse; itaque nec ius uindicandi dominium. Ut haec omnia exse-
 quitur in responsis ille iuris interpret maximus. Quae tamen mihi extra
 subtilitatem iuris in proposito nostro non probantur. Imo etiam damnum
 ab ademptione et quasi deminutione patrimonii dictum est. Et furtum signifi-
 cari posse aliquo modo, etsi non stricto ac proprio, etiam confitentur inter-
 pretes³. Etiam nomine interesse uenire fructus, usuras, alimenta, res ipsas
 principales⁴. Addit in casu Alexander suo, castra illa a Farnesio occupata,
 feudalia fuisse: quae non sine poena alienentur. igitur nec uenerint in
 generali obligatione. Ego autem nunc dico primum, pleraque bella esse
 quidem inter summos principes et de rebus non feudalibus; tamen et inter
 hos etiam esse qui habent superiorem: et de his quoque rebus, quae iure
 feudi possidentur. Et de his est Alexandri responsum et personis et rebus.
 Nos uero uidimus de personis in primo libro non semel. De rebus id dico
 secundum, pati dominum non habere, sibi alium fieri feudatarium. Sed
 ipse feudatarius tamen nihil magis potest, quam si equum commodatum
 acceptum amisisset in praelio. Etiam de his rebus tradidi in secundo libro,
 ad finem capituli uigesimisecondi. Atque ita mihi uidetur cum Alexandro.
 Sed de priuatorum bonis quod disserebam, an ergo acquisita sunt, quia
 possunt adquiri⁵? an sequitur statim, data esse, quia dari potuerunt⁶?
 Etiam probabilis et probata causa desideratur, ut fieri hoc ipsum ualeat.
 ut idem Decius docet. At putem tandem, tradita atque relicta: quando-
 quidem bellis compositis iudicia priuatorum istiusmodi relata numquam
 aut audita sunt. Et quae in bello mala contingunt, ea sunt priuatorum

¹ Alex. 2. 168.² Alex. l. 3. de da. inf. (D. 39. 2).³ Mol. d. Alex. 168.⁴ Alc. 8. cons. 37.⁵ l. 34. de adq. po. (D. 41. 2).⁶ Ceph. cons. 23.

non minus frequentia, quam publici. Hic illud uerificatur, 'Quicquid de-
 'lirant reges'. Hostis nec a publico hostico, nec a priuato capit iniuste.
 Sic certe. Uerum Baldus tamen sic: remitti publicum ius facilius quam
 priuatum; non officere principum conuentiones priuatis: nisi illae sint de
 uniuersis, et haec quae de principibus notantur, conuenire quoque ducibus
 belli, quibus et potestas data sit². Quae Baldi nec aduersantur conclusioni
 nostrae, est namque pax conuentio de uniuersis. Quod si tamen uisum
 aliter sit aut illi, aut aliis, nos in casu adhuc sequimur ipsos, quum quid
 priuatis extra bellum debetur. Atque ita quidem Ancharanus, quod si
 conuentum sit, ut decedatur omnibus quae in bello occupata sunt, non his
 sit decedendum, quae priuati possidebant priuato iure³. Ita Decius, alii
 dicunt, non reperiri iure cautum, ut, ob bellum sacuiens inter duos principes,
 subditi inuicem non teneantur soluere sua debita, et idem igitur uideri de
 eo poterit quod extra causam belli debebatur publico. Cur enim publicum
 a priuato hic distingueretur? Non de isto debito comprehensum in pace
 uidetur; pax enim non spectat ad ea de quibus bellum non fuit⁴. Isthacc
 incorporalia nec capta, quaesita hosti in bello censebuntur: ut ita retineri
 possint. Ut mox sum expositurus. Etiam nec illa intelligentur remissa
 atque relicta, quae ablata legatis fuissent: ut ita Baldus respondit⁵. Et
 ergo idem de reliquis dicemus nos, quae per ius belli fieri in bello neque-
 unt. Lata porta abeundi a pacto pacis: cum fiant sane multa in bello
 quae de iure belli non sunt, et quae si possent repeti pace facta, redeundi
 in bellum occasio esse posset. Cui obstrui debet, eique qui antea aequiori
 tempore in conuentionibus pacis isthaec dissimulauit.

CAP. IV.

Tributis et agris nullari uictos.

PRAETER sumptus et alia, si quae dixi, etiam tributa uictor, stipendia
 uictis imponit iuste. Scilicet tributa reipublicae nerui sunt, quos debilitare

¹ Ceph. cons. 58.² Bal. l. 4. C. de se. fu. (6. 1).³ Anch. cons. 204; Dec. 61; Ceph. 451; Crau. 6.⁴ Bal. 2. cons. 195.⁵ Bal. 4. cons. 107.

hostibus uictis, confirmare sibi uictori expedit¹. 'Iure uictoriae tributum uobis addidimus:' inquit ad Gallos dux Romanus². Et uero exteris uictis haec iniungere Romani soliti³. Et Iustinianus noster Zanis uictis tributa indici iubet, ut se uictos agnoscerent⁴. Atque eadem in censu ratio est alterius legislatoris⁵. Census et seruitutem ostentat. Et ergo Iudaei, qui se liberos uolebant, de censu Caesari non dando disceptabant. Sed et tributum et stipendium et uectigal sic seruitutem demonstrant. 'Agri tributum onusti, hominum capita stipendio censa, notae sunt captiuitatis:' ait Tertullianus⁶. Ciuitatem sanctam sic deplorat Ieremias, quae de principe facta sub tributum⁷. Sic Annibal dictus a consule uectigalis, stipendiarius ac seruus⁸. Serui isti dicti et a Cicerone. 'Antiochus inseruitentium' regum ditissimus⁹ dictus a Tacito⁹. Uectigalia seruitutes, uel ad instar seruitutum: ait Baldus¹⁰. Est certe in omnibus praemium uictoriae, poena belli: ut M. itidem Tullius habet, pretium pacis: ut ait Orosius: uinculum pacis, monumentum belli. ut, agri parte a uictoribus possessa, defectionem uicti non facile cogitent: et ut extet belli, quo uicti illi sunt, memoria¹¹. Sic uictis consulitur atque uictoribus: quod hic fieri oportet. Sic ego probem Ninum: qui primus dicitur bello parta retinuisse; cum priores contenti uictoria, imperio abstinuissent¹². Quamquam et tria illa amplius annorum millia, ab Adamo usque ad Ninum, ignorata omnibus aut omissa sunt historiographis¹³. Usque ad Ninum per annos mille et quingentos Scythae antea Asiam uectigalem habuerunt, tamen ut ita modicum tributum solebant illi imponere magis in titulum imperii, quam in uictoriae praemium¹⁴. Sed certe et hoc praemium iustum et consilium reliquum: 'Difficile est quidem ea quae commodis, utilitate et prope natura diuersa sunt, uoluntate coniungere. Sed quod acerbissimum uictis est, quod sint uectigales, id non ita uideri acerbum debet: si forsitan fuerunt etiam antea tales quam in ius et ditionem praesentis uictoris concessissent. Et illud semper cogitare habent, nullam a uictore

¹ l. 1. de quaest. (D. 48. 18).² Tac. 4. Hist. 74.³ App. 2. Ciuil. 102.⁴ Agath. lib. 5. (p. 145).⁵ c. 2. de cens.; Iose. 18. Antiq.; Euseb. 1. Hist. 3; Matth. 22.⁶ Tertull. Apol. 13.⁷ Jer. Lam. 1.⁸ Liu. lib. 21. c. 41.⁹ Tac. 2. Hist. 81.¹⁰ Bal. 3. cons. 370.¹¹ Cic. Uerr. 5. Agr. 2. ubi Ma.; Oros. 5. c. 1.¹² Iustin. lib. 1. c. 1.¹³ Oros. 1. c. 1.¹⁴ Iustin. lib. 2. c. 3.

‘ neque belli externi, neque discordiarum domesticarum calamitatem abesse
 ‘ posse, si hoc imperio non tenerentur, id autem imperium cum retineri
 ‘ sine uectigalibus nullo modo possit, aequo animo parte aliqua suorum
 ‘ fructuum pacem sibi sempiternam redimant, atque otium¹.’

Agro itaque multare uictos, solenne Romanis et iustum². Extra Italiam
 constituere nec mancipi omnia, quod est, non ita illa uictis relinquere ut non
 retinerent ipsi uictores Romani simul dominium primum. Ut uero damnata
 est dominandi libido: et bella imperii causa proferendi latrocinia grandia
 reputata sint Augustino: quaeque olim occupatio bonorum licita erat, facta
 mox rerum diuisione desierit esse licita: belli tamen titulo non minus
 quam alio quouis et agros et res alias quasuis posse quaeri, indubitatum
 est³. ‘ Res hostium belli iure auferuntur:’ scribit Clemens Alexandrinus⁴.
 ‘ Sunt priuata’ (ait Cicero) ‘ nulla natura, sed aut ueteri occupatione, ut
 ‘ qui quondam in uacua uenerunt: aut bello, ut qui uictoria potiti sunt,’
 etc.⁵ Sic et lege Dei sunt tributa et acquisitiones⁶. Et Iacobus dat
 Iosepho terram quam de Emoraeco armis cepit⁷. Ita itaque ferendus non
 est Lucanus, qui orbis terrarum praedonem appellat Alexandrum⁸. Si
 is enim iuste bella mouit, gessit, finiuit iuste, etiam potuit regna hostium
 occupare uictor. Ita ineptusque Lucani patruus Seneca, qui et alia et hoc
 notat in Alexandro, quod latro fuerit: neque cum Hercule (ut cupiebat)
 fuerit ulla ratione conferendus: quando nihil sibi uicerit Hercules, at orbem
 terrarum transierit non concupiscendo, sed uindicando⁹. Inepti, inquam,
 isti Hispanici, neque ex Hispanico praesenti stomacho, qui non Alexandri
 unius, sed omnium gentium et omnium temporum imperia, tenuibus nata
 initiis, aucta per rem bellicam, condemnarunt. Romanorum imperium a
 casis pastorum uenit, et uirtute factum audimus¹⁰. Utrum in re nec
 obscura nec controuersa diutius haereo. Et fuit tamen dicendum hic
 aliquid: quoniam ista occupatio aliena naturae et aequitati etiam hodie uisa
 aliquibus est¹¹. Si inter priuatos (aiunt) non haec licent, quo pacto aequa

¹ Cic. I. ad Q. F. I. c. 11.² App. I. Ciuil. 102; Ulp. tit. 19; Baldu. xii. Tab.³ Aug. 4. de Ciu. 6; Alc. 5. cons. 132; Bald. I. barbarius, lect. 3; Couar. Reg. Pecc. p. 2. § 11.⁴ Cl. Al. Str. I.⁵ Cic. I. de Off. 7.⁶ Deut. 20.⁷ Genes. 48.⁸ Lucan. 10. u. 21.⁹ Sen. 1. de Benef. 13.¹⁰ c. 14. 28. q. 1.¹¹ Nat. Co. 12.

inter principes erunt. Respondeo. aequa inter principes: qui sic suae consulunt uictoriae et securitati: infirmioribus factis hostibus, se ipsi factis firmioribus: ut illi in posterum minus audeant, possint: et ipsi minus habeant uereri pericula eadem. Quae ratio ad priuatos non pertinet: qui defensorem, ultorem habent semper magistratum. Addunt, hic iam per bellum sumpta supplicia esse de sceleratis. Quod nihil est ad securitatem et ad alteram ulionis partem, quae in futurum porrigitur. Ecquid quoque quum uicti non intulerunt cladum minus quam acceperunt? Secundo Punico bello, immo etiam primo, plura uictores passi quam uicti. Primo amiserunt Romani quinquerecentas septingentas: Carthaginenses quingentas¹. In secundo unus Annibal, inque Italia una, deleuit oppida quadringenta, strauit trecenta uiuorum millia². Et Poenis nulla fuisset ad extremum poena? Homines iam non licet occidere. Priuatis quoque auferri bona in poenam solent per leges: et saepe his deferri, quibus peccatum est. Sic stat (ait Philo) infortunium duplex: ut hostis sua perdat, quae uictori simul adquirantur hosti³. Alciati quoque negat, capta bello inter Christianos fieri capientium: quia hoc ciuile et plus quam ciuile bellum sit: et theologos, siue mataeologos potius quosdam tradere contrarium et in conscientiae foro: ubi magis ea fuerat adquisitio deneganda⁴. Sed mihi ratio Alciati uana uidetur per supradicta: et improbabilis sane opinio.

Sit itaque conclusio constitutissima, ut quaeri de hostibus possit: ut tamen seruetur hic iustitia et aequitas. Non omnia faciet uictor sua, quae per uim et per uictoriam potest. 'Quanto plus licet, tam libeat minus:' inquit sententia Sapientis⁵. Et facit omnia pro arbitrio boni uiri: quod pro rerum uarietate uariabitur. Securitati si consulat, tum erit bene satis, quum abfuerit metus. Nec uero dicitur excedi modus inculpatae tutelae, si quid fit quod periculum amouet⁶. Quamquam nec quaeritur in tractatu iuris gentium aut principum de isto modo⁷. Si damna sint sarcienda: ne quid quaeras amplius. Et in defensiuo bello damna tantum sumptusque quaeri oportere, uolunt⁸. Quae itidem Alciati sententia displicet. Ariouistus autem aspere

¹ Polyb. 1. 63.² App. Pu. et Ann.³ Phi. de Exsecr.⁴ Alc. l. 118. de U. S. (D. 50. 16).⁵ Auso. Se. Sap. (311).⁶ Soc. 3. cons. 68.⁷ Ias. l. ut uim (D. 1. 1. 3); Couar. Reg. Pecc. p. 2. § 9.⁸ Alc. 5. cons. 132.

nimis et de agris et de uectigalibus, ' ius esse belli, ut, qui uicissent iis quos ' uicissent, quemadmodum uellent, imperarent ¹. ' Romani pro uarietate eorum quos uicissent, ita isthaec omnia constituebant. quod dico secundo de Romanis armis. In tributis illud iustitiae summae, quod a singulis exigerent res in locis uiles: a Siculis triticum, a Corsis ceram, etc. atque grauissimum et uituperatum uetitumque contrarium ².

CAP. V.

Victoris adquisitio uniuersalis.

ACCEDIT ea nunc disceptatio, si ius est uictoris uniuersale: an uero in his tantum rebus, quas pede premit, manu tenet. Et habet Hotomanus in Illustribus Quaestionibus et concludit, non uniuersale, sed particulare esse: ut emtoris, alteriusque successoris particularis est ³. Et scribit sane Celsus iurisconsultus, exercitum eam tantummodo partem obtinere quam intrauerit ⁴. Ea pars profecto est insidentis exercitus: et itaque ius illic dicit dux exercitus ⁵. Hotomanus ait, totum hoc ius in manu et occupatione et captiuitate positum. Ergo quod in quaestione notat Quintilianus, id definit Hotomanus secure, Thessalos non honoratos ab Alexandro, sed derisos: qui illis chirographum quoddam donauerat Thebanorum: cum ius exigendi pecuniam, quod chirographo consignatum erat, in manu uictoris non fuerit ⁶. Uerum id est tractandum cautius. Et quaestio in hoc genere etiam Dyrrachinis fuit cum homine quodam, quem Ciceroni commendat per literas Brutus, ' Pecuniam debitam, non est dubium: neque Dyrrachini ' inficiantur: sed sibi donatum aes alienum a Caesare dicunt ⁷. ' Sed Alexander uideri Thebanorum uniuersalis successor potuit: quoniam euersae Thebae: et itaque mortem passae erant ⁸. Nam Bodinus haud recte reprehendit iurisconsultum qui dixerit, ciuitatem esse desiisse Carthaginem, passam aratum et euersam funditus. Etenim urbs deserit, non ciuitas.

¹ Caes. 1. Gall. 36.

² Tac.; Aug.; Treb.; Ba.

³ Hot. Ill. Q. 5.

⁴ l. 18. de adq. po. (D. 41. 2).

⁵ Bal. l. ult. de iust. (D. 1. 1).

⁶ Quint. 5. c. 10.

⁷ Cic. ad Bru. 6.

⁸ l. 21. qui. mo. us. am. (D. 7. 4).

inquit Bodinus¹, qui tamen agnoscit, periisse Thebanorum rempublicam². Quid ni hoc? Capta non modo urbs fuit, sed et ciuitas. Igitur et ciuitas esse desiit: si ciuitas (quod prouerbio negatur³) captiuorum non est. Capta urbe Athenarum a Persis, quam consilio Themistoclis ciues deseruerunt, concedentes in urbem ligneam, in classem, desiisse ciuitas Atheniensium non dicitur⁴. Capta urbe Roma a Gallis olim et in cineres redacta, non desiit Romana ciuitas: quae in Capitolio, aut apud Camillum erat. Constat autem, ciuitates posse desinere esse⁵. Et demolitione murorum et aedificiorum facta per auctoritatem principis extingui omnia iura ciuitatis⁶. Fuit Alexander princeps ac dominus non urbis modo, sed et ciuitatis: quam redegerat sub se uniuersam. Exaedificata rursum ciuitas non eadem est quae fuerat⁷. Et quamuis magis credatur retinere tamen iura priora: id obtinetque magis quasi per subrogationem in prioris destructae locum. Et neque hoc, ut quaesita aliis recuperet. Cum ergo Alexander ceperit omnia Thebanorum, successor uniuersalis fuit, non singularis⁸. Et ex hoc iure est, quod Alcibiades bona deuictorum Chalcedonensium dedi sibi petiit a Bithynis qui ea seruabant⁹. Et Romani etiam cōpora regum, Demetrii et Mithridatis, et alios uictos profugos, ab eis ad quos profugerunt¹⁰. Atque sic est sane in uictore uniuersali. Quicquid aliique Galli doctores idem, quod Hotomanus, docuerint, ex aequitate et iure naturae Thessalis quaesitum nihil, sed iure tantum belli: cui aequitas naturalis antestet¹¹. Etenim haec ratio istorum nihil est. Et Gallus alius Doctor melius, dici non posse, quin omnia Thebanorum in dominium uenerint Alexandri: et hic potuerit creditum illud exigere: et arbitrari se, ita Amphictyonas iudicasse pro Thessalis: postquam id a Quintiliano praetermissum est, etc.¹²

In uictore autem particulari obtinet definitio contraria, ut tantum ille quaesierit, quantum ceperit. Sic ibi sit tantum territorium exercitus, ubi est exercitus: quia ibi tantum terret¹³. Itaque ridet Darium

¹ Bod. 1. de Rep. ² Bod. 4. de Rep. ³ Conna. 2. Comm. 3. ⁴ Plut. Them.

⁵ Bal. 3. cons. 367. ⁶ Alex. 1. cons. 43; Bal. 3. 311, 4. 322.

⁷ Ang. 1. 98. de solut. (D. 46. 3); Bal. d. 321; Alex. d. 43; et 2. 193. ⁸ Bal. 2. cons. 202.

⁹ Xen. 1. Graec. 3. ¹⁰ Liu. 7. 22; Plut. Luc.; App. Mithr.; Dio 39; Caes. 4. Gall.

¹¹ Papo. lib. 5. tit. 6; Arr. 1. ¹² P. Aerod. 1. Decr. 9.

¹³ Panor. 2. cons. 62; Bal. 1. 3. de off. praef. (D. 1. 12) et cons. 378. lib. 5.

Alexander in pacis condicionibus concedentem ea quae tum armis tenebantur ab hoste¹. Ita indignatus Annibal uenalem fuisse agrum Romae, quem ipse cum exercitu insidebat². Et Brasidas Lacedaemonius ait, Bocotum agrum non esse, quem itidem tenerent Lacedaemonii armis³. Ex his autem definiiri alia posse uidetur quaestio, si qui alium uincit et eius redigat omnia sub potestatem, is et iura uicti uindicare mox possit aduersus alios aduersus quos uictus uindicabat antea, aut iuste poterat uindicare. Et Romani sic censebant, Alba uicta se in Latio ius idem habere oportere quod habebant Albani antea⁴. Sane a submissione capitis sequitur submitio membrorum et rerum, quia seruiente capite membra seruie necesse sit⁵. Et ciuitas quae de principe in principem transierit, censetur cum omnibus suis qualitatibus transiisse⁶. Etiam feudatarii recognoscere uictorem debent. Et sic igitur non bene ciuitates quae Medorum tributariae fuerant, mutato in Persas imperio, etiam condicionem suam mutatam arbitantes, a Cyro defecere⁷. Reliqua de foederibus Latinorum, Albanorum, Romanorum postea dico.

CAP. VI.

Uictos ornamentis spoliare.

UICTOS praeterea spoliare ornamentis licet. 'Signa et ornamenta,' inquit Cicero, 'ex urbe hostium, ui et uirtute capta, belli lege atque imperatorio iure sustulit⁸.' Et translaticium a priscis temporibus, signa etiam et Deorum donaria capere⁹. Et barbarorum et Graecorum exempla iam longo tempore confirmata: ut scribit Pausanias, qui Augustumque tuetur, qui notari uidebatur, quod cepisset. Camillus, ille iuris et aequitatis bellicae seruantissimus, Iunonem Uctis auexit¹⁰. Marcellus plura ab Syracusis, et Mummius plura ex Achaia abstulit templorum ornamenta. Contra tamen de idolis clamitat Labanus apud Iosephum¹¹. Sed pro sua causa

¹ Curt. lib. 4. c. 5; Iust. lib. 11. c. 12.² Liu. lib. 26. c. 12.³ Thuc. 4.⁴ Dionys. lib. 3. c. 34. ⁵ Bal. l. 2. 15. de adopt. (D. 1. 7). ⁶ Anch. cons. 197; Alc. 4. 15. 17. 5. 132.⁷ Iustin. lib. 1. c. 7.⁸ Cic. Uerr. 2. 1. 21.⁹ Paus. 8.¹⁰ Liu. lib. 5. c. 22; Plut. Marc.; Zon. lib. 7. c. 21.¹¹ Iose. 1. Antiq. 19.

ille clamitabat. Et forte etiam tum ita fuit, quum longe essent moderatiores in negotio hoc bellico: ut antea monui, et in quadam Philippica adhuc notat Demosthenes pulchre¹. Quamquam et in facto Marcelli isthacc improbasse omnia, nec per malam rationem, uidetur Fabius Maximus, quoniam hoc esset triumphare de diis. Ipse Fabius, capto Tarento, noluit, signa moueri: at Deos suos Tarentinis iratos censuit relinquendos². Sed quod dicit de diis triumphatis, id nunc considerandum est. Nam et mouit aliquos. Et Liuius de Marcello hic aduersa nescio quae uidetur dicere, ‘Marcellus, captis Syracusis, cum cetera in Sicilia tanta fide atque integritate composuisset, ut non modo suam gloriam, sed etiam maiestatem populi Romani augetet: ornamenta urbis, signa tabulasque, quibus abundabant Syracusae, Romam deuexit. Hostium quidem illa spolia et parta belli iure: ceterum inde primum initium mirandi Graecarum artium opera. licentiaeque huic sacra profanaque omnia uulgo spoliandi factum est³.’ Ius belli ait: sed licentiam notat reicitque Liuius. Est Dio in hanc eandem sententiam: nam ait, Cleopatram omnia etiam sacra templorum sustulisse ac Romanis praedam sine ipsorum scelere aliquo aduexisse: qui extra templa inuenerint omnia⁴. Quasi si Romani de templis rapuissent, scelere nonnullo fuissent attaminati. Est et ab hac parte Seneca: cuius illa audis, ‘Sacrilegia minuta puniuntur, magna in triumphis feruntur⁵.’ Est et Cicero: qui alicubi et hoc in ciuili bello mala refert, quod et spoliati dii fuissent⁶. Sunt alia, quae scripsi, quum egi de supplicibus et de incendiis: neque enim mirum est, si quae in bello accidunt per uaria tempora ea nos et per diuersos notemus aliquando locos. Ecce igitur rursus de templis et sacris. Ephesini iura templi a uictoribus omnibus, barbaris, Graecis, Romanis, conseruata semper legis apud Tacitum⁷. Iosephus autem quasi legem Dei ponit, ne externa spolientur fana, ne sacra illinc donaria auferantur⁸. Sed an est ad Dei legem, quia contaminati idololatria fuissent Iudaei? an illo zelo, ne sic et in domum Dei prouocarentur externi⁹? Aut quae ratio fuerit apta iuri bellico hostium? Nam iurisconsulti nostri definiunt pro priori sententia; et aiunt, quod captis ab hoste locis desinant

¹ Dem. Phi. 3. ² Plut. Fab. ³ Liu. lib. 25. c. 40. ⁴ Dio lib. 51. c. 17. ⁵ Sen. Ep. 87.

⁶ Dio 44.

⁷ Tac. 3. Ann. 61.

⁸ Iose. 4. Antiq. 8.

⁹ Deut. 7.

omnia esse sacra et religiosa¹. Itaque recuperata etiam de hostibus Romani duxerunt expianda². Mihi ita dicendum uidetur. quod si haec quae Deo habentur sacra, exiisse censemus commercium hominum, quia in nullius bonis censcantur: et negotium cum Deo contrahet uictor, ea rapendo: nec habeat uictus, cur iura, quae non sunt sua, sibi quaerit uiolata. Nam illa Ciceronis, imitantis dolorem Siculorum, sese iam ne Deos quidem habere, quorum abstulisset Uerres simulacra, oxymora et inania dicit Asconius³. Alioqui iusta foret accusatio contra uictores raptores, si perditis Deorum statuis ipsi etiam dii perderentur. Neque enim licet uictoribus, perdere uictis iura Dei aut naturae. Etiam et quum est ea religio uicti falsa, ut sic putet oxymore, parcere uicto decet. Quod si in commercio etiamnum sunt ista: tum quae erant deuictorum, uictores accipiunt iuste. Nec uero exiisse commercium uidentur: si iuris publici esse existimantur: et aliquando alienantur: et non dicuntur Deo sacra, quasi dedicentur Deo ita, ut fiant eius, aut magis eius, quam ante, sed ut usibus ad cultum Dei pertinentibus seruiant et his quidem suis consecrantium, non alienis⁴. Et ergo sacra hostibus non sunt et traduci in alios suos usus a consecrantibus possunt. Pericles statuas sacras conflari pro salute reipublicae uoluit: quae finito bello restituerentur. Romani habuere omnia in laxiori commercio, unde et laxus est et latus Tertulliani tractus ridiculorum⁵. Athenienses, etiam dona quae ab aliis Delphos mittebantur capere Iphicratem iussere: ut esset de quo militibus satisfaceret. Hoc tamen alienorum defendi non potest. De suis idem statuit Pompeius, senatusque: et fecit Caesar et Romae et alibi⁶. Et disseruit egregie Soderinus Confalonarius Florentiae: ea capere sacra licere, quibus uteremur nos tuendo. Uidelicet defensio lege naturae et Dei et consensu omnium nationum, orta cum orbe et cum orbe duratura: cui nullae ciuiles aut canonicae possent derogare. Et sic sentit uir sapientissimus, per humanas constitutiones, cogitationesue esse illam bonorum Deo separatorum, sepositorum. 'In sacro quid facit aurum?'

¹ l. 36. de relig. (D. 11. 7); l. 4. de sep. uio. (D. 47. 12); ll. 83. 137. de U. O. (D. 45. 1).

² Fab. 2. Sem. 4.

³ Ascon. Diuinat.

⁴ l. 1. de iusti. (D. 1. 1); Donel. 4. Com. 1; l. 17. C. de sa. eccl. (1. 2); Ambr. 2. de Off. 27; Tac. Ann. 1.

⁵ Thuc. lib. 2. c. 13; Diod. lib. 12. c. 49; Tert. Apol. ⁶ Dio 41. 42. 43; Guic. 10.

⁷ Pers. 2. Sat. u. 69; Hier. Ep. 28.

Quid? etiam Hieronymus roget. Tantum abest, ut Deus uelit, esse sua, quae sibi faciunt homines. Nunc adde, quod in formula deditiois habebant Romani et focos et aras, et profana et sacra, et humana et diuina omnia: ut sunt exempla collecta a Brissonio¹. Sic iustum ius istud uidetur: ut capere et haec hostium ualeamus. Et tamen non ignoro, quae contra raptores templi Hierosolymitani in scripturis sanctis leguntur². Sed ea sunt, quia Deus sibi ipse elegit et domum et quae in domo. Et illi raptores etiam sic uoluerunt Deum Iudaeorum, Deum uerum afficere contumelia. Quod bellum cum Deo est, de quo non tracto: sed tantum de iure hominum: quod hic non laeditur.

Quid ergo in communione religionis? Respondent nostri interpretes, inter Christianos non desinere sacrum esse locum ab hostibus captum³. Ceterum manet tamen, quod de commercio dixi. Etenim, ut nunc, legenti Genuenses annales, ob oculos mihi incurrit, etiam est commercium reliquiarum sanctorum corporum defunctorum et similium aliarum rerum sacrarum⁴. Plurimum ille auctor meminit. Etiam de bello Ueneto relata et partita publico, priuatis quasi aliam praedam. Legimus alia alibi: et ipsam Christi coronam a Balduino imperatore Constantinopolitano oppigneratam regi Franco⁵. At id indignati tamen Graeci: et negantes, quod quaerimus, rerum istarum commercium esse. Sane uero non concludunt exempla pro commercio: si commercium non est: quoniam religio manet, et si eam contemnamus⁶. Et tamen siue est commercium, siue commercium non est, ad ius hominum quod spectat ego concluderim licita haec esse uictori. Atque in communione religionis ea fecerunt Romani semper. His quippe in sacris omnia conueniebant cum Graecis⁷. 'etiam Annibal eosdem Deos colebat cum Romanis⁸.' Quid tum si non omnibus relinqui poterat diis⁹? Si sacra externa, id est rationes Deorum colendorum externae, non recipiebantur? Erat adhuc religio communis tamen. Et in illa communione nec a sacris abstinebant uictores.

Ceterum ut hoc ius est, quantum quidem ipse puto, tamen malim sequi pudorem et honestatem et a iure licito abstinere. Male audiunt,

¹ Brisso. 4. de Form. ² Daniel 5. ³ Asin. l. 36. de relig. (D. 11. 7). ⁴ Iustl. Ann. Ge. 4. 5.

⁵ P. Aemil. 7. ⁶ L. 30. de adq. po. (D. 41. 2). ⁷ Diony. 7. ⁸ Ambr. co. Sy. Ep. 2.

⁹ Ulp. tit. 22.

etsi ab hoste, qui templa Romana spoliarunt non ita dudum¹. Sed et qui hostis non est, illos condemnat². Etiam et uideri religiones contrariae poterant, non modo non communes. Scilicet communitio nominis non facit communionem rei. In quo nec uidetur esse communitio tamen; Si illi uolunt eiusmodi nomine nuncupari, quod isti censent abominationem et contrarium nomini Dei sui³. Non uidetur ulla communitio. Et utrinque sic contenditur⁴. Scilicet in uerbis articulorum conuenire, id non sit in articulis conuenire: quoniam nec sic articuli in uerbis et uerborum sono, sed in sensu et intellectu: in quibus dissensus latissimus sit. Ego iterum dixero, malle me ab istis temperare. Quem miles Clodouaci Francus, nondum Christiana ea gente, de templo Gallorum Christianorum rapuerat calicem et religioni alienae restituendum negabat, legimus restitutum, deque consensu optimatum⁵. Eadem Romae iussu Alarici. Sed Cicero de eo, quod Pompeius nihil in templo attigit Hierosolymitano (quod ingressus iure uictoriae tamen: ut ait Tacitus) sapienter illum fecisse, ne locum obtrectatoribus daret maledicendi, non enim religionem et Iudaeorum et hostium, impedimento praestantissimo imperatori, sed pudorem fuisse⁶. Egregie alio in loco: 'Marcellus cum tam praeclearam urbem ui copiisque cepisset, non putauit, ad laudem populi Romani hoc pertinere, hanc pulchritudinem, ex qua praesertim nihil periculi ostenderetur, delere et extinguere. itaque aedificiis omnibus, publicis et priuatis, sacris et profanis sic pepercit, quasi ad ea defendenda cum exercitu, non expugnanda uenisset. in ornatu urbis habuit uictoriae rationem, habuit humanitatis. uictoriae putabat esse, multa Romam deportare, quae ornamento urbi esse possent: humanitatis, non plane spoliare urbem, praesertim quam conseruare uoluisset. in hac partitione ornatus non plus uictoria Marcelli populo Romano appetiuit, quam humanitas Syracusanis reseruauit⁷.'

¹ Guicc. lib. 18.² B. Coll. Mompel.³ Hosp. Ep. 79.⁴ Bell. 5. Cont. 3. c. 19; Zul. Ep. 4.⁵ P. Aemil. 1; Cassio. ult. Ua. 20.⁶ Cic. pro Flac. 27; Tac. 5. Hist. 9.⁷ Cic. 2. Ue. lib. 4. c. 54.

CAP. VII.

Urbes diripi, dirui.

DE aliis rebus non sacris nulla dubitatio est, quin rapi a uictore possint. Et de aliis tamen si moderate idem constituitur, bene fuerit. Scilicet considerare semper decet causam suscepti belli et ad eam actiones belli omnes, quantum pote est, cogere. Sic Theseus (quem quum dico, Euripidem intelligi magis uolo) cum posset irruere in urbem Thebas, uictis Thebanis proelio, repressit suos: quia non uenisset expugnatum urbem, sed repetitum cadauera¹. Sic habiti, culti pro diis, qui Athenis captis receperunt suum, animaduenterunt in unum atque alterum mali et iniuriae auctorem, ceteris hominibus et rebus pepercerunt². Ceterum de iure prosequamur. Captae quidem diripiuntur urbes. deditae non diripiuntur³. Siue tamen sint ui siue operibus (quam et audimus distinctionem⁴) expugnatae, nihil hic refert. Etiam uenduntur captae urbes⁵. Moenia et diruuntur captarum urbium: et ipsae urbes integrae. Abhorret lex ciuilibus tamen istam aedificiorum demolitionem⁶. Moenia Athenarum diremerunt Spartani. Sparta diruta per concilium Achaeorum. Hierosolymorum iussu Pompeii⁷. Et haec plura narrat P. Faber, et ad notam ignominiae facta refert⁸. Partem murorum Giscalae Titus iure possessionis destrui uoluit⁹. Attila moenia diruit Argentinae, quae sibi accessum oclusit, atque uoluit eam deinceps appellari Polyodopolim: quasi multis accessibilem uis¹⁰. Alii hoc idem fecerunt et facere consueuerunt ex aliis causis. Triumphantibus (inquit Plutarchus) permittitur, ut partem muri demoliantur: quasi non esset magnus murorum usus urbis cum uiris uincendi gnaris¹¹. Etiam rex Israelis captae Hierosolymae moenium partem diruit: eaque urbem curru inuehitur. Inuehitur per moenia dediti Mediolani¹²

¹ Eur. Suppl. u. 701. ² Cant. Lycophr. ³ Liu. lib. 37. c. 32. ⁴ Liu. 5. 10. ⁵ Plin. 4.

⁶ Alc. 5. cons. 132.

⁷ Liu. lib. 38. c. 34; Tac. 5. Hist. 9.

⁸ Fab. 1. Sem. 8.

⁹ Iose. 4. Bel. 2. ¹⁰ Bonf. 1. Ung. 2. ¹¹ Plut. 2. Symp. 5. ¹² Zon. lib. 2. c. 20; Sigon. 13. de Re. Ital.

Fridericus. Captae Neapolis rex Alphonsus, per antiquorum (ut ait historia) imitationem¹. Et per captae Mirandulae Iulius pontifex Romanus: an quia ipsae portae (quod scribit Guicciardinus) dirutae erant? an quia uiro saccerrimo aditus profanus, qui est per portas, non conueniret, per muros sanctos deberetur²? Sic uictoribus olim solennium certaminum fiebat³. An uoluit, dignus maiorum haeres, super aspidem et basiliscum? Hactenus. Ignominiae poenam pono ego cum Fabro. Etiam et cum cruditissimo Torrentio: qui alicubi ad Suctonium notat eadem Fabri⁴. Ceterum si ignominiae iustus locus non sit, puta, quia non rebellis, non perfida ciuitas fuit: ad alias tum eundem causas erit, ut hoc fieri possit. Nam si sine iusta causa fiet. sine iustitia fiet. Ex causa urbes integrae cuersae. Neque ullum male gesti principatus est signum, si acrius in aliquos eorum qui bello nos petierunt, animaduertimus: ait ad rem praesentem Isocrates; et quod Atheniensibus obiiciebatur, Meliorum et Sicyoniorum defendit excidium⁵. Si qui alii (addit) in iisdem negotiis maiore clementia essent usi, iure uituperaremur nos: si uero nec umquam hoc factum est et fieri nequit, ut tanta urbium multitudo sine animaduersionis seueritate in officio contineatur, nonne laudandi sumus, qui male tractatis quam paucissimis imperium quam diutissime tenuerimus? Sic probat ille factum. et iustam tradit causam faciendi, causam imperii firmandi ac retinendi: quae est iustissima, ut statim dico. Thebae subuersae de consilio totius Graeciae, quoniam partem Persarum secutae essent. et haec fuit plusquam iustissima⁶. Cum barbaro, naturali hoste et communi, contra communis patriae corpus coniurarunt. Quid omnes memorem? idem nominat aliquot P. Faber. Mentionem Liuius facit Albae, Pometiae, Corbionis, Cortuosae, Contenebrae, Satricis, Antipatriae, Phaleriae, aliarum⁷. Nota Carthago: quae et aratrum passa, solenni Romanorum more⁸. Nota Hierusalem: et eius templum aratum 'ad ignominiam' gentis oppressae⁹. 'Sion ut ager arabitur:' propheta praedixerat¹⁰. Sed et execrationibus exceptae urbes cuersae¹¹. Notae urbes quas ipsi Iudaei exciderunt, qui-

¹ Iust. Ann. Ge. 1. ² Guicc. 9. ³ Camer. 7. Probl. 8. ⁴ Tor. Suct. Gal. 12.

⁵ Isocr. Panegytr.

⁶ Diod. lib. 17. c. 14.

⁷ Liu. 1. 2. 3. 6. 7. 24. 31. 32.

⁸ 1. 21. qui. mo. us. am. (D. 7. 4).

⁹ c. 7. dist. 76.

¹⁰ Mic. 3.

¹¹ Str. lib. 13. c. 1.

busque salem, more eorum solenni, superseminarunt¹. Numantia praeterea nota et Corinthus et aliae multae. P. Aemilius in Epiro duas et septuaginta: et Gracchus centum quinquaginta, an trecentas? quales, quales fuerint, euertit Celtiberorum urbes². Et ius hoc bellicum nec incognitum. quod ex diuersis item stat causis. Sed hic ualde considerandum, ait Cicero, ne quid temere, ne quid crudeliter fiat. et magnanimi esse uiri, rebus agitatis punire sotes, multitudinem conseruare, in omni fortuna recta atque honesta retinere: nec audiendos qui grauiter irascendum inimicis putant³: sed prohibenda imo ira in puniendo sit; neque enim laudaturos Peripateticos iracundiam aliter, aut dicturos, utiliter a natura datam. 'Parta uictoria conseruandi sunt ii qui non crudeles in bello, nec immanes fuerunt. ut maiores nostri Tusculanos, Uolscos, Sabinos, Hernicos in ciuitatem etiam acceperunt. at Carthaginem et Numantiam funditus sustulerunt. Nollem Corinthum, sed credo, illos secutos oportunitatem loci maxime, ne posset aliquando ad bellum faciendum locus ipse adhortari.' Sic de loco Carthagini mutando dictum⁴. Et Caesar tamen Carthaginem atque Corinthum restituit uel contra interdictum et execrationem: ne loca, quae non male merita (ut aliique dicunt⁵) paterent, propter habitatores male meritos⁶. Sed et locus male meritus dicitur, qui facit male merentes habitatores. Inuenias enim ut plurimum non solum hominum formas, sed et mores regionis naturam imitari et ingenia hominum terrae ingeniis respondere. et magnum esse locorum, ad ferendum meliores peioresue homines, discrimen⁷. Elegantissime idem Cicero de agro Campano, quemadmodum ille locus paucis diebus effecerit missos Roma colonos superbissimos et Campani supercilii et regii spiritus. Habet illa pulcherrima, 'Non ingenerantur hominibus mores tam a stirpe generis ac seminis, quam ex iis rebus quae ab ipsa natura loci et a uitae consuetudine suppeditantur: quibus alimur et uiuimus⁸.' Addit de Carthaginensibus: quae hic item recitem aptissime, 'Carthaginenses fraudolenti et mendaces, non genere, sed natura loci: quod propter portus

¹ Iud. 9; Iose. Antiq. 3. 7. ² Flor. lib. 2. c. 17; Str. lib. 3. c. 4, lib. 7. c. 7. ³ Cic. 1. de Off. 24.

⁴ App. Puni.

⁵ Hier. Ep. 17.

⁶ Dio lib. 43. c. 50.

⁷ Hip. de Aer. Gale. Quod A. M.; Arist. 7. Pol. 5; Plat. 5. de Legi. (p. 747). ⁸ Cic. 2. Agr. 35.

‘suos multis et uariis mercatorum et aduenarum sermonibus ad studium fallendi studio quaestus uocabantur.’ Eadem apud Liuium disserit consul Manlius : et pluribus prolatis exemplis asserit, ‘Sicut in frugibus, pecudibusque non tantum semina ad seruandam indolem ualent, quantum terrae proprietates, caelique, sub quo aluntur, mutat,’ etc.¹ Sed hac de re quis dubitet? ‘Rheti ex Hetruscis oriundi : quos loca ipsa efferauerunt².’ Et de Gallograecis : ‘Ut frugum semina mutato solo degenerant ; sic illa Gallorum genuina feritas Asiatica amoenitate mollita est³.’ Scio illa contraria apud eundem auctorem, ‘Nec terra mutata mutauit genus aut mores :’ de Graecis in Asia coloniis⁴. Et de Massiliensibus, ‘Eos non efferarunt indomitae circumfusae gentes. Natura insita uelut ingenio terrae uinci nequit.’ Atque ait iste circumfusae, tu autem adde, et intra moenia conclusae, quod de Strabone cognoscis⁵. Ceterum ut resistat terrae aliquandiu genus inuictum : et disciplina obsistat naturae plurimum : superat tamen tandem terra atque natura : quae res immobiles sunt mutabilibus illis aliis ualidiores. Certe dubium non est, quin possit locus ualde ad homines eformandum. ut inquit Plato et experientissimus Hippocrates et reliqui. ‘Ipsa Massilia traxit aliquantum ab accolis animorum,’ ut est apud Liuium. Et in iure Canonico, ‘Plerumque dum mutatur locus, mutatur et mentis affectus⁶.’ Sic iussum, Carthaginem longe esse a mari. Sic Ligures transportati. Sic Astures in plano deducti⁷. Et sic Ptolemaeus, translatus hominem ad aliud clima mutare naturam ex parte : non ex toto ; quia in principio acceperit sortem corporis sui⁸. Sic igitur ex toto mutantur, qui et natiuitatem in isto alio climate sortiuntur. Ergo sic mihi ius stat bellicum. Etiam diruta Corinthus in ultionem legatorum : quam approbaui causam alibi. ‘Secutos opportunitatem loci maxime,’ non hanc solam causam putat Cicero. Numantia diruta, ad quam annis uiginti pugnatum : tantum cladum, tantum ignominiarum acceptum : quacque minutula urbs ausa Romanorum hostes protegere et uictos et repetitos. Sic eradicauda fuit superbiae sedes insanae et tollendum infamiae monumentum. Diruta Carthago metu. Audi de utraque Pater-

¹ Liu. lib. 38. c. 18.² Liu. lib. 5. c. 33.³ Flor. lib. 2. c. 11.⁴ Liu. lib. 37. c. 54.⁵ Str. lib. 4. c. 1.⁶ c. 9. dist. 81.⁷ Flor. lib. 4. c. 12.⁸ Scru. Aen. 6.

culum, 'Excisa Carthagine ac Numantia' ab alterius nos metu, alterius 'uindicauit contumeliis' Scipio¹. Cur neget Florus, oppressos Numantinos iuste et Corinthios, etiam discutio in libris De armis Romanis: ubi et de Carthagine². Ad quam aptes illa quoque Ciceronis, quae aliam notant causam in proposito quaestionis nostrae, 'Ut hostium urbes, nec omnium 'hostium, uerum eorum quibuscum acerbum bellum intestinumque suscepimus, non praeda adducti, sed odio, solemus excindere: quod in quos 'propter eorum crudelitatem inflammatae mentes nostrae fuerunt, cum 'horum etiam tectis ac sedibus residere aliquod bellum semper uidetur³.' Sed ut in poenam haec sit uastatio urbium, an fiet etiam ad terrorem aliarum, aut ad famam nominis? Et non puto. Quamuis enim poenae omnes ad aliorum terrorem magis quam ad criminis patratu tutelam esse dicuntur: nisi tamen et puniendi culpa subsit pro causa, poenam certe irrogari non oportet. Qua de re in aliqua disputatione expono. Et sic Marcellus Megaram uide receptam diruit ad terrorem reliquorum, quae defecerat ad Poenos⁴. Corinthus diruta, 'ut hoc exemplo 'ceteris ciuitatibus metus nouarum rerum imponeretur⁵.' Ad nominis sane famam non magis probes, quam quod factum est Dianae templi incendium. aut quod responsum cuidam memoratur, ut, si uiam quaereret inclarescendi, illustrem aliquem interficeret uirum⁶. Haec laus quaesita olim Sueuis, ut quam latissime a suis finibus agri uacarent. nam ea re significaretur, magnum numerum ciuitatum suam uim sustinere non potuisse⁷. Haec barbari facere consueuerunt feritate ingenita, cupiditate nocendi. Erigere, seruare, parcere, mansuetudinis est et clementiae et moderationis. ut sic Plutarchus contra Philippum, qui Olynthum subuertit, urbem maxime nobilem; et qualem (quod et dictum in illum regem) condere non potuisset⁸. Magnanime Agamemnon, 'Equidem fatebor (pace 'dixisse hoc tua, Argiua tellus, liceat) affligi Phrygas, uincique uolui: ruere 'et aequari solo etiam arcuissem⁹.' Si teneri captae urbes non possunt: at possunt fieri hostiles rursus et possunt bellum renouare: hae uel nudantur moenibus, uel etiam subruuntur funditus. Prospiciendum est

¹ Patere. lib. 2. c. 4. ² Flor. 3. cc. 16, 18. ³ Cic. pro Do. Su. 23. ⁴ Liu. lib. 24. c. 35. ⁵ Iusti. lib. 34. c. 2.

⁶ Dio 42. ⁷ Caes. 4. Gall. 3. ⁸ Plut. de Cohib. Ir. et Quo. Sit Aud. ⁹ Sen. Trea. u. 276.

futuro scilicet. Atque ita Philo censet contra defectores a foederibus, ut urbs eorum deleatur: ne denuo belli sedes fiat hostibus: et ut exemplo finitimi terreantur; quando hominum genus et ingenium ex alienis calamitatibus soleat modestiam discere¹. Quod ad metum est incutiendum, dicebam modo et dixi in secundo libro de excidio Uspensium. Ex eodem uero Tacito ad id, si retineri urbs nequit, 'Oppidani, portis sponte patefactis, se, suaque Romanis permisere, quod salutem ipsis tulit. oppido ignis inmissus, delctumque et solo aequatum est. quia nec teneri sine ualido praesidio ob magnitudinem moenium: nec id nobis uirium erat quod firmando praesidio et capessendo bello diuideretur. uel si integrum et incustoditum relinqueretur, nulla in eo utilitas, aut gloria, quod captum esset'². Urbes, castella, quae custodiri propter amplitudinem nequeunt, ea fieri angustiora iubet lex ciuillis³. Non etiam nos incendimus nostra, ne hostibus ualcant emolumento esse? Historiae sunt plurimae⁴. Uno die amplius uiginti urbes Biturigum ab ipsis Gallis et quidem omnium consensu incensas memorat Caesar. Etiam hoc disceptamus in libris De armis Romanis pro Annibale et contra Annibalem: qui a Liuio accusatur crudelitatis, quod quas tueri urbes nequibat, eas uastatas hosti relinqueret. Quam obtendit Sertorius causam, cur captam ante Pompei oculos urbem incenderet, ut eius uiri admiratoribus opprobrium ingereret: eam tu probes non uictoria parta, firmataque, sed bello durante: quum uere res geritur contra ducem aduersum⁵. Quae tamen dixi in superiore libro de locis ignobilioribus, quae ausa potentibus obsistere exercitibus, quemadmodum tractentur duriter et ea dicta ualent hic forsitan. 'Cumulat contumacia poenam; sicut minuit obsequium,' ut inquit auctores iuris: et Iosephus monet late⁶. Ita Albae dux Ancharanum incendit⁷. Et quae docui de uastitate et incendiis, etiam afferri huc ualent. Summa saecuitiae causa est rebellio: et ea maxime quae est a ditione. Nam cum istis non agitur quasi cum hostibus: Audi illa Baldi, 'Facit uictor uoluntatem suam de deditis: non tamen adimere uitam eis debet, si erant simpliciter hostes et non

¹ Phi. de Crea. Prin. ² Tac. Ann. lib. 13. c. 41. ³ l. 2. C. de off. p. p. A. (1. 27). ⁴ Caes. 7. Gall. 15.

⁵ Plut. Serto.

⁶ l. 4. de poen. (D. 48. 19); l. 2. 31. 53. de re iud. (D. 42. 1);

l. 7. q. e. c. i. p. c. (D. 42. 4); Iose. 4. Bel.

⁷ Nat. Co. 10.

‘rebelles¹.’ Uidelicet deditio non leuat rebellionem. Et itaque Satricum dirutum, urbs rebellium, uiolantium foedera². Etsi Liuius illud non satis probet, ut et serui fieri isti possent. Rebelles a ditione etiam durius tractabuntur pro legibus ciuitatis dominae, aut principis. Titus imperator per dies singulos crucifixit Iudaeos amplius quingentos, qui rebelles a ditione erant³. Noto alibi de Capua. De Ueliternis ciuibus Romanis et de Priuernatibus rebellibus Liuius, quod grauiter in eos saeuitum est et muri utrobique diruti sunt⁴. Et de Tusculo Valerius, ‘Crebris rebellationibus Tusculani meriti ut funditus urbem amitterent⁵.’ Et ita Iosephus contra suos Iudaeos, ‘Qui semel subiectus est et deinceps deficit, contumax magis seruus, quam amator ostenditur libertatis⁶.’ Iudaei usque a Pompeio in ditione Romanorum extitere⁷. Et itaque rebelles per malam rebellionem post fuere. Hi sunt qui subditi contradicunt uel dicto uel facto superioris: aut certe, qui principi, officialiue eius resistunt in pertinentibus ad imperii statum: et certissime, qui ferunt inimicis opem litteris, nuntiis, signis⁸. Ut haec ita constitutio Imperialis et interpretes iuris. Et de his rebellibus esse tractatus potest non breuis. Sed ego non hoc ius ciuitatis tracto. Cum interrogarer, si rebelles fuerint ciuitates, quae Henrico quarto Galliarum hostes exstiterunt, non eum putantes iure regem, ei fidelitatem numquam antea professae: respondi, illas ueluti peccato originis attingi: nati enim et sunt subditi ipso iure. Illud hic uidendum est, an seditio aliqua et tumultus, uel ipsa sit rebellio. Ut sic ‘plebs Genuensis cognoscens factam rebellionem, quod seditio erat a principio,’ etc. apud Guicciardinum⁹. Et quod tu examines ex his quae in primo libro tradidi de malefactis priuatorum. Idem uidendum est, an passiuè (sic loquuntur nostri¹⁰) hostes fiant. excusantur enim qui quid faciunt inuiti contra dominum et rebellant et socii sunt hostium et hostibus subiiciuntur. Etiam qui prodit patriam non odio principis principaliter, nec ut ei ciuitas auferatur, sed ad alium finem, non incidit in crimen

¹ Bal. rub. C. de la. li. (7. 6). ² Liu. lib. 7. c. 27. ³ Iose. 5. Bel. ⁴ Liu. lib. 8. cc. 14, 20.

⁵ Val. lib. 7. c. 3. ⁶ Iose. 2. Bel. ⁷ Iose. 1. Bel.; Tert. de Pud.; Amm. 14; Zon.; Cedr.

⁸ Extr. qui si. reb.; Alex. 1. cons. 103; Dec. 604; Alc. 5. 132. ⁹ Guicc. 7.

¹⁰ Bal. 3. cons. 96; Ceph. 76; Crau. 6; Dec. 35. ubi Mol.

maiestatis¹. Sic aliae causae excusant: de quibus noto in Commentario ad legem Iuliam maiestatis. Dignum uero quod uotetur pro subditis illud Alciati est, id dictari aequitate, ut cum subditis agatur mitius et non omnia resecentur ad uiuum². Etiam illud Fabii, quod si redire ad dominos et priores foederatos non liceret, his iam omnia infensa forent³. Pulchre autem de urbe Athenarum, quam Mithridates contra Romanos occupatam tenebat, ita Uelleius, ‘Oppressi armis Mithridatis, cum ab inimicis tene-
rentur, oppugnabantur ab amicis: et amicos extra moenia, corpora,
necessitati seruientes, intra muros habebant. Ueri ignarus, si quis im-
putat Atheniensibus hoc rebellandi tempus⁴.’

CAP. VIII.

De ducibus hostium captis.

UERUM dicamus aliquid nunc de iure quod cum personis hostium captorum est uictori. et praecipue de hostium ducibus. Sane autem est regula detrahere oportere seueritati: ut non fiat multorum strages⁵. Hoc humanum, sanctum, Christianum est⁶. Non cum multitudine peccantium, sed in peccata paucorum exercenda seueritas: ut inquit Augustinus⁷. ‘Nihil dissolutum, nihil crudele. huius rei moderatio facilis, ut in duces uehemens sis, in milites liberalis.’ Cicero⁸. ‘Necem paucorum, aut unius hominis, calamitati publicae maiores nostri semper anteponendam esse putauerunt.’ Portius Latro⁹. Etiam uix est ut multitudo peccet grauius: quae aut decepta peccat, aut plurimum impetu et temeritate. Est autem dimidiatum facinus cui non accessit consilium longum: et minus ergo dimidiato, cui nec accessit ullum¹⁰. Populi mens in modum subitae tempestatis concitata leuiter est tractanda. ut ait

¹ Ceph. d. 66. 661; P. Aero. 2. Decr. 9. ² Alc. 1 cons. 4. ³ Liu. lib. 24. c. 45. ⁴ Paterc. 2. Hist. 23.

⁵ c. 1. d. 44. c. 14. 1. q. 7; c. 5. 9. q. 1; c. 24. 23. q. 4; Fely. c. dilectus, de simo.

⁶ Decia. 3. cons. 115.

⁷ Aug. Ep. 64.

⁸ Cic. Ep. 7. Bru.

⁹ Latr. Decl. in Catl.

¹⁰ Phi. de Spe. Leg.

Valerius. Cædibus sane sæuere in leuiter noxios immanis est ferociae¹. Factionum itaque capita tantum puniri, quo parcatur multitudini, iubet lex et notat Baldus². Et alius legislator primores grauius, multitudinem mitius punit³. Consuetudo autem Romanorum hæc fuisse narratur, duces hostium necare⁴. Quam et non tenuisse Pompeius, renouasse autem Constantinus, magnus uterque, dicuntur. At Cyrusque igni destinat Croesum. Messenii in tetro carcere necant Philopœmonem ducem Achaeorum. Eumenes alibi addictus miserino mortis generi, ut inedia conficeretur. Samius rex suspensus a Persa. Ariarathes Cappadocum in crucem actus a Perdicca. Hercules in capto rege Euboicorum id dicitur fecisse, quod in Metio Tullus⁵. Agag discretus in frusta a Samuele⁶. Syrus rex bello ab Assyrio captus necatus. Notum et de regibus, quos captos suspendit Iosue. Sed isti et ipsorum ciuitates iussu Dei perdebantur. Quid nominem plures? Siphacem, Gentium, Perseum, Iugurtham, Aristonicum, Artabasdum, Mithridatem non illum nobilem, Ptolemeum quendam, et Adiotorigem et Radagaismum et alios principes a Romanis captos, necatos, confectos⁷. Et habet aliam rationem ea consuetudo: sed quæ alteram partem futuri respicit: quoniam isti principes instaurare litem finitam ualent superstites. Et ita Prudentius de Samuele, qui uoluit Agagum necari, 'Ne præda superstes uictorem placidum rediuiua in praelia poscat, 'parcere iam capto crimen putat'⁸. Uerum ea potissimum nitebatur ius Romanorum, quod sic suorum manibus caesorum parentari credebant. ut ita expressum etiam a Uirgilio fuit: qui piûm heroem ita facit loquentem, 'Pallas te hoc uulnere, Pallas immolat'⁹. Antea etiam 'uinxerat 'et post terga manus, quos mitteret umbris inferias.' Sed et Cyrus et alii religionem quandam in re ista constituiebant. Et Scythæ etiam centesimum captiuorum itidem immolabant¹⁰.

Quæ cum ita sint, non uituperes nunc forte Caroli regis Neapolitani

¹ Phi. de Crea.

² Nou. de Proc. Ca.; Bal. 3. cons. 367 et C. de monop. (4. 59).

³ c. 4. de cl. exc.

⁴ Cic. Ucr. ult.; Iose. Bel. ult.; Zon.; App. Mitr.; Paneg. Const.

⁵ Herodot. lib. 1. c. 86; Liu. 39; Plut. Eu.; Str. 14; Plut. Coll. G. et Ro.; Lucia.; Macrob.

⁶ 1. Sam. 15; 2. Reg. 16; Ios. 10. ⁷ Eutr. 4; Str. 12; Aug. 5. de Ciu. ⁸ Prud. Psychom. u. 390.

⁹ Tert. de Spect.

¹⁰ Herodot. lib. 4. c. 62.

sententiam, qua Conradinus necatus est. Neque apte inelamabat iste, parem in parem non habere imperium. Nam et pontifex Romanus, feudi illius dominus, rescripsit Carolo, non se impedire, quominus lege in Conradinum ageretur. et non par est uictori. uictus et captus¹. Nostri scribunt, quod si sint duo domini unius castrī et alter delinquit, quod is possit delinquens puniri ab altero: nec possit dicere, 'Par in parem:' quia delinquendo exsuat se paritate². Hic mihi uenit in memoriam Campanus ille Taurca, qui captus et productus ad necem uociferabatur contra uictorem Fuluium, uirum se fortissimum a nequaquam pari ad uirtutem occidi³. Sub cuius dicta, iussu uictoris praeco: Lictor uiro forti adde uirgas: et in eum primum lege age. Obluiscenda prior, quae fuit fortuna: reminiscenda, quae est. Istis superbis in abiectissimaque fortuna cruces tolli altiores consueuerunt. Praeterea nec uideri dubium potuit, quin uicturus fuisset intutissimus Carolus, si Conradinus uixisset. Sunt enim Neapolitani semper Italarum omnium maxime cupidi rerum nouarum, et mutationum appetentissimi, ut prudentes historici contestantur⁴. Ergo consultus a Carolo idem pontifex Romanus, ut breuissime, ita sapide sane respondit, 'Mors Conradini, uita Caroli: uita Conradi, mors Caroli⁵.' Atque ita sententiam Augustini, quae uictorem monet, ut uicti capti misceratur, maxime in quo pacis perturbatio non timetur, iurisconsulti eius aetatis non male interpretati uidentur ita ac si Augustinus dixisset, nisi pacis perturbatio timeretur⁶. Haec Archidiaconi interpretatio: per quam Conradino caput truncatum notant. Articulus 'praesertim,' qui idem et 'maximum,' proprie quidem sumptus ponit idem et in contrario casu: sed et remittit amplitudinem significati, ut etiam 'potissimum⁷.' Sed et iunctus uerbis rationis aut abundat in oratione, aut est pro articulo 'tantum,' quod alii etiamnum docent⁸. 'Tam praeclaram urbem, ex qua praesertim nihil periculi ostenderetur, non putauit delendam:' ait M. Tullius. An si periculum salutis urbis Romae ostensum fuisset, nec dum Syracusas illas pulchras delendas Marcellus aut Cicero censuisset? Et sic igitur ratio exigit (cui uerba

¹ P. Aemil. 7. ² Castr. et no. ad Castr. l. 14 de iurisd. (D. 2. 1). ³ Liu. lib. 26. c. 15.

⁴ Guicc. 1. 2.

⁵ Collenucc. 4.

⁶ c. 3. 23. q. 1.

⁷ Seal. de Cau. L. L. 80; Manut. Diuin.; Panor. c. 6. de eo, qui co. co. u.

⁸ Panor. c. 1. de eo, qui. du. in ma.; Alex. 2. cons. 163. 77.

aptantur) istam interpretationem. nam securitati pacis et suae habet uictor consulere et in eam totus incumbere. Contra Conradinum uehemens accusatio exstat in Decretalibus¹. At eam hic non moror. Imo in illo facto id improbo, quod bello captus quasi criminis reus, uel, ut Sigonius inquit², quasi latro condemnatus et necatus est. Malefici est iudicium sententiis condemnatum mori. quod ait Demosthenes³.

Magis reprehenderis crudelitatem. ut quod Persa rex Ualerianum imperatorem etiam excoriarit⁴. et quod Turca regem Aegypti suspenderit⁵. Nisi Turcam defendes tu, quod alium Sultanum interfecerat in praelio ante: et regni Sultanici caput, imo omnia redegerat in potestatem suam. alius autem nunc a paruus profugorum reliquiis Sultanus electus fuerat, adeoque uix erat dignus aut eo nomine, aut iure iusti hostis. Numquid enim et ab uno atque altero, aut ab una atque altera ciuitatula iusti ius et nomen hostis sustinebitur? et ita imperatorique maximo eundem per quosque singulos quasi per pares? Adde quod Turcae legati a Sultano hoc nouo fuerant uiolati⁶. Sed si non adsint causae istiusmodi singulares, tanta defendi feritas nequit. Non ego Titum defenderim hic aduersus Cardani accusationem, quod uno spectaculo aliquot millia Iudaeorum feris dilanianda exposuit. erant illi rebelles et contumaces⁷. Sed in bello licuit eos occidere inter iram uindictam et arma, non in pace. licuit occidere, sed non crudeliter. licuit per homines, non feris exponere. et alii tamen hoc, quod Titus, fecere cum captis hostibus, his ipsis Iudaeis. Captiuorum hostium magnam multitudinem feris obiecit Constantinus: et factum in panegyrico recitatur⁸. Sed defendi crudelitas omnino nequit. etsi iure ciuitatis esset damnatio isthaec quoque ad bestias. Nam ius illud insigni uni alicui facinoroso positum est, non bellico huic uiro. Quis Hispanos defendet, qui magnos quosdam noui orbis reges misere sustulerunt, alterum quoque lento igne per summum cruciatum, addunt et per perfidiam⁹. quo de crimine nec semel illic accusati. at ego hic de crudelitate trado¹⁰. Simples probari mortes captorum ducum possunt per supradictas

¹ c. 17. de elect. 6.² Sigo. ult. de Re Ital.³ Demo. Phil. 1.⁴ Agath. 4.⁵ Guic. 13.⁶ Iou. 18.⁷ Card. Enco. Ner.⁸ Const. Panegy.⁹ Lips. Polit.¹⁰ Nat. Co. 16.

rationes: etiam immolationis, uivis praesertim factae: ut itaque Euander sibi que Turnum ab dextera petit Aeneae. Sic in uno hostium capite perempto solent consolationem uictores capere de damnis acceptis ex parte sua¹. Quo referes morem, ut interentos duces hostium omnis uulneraret exercitus, ut ita de Hectore et de Mezentio annotatum est: ubi Uirgilius dixit Mezentii caedem et bis thoraca petiitum, ut hoc ita factum sit a duodecim Hetruriae populis². Et sic itaque uideri potest de mortibus ducum. Quod est tamen ualde aduersum moribus praesentis militiae. Nunc enim plebs est quae caeditur: duces, diuites conseruantur, qui redimant se. O iniustam belli gerendi formam et mercaturam crudelcm? Thomas Morus probat procuratam principis hostium necem: ut ita parcatur multitudini innoxiae: quae non sua sponte, sed furis agitata principum rapiatur in bellum. Sed et consulunt egregii nostri duces sibi more hoc nouo, ut, si ipsi ueniant in manus hostium, iam timere uitae suae non habeant, lusu inducto sanguinis plebei militis. ‘Constantino dictum, ‘Renouasti ueterem Romani imperii fiduciam: quae de captis hostium ‘ducibus uindictam morte sumebat.’ Constantinus Francorum et Ale-mannorum deuictorum captos duces, regesque etiam bestiis obiecit in spectaculum muneris, recepto (ut ait Eusebius) belli iure³. Attamen hoc de recepto iure falsum est. An enim obiiicientur bestiis iusti hostes? An alii extra priuatum aliquem audaciae singularis: cui poena eiusmodi scripta lege ciuili est? Reccessit porro ea rursus ‘fiducia.’ Neque ego tamen aut ducum captorum (si meam uis audire sententiam) probo necem: at hoc tantum cupio, multo maxime parci multitudini. Non Syphax, Gentius, Perseus affecti supplicio, etsi mortui in custodia, uel etiam illic exincti manu priuata⁵. Audi auctorem ad Herennium: qui non est Cicero, si Uirgiliana habet, ‘Bene maiores nostri hoc comparauerunt, ut neminem ‘regem, quem armis cepissent, uita priuarent, quia quam nobis facultatem ‘fortuna dedisset, iniquum erat, in eorum supplicio consumere, quos eadem ‘fortuna paulo ante in amplissimo statu collocauerat. et desino meminisse, ‘quod exercitus contra nos duxit, quia uiri fortis est, qui de uictoria con-

¹ Caes. 8. Gall. 38.² Seru. Aen. 11.³ Const. Panegy.⁴ P. Diac. 11; Euseb. 2. de U. Const.⁵ Plut. Acmil.

‘ tendant, eos hostes putare : qui uicti sunt, eos homines iudicare : ut possit
 ‘ bellum fortitudo minuere, pacem humanitas augere. Et quod ille, si
 ‘ uicisset, non fecisset idem : non tam sapiens fuisset scilicet. atque ideo
 ‘ parco, quod talem stultitiam contemnere, non imitari, uelim ¹’

Quod si Aristonicus et alii interfecti imo fuerunt Romae : causa quoque
 exstitit semper aliqua singularis, cur interfici iuste possent, aut quia falso
 illi arripuerint titulum regium et iusti hostis. aut uicti olim et sub ditionem
 facti, nunc rebelles erant. aut carissimos Romanorum interfecerant ipsi
 antea crudeliter. Interfecit sic Gedeon captos bello reges : qui carissimos
 Gedeonis interfecerant prius ². Alteri regi pollices manuum et pedum
 amputant Israelitae, ipso fatente rege, iuste : quia ipse sic alios reges
 tractarit ³. Iгурtha per summum scelus Masinissae nepotes etiam per
 cruciatus necat : a quibus uel oppugnandis prohibitus erat minis senatus
 grauibus. senatum, populumque affecit turpi conuicio, quos uenales clama-
 uit. meministin ? ‘ Urbem uenalem.’ C. Pontium, imperatorem Samni-
 tium, ductum in triumphum et securi percussum narrat Lilius ⁴. Sed hoc
 factum hanc habet iustam causam, quod necdum uinci illa pectora potue-
 rint per annos septuaginta, per tot clades : post concitos in suam societatem,
 fractosque Hetruscos, Umbros, Gallos : post tentatos Piconos meos, fide-
 lissimos Romanorum socios, quo in eandem traherent secum rebellionem.
 Rebellarunt Samnites pluries : et inducias uiolarunt : quae supplicibus pre-
 cibus, quas humi strati ad senatum plebemque Romanam, impetrauerant.
 Quid dicam hominum crudelitatem et in bello perfidiam ? Foede in cor-
 pora captorum saeuunt. acceptos in deditionem uerberibus foedum in
 modum laceratos occidunt. etiam pactos incolumitatem concremant. et is
 Pontius sub iugum antea missus, quid habuit secundo captus aliud ex-
 spectare ? Quicquid uero de Romanis sit : quos non per omnia sequimur ;
 nos hic neque de commentitiis auctoris ad Herennium exemplis absolui-
 mus, sed de rationibus : et dicimus, non esse iustum, ut duces iustorum hostium
 capti interficiantur : nisi causae speciales caedem probent. Rationes eius
 auctoris et scriptae ante hac aliae uincunt pro salute et incolumitate non

¹ Rh. ad Her. lib. 4. c. 16.² Iud. 8.³ Iud. 1.⁴ Liu. 8. 9. 10. 11.

solum deditorum et captorum militum, sed etiam ducum ac principum. Ab hac parte stant et exempla laudatissima. Nam scimus, Alfonso, celebrem illum regem Neapolis, captum et dimissum a duce Mediolanensi¹. Scimus Caroli filium supradicti captivum regis Siciliae, Franciscum primum Galliarum captivum Hispanorum; et alium regem Galliarum captivum Anglorum: et item alium Galliarum captivum Turcarum: et imperatorem Constantinopolitanum bello a Sultano captum: et Lysimachum olim captum a Thracibus: et reges Scotiae nonnullos ab Anglis captos: et Polonorum nuper captivum archiducem Austriae Maximilianum. Scimus alios, qui capti et dimissi etiam sunt et quidam etiam benigne ac sine pretio. Non solus Porus, qui captus ab Alexandro, tractatus est regaliter². et non Pyrrhi tantum uterumque quos ita laudat Demosthenes, ea bona fuit in pretio nec ullo recipiendo simplicitas. Sed et Sultanus cum duce quem Monomachus imperator multis missis muneribus redimere voluit, sic egit liberaliter. nam accepit quidem munera, sed donat eadem suo captivo: quem et dimittit. et magnificus uideri (inquit historia) rex voluit, non qui bellum cauponaretur. Et hac de re scripsi in libro superiore. Nunc egi de ducibus hostium captis non necandis. Probare nec perpetuos carceres possumus, si victor potest firmitati partae victoriae consulere aliter. Hic enim finis est victoriae, ea posse frui. et intelligentur carceres perpetui, si dimittendus quis non sit, nisi per intolerabile pretium, aut aliter iniquas condiciones.

CAP. IX.

De seruis.

SI spes non sit libertatis, species est seruitutis. In maximis autem malis, quae deditis aut captis militibus contingunt, seruitus est; qua quis dominio alieno subicitur: et in ius pecudum redigitur: et de natura dicitur: et de persona fit res: et corpora itaque dici a Graecis solent qui sunt serui: seruitus fere est mortalitas³. Sed de seruitute mihi triplex est

¹ Guicc. 17; Zon. to. 3; Cedr.

² Arria. lib. 5. c. 20.

³ l. 2. ad le. Aq. (D. 9. 2); l. 209. de reg. iu. (D. 50. 17); Bal. 2. co. 358; Mag. 1. Mi. 12.

quaestio. Prima, quando sit *seruitus*. Secunda si ius iustum ea sit. Tertia, quod ius sit inter *seruos* et *dominos*.

Et in prima receptum sic est, ut in bellis Christianorum *seruitus* non sit¹. Haec enim bella plusquam *ciuilia* sint. quia omnes in Christo fratres: in Christo capite membra unius corporis sumus: et ecclesia Christianorum una est et uulgo creditur *ciuitas*. De quibus et illud sequitur, ut teneri captiuis hostis perpetuo nequeat. non possit uendi et quae explicata sunt cetera. Cum alioqui *seruus* maneat etiam finito bello in perpetuum, si qui captus est ab hoste alio, et de eo nihil in pactis pacis est comprehensum: ut ratio naturalis, seruans quaesita dominia et quaesitas res, cum definitione est iuris Romani: 'In bello postliminium est. in pace autem his qui bello capti erant, de quibus nihil in pactis erat comprehensum²,' ait lex, cui additur, 'non est postliminium³,' ut sic non insolenter elliptica expletur oratio⁴. Aut uerbum 'nihil' mutatur in 'id⁵.' Certum est enim, non esse in pace, non tempore induciarum, postliminium. et sic item lex: 'Si in bello captus pace facta demum refugit, deinde renouato bello capitur, postliminio redit ad eum a quo priore bello captus fuerat: si modo non conuenerit in pace, ut captiui redderentur.' In bello licet fugere et redire ad suos, siue eodem bello quo quis captus est, siue alio. Quicquid Pomponius alibi dixisse de eodem uidetur⁶. Neutra enim obtinet ratio contra redeuntem alio bello: propter quas negatum ius redeundi in pace est. Namque Romana haec est: quia spem reuertendi ciuibus in uirtute bellica magis quam in pace esse uoluerunt. Sic Africanus 'nec de filio redimendo umquam tractauit, nec senatum de eo agere permisit, sed, ut dignum maiestate eius erat, se recepturum filium, dixerat⁷.' Communis autem haec: quoniam quae bello quaesita sunt, ea absque iusto alio titulo non possint eripi: nec titulus in pace est. Quod si in pace quis ad eos peruenit cum quibus mox bellum exarsit subito, *seruus* quidem efficitur. Sed huic et in pace postliminium est. Uidelicet ut in pace iuit, ita et in pace rediuit. Sic et in pace est postliminium ei qui captus ab his est, cum quibus neque amicitiam,

¹ Alc. 4. cons. 5; l. 1. de adq. po. (D. 41. 2); l. 6. C. de pa. (l. 11); Couar. Reg. Pecc. p. 2. § 11; Duar. c. 3. qui te. fa. po.; Don. 1. Com. 12. ² l. 12. 28. de capt. (D. 49. 15).

³ Cuiac. 19. Obs. 7 et 24. c. 31.

⁴ l. 3 § non tantum. de do. in. ui. et ux. (D. 24. 1).

⁵ Fab. 1. Sem. 7.

⁶ l. 5. de capt.

⁷ Iusti. lib. 31. c. 7.

neque hospicium, neque foedus amicitiae causa factum habemus. De quo explanavi in primo libro. Summa autem ratio est, ut his sit postliminium qui sic capti sunt: cur enim fugere non possent eo tempore in quo capi possunt? At hic quaeretur, si cum illiusmodi gente contrahitur amicitia, an postea liceat fugere? Et id etiam uidetur licitum, si per iniuriam, si per barbaricam feritatem quis eo modo captus censetur. Quemadmodum uero captis bello non est ius postliminii in pace, nisi cautum in pactis pacis sit, ut esset: ita captis in pace ius est postliminii in pace, nisi cautum fuerit, ne esset. Atque eadem haec distinctio seruanda est in captiuitate ea quae inter Christianos est: ut scilicet qui captus bello est, is pace facta fugere non possit. Haec enim captiuitas ex illa seruitute est censenda, si ratio non aduersetur¹. Non est ius uerae seruitutis inter Christianos. quicquid audio contrarium alicubi dici: et itaque testamenta etiam nulla captorum inter nos. Sane enim receptum est consuetudine certa, ut non fiant serui. Nolebat Socrates, esse ius seruitutis inter Graecos: quasi inter ciues communis patriae et eorumdem sacrorum socios². Hoc, inquam, Socrates. alioqui non hoc apud eos erat receptum. et ergo idem, 'Equidem, inquit, assentior, ita oportere, ciues nostros aduersus inimicos suos se gerere: contra barbaros autem ita animatos esse debere, ut hoc tempore Graeci aduersus Graecos immanibus odiis decertant.' Et hinc sacra, quae recensuimus, Atheniensium, Sicularum, Samiorum, Thebanorum, alia. et hinc hic Ilotae Lacedaemoniorum. Non inter Iudaeos fuit ius seruitutis, nisi cuiusdam temporariae³. In bellis ciuilibus Romanorum nec erat seruitus. Illic uidelicet bellum sine hoste: ut inquit Lucanus. imo neque illic bella, sed dissensiones. 'quod seorsum eunt alii ciues ad alios se ditio dicitur ciuium dissensio⁴.' Neque illic hostes erant, sed partes, factiones. ut durum nomen prius in ciuili contentione est uisum⁵. Et de prima hactenus quaestione dictum esto.

In secunda dicere non dubito, ius iustum seruitutis esse. Est enim constitutio iuris gentium. Sed obicitur, quod naturalis ratio, quae auctor est iuris gentium, inducere seruitutem non potuit: si a natura omnes liberi sumus:

¹ Ang. l. 4. de his, qui no. inf. (D. 3. 2).

² Plat. 5. de Rep. (p. 469).

³ Deut. 15. 20.

⁴ Cic. 6. de Rep. 1; Non. de Co. Do.

⁵ Pater. 2. ubi Lips.; Cic. 13. Phi. 20; Caes. 6. Gall. 10; l. 21. de capt. (D. 49. 15).

et contra naturam seruitus esse dicitur et ex hostium feritate inducta. Solutiones uero afferuntur plures. Mihi Thomas placet Aquinas. ut seruitus sit etiam a natura. non quidem secundum primam intentionem, qua facti liberi omnes sumus: at ex secunda, dum uoluit natura puniri delinquentes¹. Quae et nostri aliqui probant, doctiores istius iuris². Atque sic addunt, libertatem esse secundum naturam, sed bonis. Huc autem et disputatio apud Aristotelem conspirat de seruitute a natura³. Nam ut philosophus de his disceptet quibus ingenia sunt seruilia: tamen rationes faciunt contra hos quoque, qui propter malitias et propter peccata serui fiunt. Et hic si dicis cum Philone, innumeros bonos uiros libertatem amisisse⁴. Respondeo, doctissimum Piccolomineum respondisse Philoni contententi seruitutem summopere pugnare cum natura, item responsum a me supra in capite tertio huius libri et in sexto libri primi⁵. Sane enim etiam scelerati exercitus saepe uicerunt⁶. Etiam afferunt de Aquinate iidem illi interpretes, quod soluat alteram obiectionem ab immutabilitate iuris naturae et gentium. Etsi enim haec iura sinit immutabilia: quoniam ad ueritatem referuntur: quae est immutabilis: ut aliae scilicet leges referuntur ad opinionem: et itaque si iuris naturae est libertas, tolli nec populi constitutione potuerit; et seruitus si a iure gentium est, eadem nec ualuit per ius aut manumissionis aut postliminii exstingui: et fit utrumque tamen. adeoque ad ciuile prorsus ius aliquot iura isthaec referenda uideantur. quod saepe mutari solet. Respondent illi nostri, quod ius naturae et gentium aut quid statuit, atque contra illud non est lex; aut nihil statuit, atque hic est lex. Ius naturae non statuit, ne homines serui fierent: etsi homines fecit liberos. itaque potuit ius gentium seruitutis esse. Et neque ius gentium constituit, ne ad libertatem serui reducerentur: sed imo per idem ius secutum est beneficium manumissionis. Quod alii tradunt ius gentium et naturae mutari in parte posse, falsum est et refutatum a supra-dictis⁷. Et nemo interpretum est tamen, qui de primo et secundo iure naturae gentiumue non tradat: quod de prima et secunda intentione extulit Thomas. Adde hic, quod ius gentium de seruis faciendis sic est,

¹ Aquil. Supl. 3. q. 52. a. 1. ² Cou. d. § 11. ³ Arist. 1. Polit. 5. ⁴ Phi. Quod Li. S. Q. U. Stud.

⁵ Picc. ult. Ci. Ph. 6.

⁶ Isocr. Panath.

⁷ Alc. 5. cons. 39; Ceph. 691.

si capientes hoc uelint, captos seruos esse. Sic nolunt Christiani, alii, inter se ius seruitutis. Et quod ait lex, capientium fieri statim, quae ex hostibus capiuntur, non sic intelligitur, ut fiant etiam nolentium¹. Imo enim uituperatus Murena fuit: qui Tyrannionem, nobilem illum grammaticum, captum bello, sibi que donatum a Lucullo, manumisit². Scilicet abusus tanto uiro fuerit, seruo primum, libero deinde facto, cum ablata esset libertas simulato munere libertatis, et potuerit Tyrannio seruus non esse, nisi Muraenae accessisset uoluntas, quae dicitur accessisse per manumissionem. nec enim potuit manumittere, quin seruum prius uoluerit: siquidem liberi non manumittuntur. Hinc ex diuerso laudatus Cyrus: qui passus non est, a captiuis sibi pretium solui, ut liberi abire uiderentur³. Et egregie Uespasianus Iosepho captiuo catenas non solui, sed frangi uoluit: ne seruus umquam fuisse censeretur, at inique, nec ex uoluntate principis, uinctus⁴. Disputatio autem contra ius seruitutis habita a Ioanne Bodino, sane quam est inepta⁵. Non probat seruitutem nec inter diuersae religionis homines. Cum fortassis melius esset, eam recipi et inter religionis eiusdem, quando nec tam multi interficerentur, si ius staret seruitutis apud omnes. Sic enim in bellis ciuilibus (quae semper insolentia et misera et omnium pessima⁶) cadere plures creduntur, quia capti non fiunt serui capientium⁷. Quae et Aristotelis fuit ratio una, seruitutem probantis⁸. Atque sic quoque scripsit Alexander, ius naturale tolli ex causa: et inductam esse seruitutem propterea, quod per eam prohibetur captorum caedes⁹. Quamquam uero ditiores seruuntur etiamnum ad pretium redemptionis: ipsa certe plebs nunc perit magis quam ubi fieri serui possunt omnes. Apostolus et Christianos esse, Christianisque, patitur seruos¹⁰: et nostri interpretes sic tradunt manere Iudaei seruum baptismatum et magis Christiani¹¹. Tentat Bodinus docere seruitutis ius nec esse gentium. At contra faciunt auctores iuris, Plato, Xenophon, Aristoteles: quis non¹²? Et quod negat Bodinus, ius concludi gentium a con-

¹ l. 5. de ad. re. do. (D. 41. 1). ² Plut. Luc. ³ Xen. 3. Cyrop. 1. ⁴ Iose. 4. Bel. 12; Zo. Uite.

⁵ Bod. 2. de Rep. 5. 8. ⁶ Cic. 4. Fam. 4 et 9. lib. 12. ep. 18. l. 16. c. 11; Plat. 1. de Legi. (p. 628).

⁷ Tac. Hist. 2. 3; Plut. Otho.

⁸ Arist. 1. Polit. 6.

⁹ Alex. 6. cons. 134.

¹⁰ Eph. 6 et ad Phil.; Aug. Exo. q. 67.

¹¹ Rom. cons. 288. ubi Mandos.

¹² Plat. 1. de Legi.; Xen. 7. Cyrop. 1; Arist. 1. Polit. 5.

sensu gentium : quia et in idololatriam consensum fuerit : neque tamen idololatria ius sit. respondeo, rationem esse longe uanissimam. Non enim in diuinis quidquam est homo : nec in iure constituendo quod est inter Deum et hominem et quod religio est, quidquam ualet. At non ita in humanis et in iure humano constituendo. Rectius disputaret alius, aequum esse ius, non quo omnes usi sunt, sed quod omnibus latum est. ut sic Seneca¹. Attamen de assumptione respondemus, non sic factos omnes a natura liberos, quin et fieri serui nequirent plurimi. Et immo interim esse argumentum ueritatis, aliquid omnibus uideri. quod idem Seneca². Et Aristoteles, haud fortuna, casuque fieri, quod fit semper. et rem naturalem esse, quae semper fieri et ubique solet³. Cum id genus aliis, quae in principio horum sermonum notauimus. Est igitur iuris gentium seruitus, hodieque Christianis cum omnibus, qui alieni Christo sunt. Et nostri a Turcis capti serui Turcarum sunt. Quod aliique adnotarunt bene et uere⁴. Nec bene de hoc dubitant alii : quasi Turcarum causa, uenantium nos et occupantium nostra, nequeat iusta esse⁵. Nam de hoc expositum antea est : et de piratis exceptum : et de aliis declaratum, cum quibus amicitia nulla est nobis. ut sic tripliciter quaeri de Turcis potest : quum bellum gerunt : quum piraticam exercent : quum extra bellum nos intercipiunt aliter.

Quod porro hoc ius sit seruitutis, (quae erat tertia quaestio) sic dico : non ita sequi rigorem oportere, quin non meminerimus eius magis quod solet agi per uiros bonos⁶. Iura uulgaria, sed falsa, in seruorum nihil non domino licere : pictori nihil non pingere⁷. Et hoc uulgare est, 'Pictoribus atque 'poetis.' imo enim 'Humano capiti ceruicem pictor equinam,' etc. Etiam Plato male, seruos asperere tractandos scribit⁸. Et Aristoteles bene, tractandos seruos suauiter⁹. Et M. Cicero, 'Meminerimus et aduersus infimos 'iustitiam esse seruandam'¹⁰. Etiam, 'dominum patremfamilias seruos 'familiares appellauerunt nostri maiores, omnem seruis contumeliam 'detrahentes'¹¹. Memini Aristotelemque recitare, nobiliores captos non seruos, sed tantum barbaros, nuncupatos. Et Spartanus, captiuum se, non

¹ Sen. Ep. 108. ² Sen. Ep. 118. ³ Arist. 15. Probl. 3. ⁴ Alc. l. 118. de U. S. (D. 50. 16).

⁵ Cou. d. § 11.

⁶ Uict. Relect.

⁷ Sen. 10. Contr. 5.

⁸ Plat. 6. de Legi. (p. 777).

⁹ Arist. 1. Polit. 6 ubi Uict.

¹⁰ Cic. 1. de Off. 13.

¹¹ Maer. 1. Sat. 11.

mancipium, nominari patitur: ut in sono et usu etiam apud nos est turpitudinis aliquid maioris in mancipii nomine¹. Scribit autem hic Bodinus rectissime, non aliter agendum in captiuos, quam a bono patrefamilias et id receptum fere omnium gentium institutis et moribus esse. Syracides autem sic scribit, 'Si est tibi famulus, esto tibi tamquam tu ipse: quia sanguine parasti ipsum. et est tamquam tu ipse².' Et Clemens Alexandrinus, 'Famulis utendum tamquam nobis ipsis. sunt enim homines, sicut nos³.' Sic maior Cato acriter notatus a Plutarcho, quod seruos senio debilitatos eiiceret et uendere consueuisset: quasi extra quaestum nullum esset homini cum homine commercium: et quasi nec pateret latior benignitatis campus quam iustitiae⁴. Qua benignitate uteremur etiam in bruta: ut ita quies, pascua his, etiam et sepulcra, Athenis erant post labores longos uitae. Dicam de lege Dei? cui et de bobus cura: et de asinis. 'Non alligabis os boui trituranti. Non arabis in boue et asino⁵.' Et hoc quia inaequalia haec male ad iugum, et a fortiori infirmius premitur⁶. Et unde ad homines eliciunt, non oportere iniuria afficere, iugo premere, quos non alias possumus accusare quam quod generis diuersi existunt. 'Non bos, non asinus, non aliud iumentum, faciat opus ullum die septimo⁷.' Sic uoluit Deus, humanos nos in omnes esse. Aut num quid canes (quod indignum dicebat Diogenes) saginabuntur, homines pascentur male⁸? Sic est saeuitia dominorum compressa iure nostro, etiam et impudicitia et mala tractatio⁹. Audi rescriptum diui Pii, 'Dominorum quidem potestatem in suos seruos illibatam esse oportet: nec cuiquam hominum ius suum detrahi. sed dominorum interest, ne auxilium contra saeuitiam, uel famem, uel intolerabilem iniuriam, denegetur his qui iuste deprecantur. ideoque cognosce de querelis eorum, et si uel durius habitos quam aequum est, uel infami iniuria affectos cognoueris, uenire iube, ita ut in potestatem domini non reuertantur: qui, si meae constitutioni fraudem fecerit, sciet, me admissum seuerius exsecuturum.' Sed et audi, quod 'diuus Hadrianus etiam matronam in quinquennium relegauit, quod ex leuis-

¹ Plut. Apoph. ² Eccl. 32. ³ Cl. Al. ult. Paed. ⁴ Plut. Cat. ce. ⁵ Deut. 25.

⁶ Cl. Al. Str. 2; Ouid. Ep. Deian. u. 29. ⁷ Deut. 5. ⁸ Phi. Quod Lib. Sit Q. U. S.

⁹ l. 2 de his, qui su. (D. 1. 6); l. 1. de off. p. u. (D. 1. 12).

‘simis causis ancillas atrocissime tractasset.’ Dominorum, inquit, interesse; nam coniecti in desperationem serui aut dominos aut se necabunt, aut minimum fugient¹. Ut magnis, horribilibus, multis exemplis ostendi potest. Puer Spartanus liberalia ministeria hero suo libens praebebat, seruilia noluit, itaque se interfecit². Sane enim et ponenda ratio in personis seruorum est. Ceterum ferre habent serui tamen etiam quae nequit Spartanus et hic et ille ferre. tulit enim et isthaec Eurysthei imperia Hercules. Et non iam liberalia cogitare habet, qui non iam liberum se cogitare habet. Iusta cogitet, quae sibi debentur. Et dominus iusta cogitet: nam aut ‘aere parati serui iniusta dominorum imperia non perferunt³,’ et subditi eximuntur a iurisdictione et potestate principis saeuientis⁴. Nam cur te habeam ut principem, si tu me non habes ut senatorem? quod et nostri aiunt. Sed et reipublicae interest, ne re sua quis male utatur. Nunc et Senecam audi de hoc iure, etiam et ante Antoninum et ante eius patrem constituto, ‘Non omnia iubere nos possumus aut in omnia serui parere coguntur, neque enim ulli sceleri manus commodabunt. Dominus praestare seruo debet cibarium, uestiarium. ‘Est enim seruus’ (‘ut placet Chrysippo,’ illi philosopho summae Stoicae sapientiae, laudatoque auctoribus iuris⁵) ‘perpetuus mercenarius. De iniuriis dominorum in seruos, qui audiatur, positus est: qui et saeuitiam et libidinem et in praebendis ad uictum necessariis auaritiam compescat⁶.’ Atque sic est lex de seruilibus iniuriis, quae distinguit late: et in hanc conclusionem deuenit, ut habeat magistratus rationem tam iniuriae quae admissa dicitur, quam personae serui, in quem admissa dicitur⁷. Domini neque ex causa occidere seruos possunt⁸. Quae item Hadriani fuit lex. Audisti de libidine et scelere alio. Et ergo refutata sunt quae de triplici impudicitia refert Seneca rhetor et non unus nostrum, et quae olim risa cum auctore fuerunt⁹. De sceleribus aliis et alter dixit Seneca: ut contra rempublicam imperata facere serui non habeant: et scripsit Ulpianus, ‘Ad ea quae non habent atrocitatem facinoris, uel sceleris, ignoscitur

¹ Theop. Inst. de his. q. s. s. (1. 8). ² Phi. Quod Lib. S. Q. U. i. Stu. ³ Sall. Jug. ⁴ Rom. cons. 37 et ult.

⁵ l. 2. de legi. (D. 1. 3).

⁶ Sen. 3. de Benef. 22.

⁷ l. 15. de iniur. (D. 47. 10).

⁸ l. 1. C. de em. ser. (9. 14); Spar. Hadr. ⁹ Sen. Prooe. 4. Contr.; Alc. 8. Pare. 3; Hot. tit. ult. Inst.

'seruis, si dominis obtemperauerint¹.' Et haec tamen quaestio de ignoscendo alia est a quaestione de faciendo. Facere nihil seruus habet quod sit iniustum. Imo nec cogitur omnia facere, aut praestare, quae probet iustitia. Audi iterum philosophum Senecam: 'Seruus qui negat, dare aliquando beneficium, ignarus est iuris humani. Et errat, si quis existimat, seruitutem in totum hominem descendere. corpora obnoxia et adscripta dominis, mens mancipio dari non potest,' etc. Audisti de auaritia. Illa certa in seruos deprehenditur: quibus cibarium, uestiarium debetur certe. et certa haec sunt per naturae ius, secundum quod seruis fit: nam est cibarii satis, quod defendit a fame; est satis uestiarii, quod defendit a frigore. Et hanc poscit natura defensionem: et hac est contenta. Ita ergo Siciliae rex apud Isaacium imperatorem conquestus est, quod captos bello Siculos fame sineret imperator exstingui: nam a uictore, omnis oblito humanitatis et in feram uerso, statim fuisse necandos, aut certe alendos². Hoc tamen repositum Siculis ius post tot saecula: qui omni genere malorum et hoc famis, omnium deterrimo, captos Athenienses confecerunt³. Etiam Athenis fuit lex de iniuria seruili: ut consulere et fortunae ipsorum⁴. Fuit apud Graecos fas seruis mutare durius seruitium⁵. Et apud Turcas quoque nunc est. Sed apud hos non illi occurritur fraudi, cui lex occurrit Romana ut in potestatem domini non reuertantur. Dixi, consultum uel aduersus acerbum nomen ipsum serui apud ueteres Romanos, consultum sic et alibi et qui serui essent, hi Ilotes, Dorophori, aliter appellarentur. Alibi et facultas acquirendi eis facta: ut multi suis euaserint dominis ditiores. Quae legis apud Athenaeum. Et serui sic extra ius ciuile Romanum non differebant multum a liberis⁶. Si tamen cum illis seruetur hoc quod nunc est, Romanum ius, opiner ego, non fieri iniuste: quicquid alii censent.

¹ l. 157. de reg. iur. (D. 50. 17). ² Niceta. 1. (p. 234). ³ Diod. lib. 13. c. 50; Thuc. lib. 7. c. 87.
⁴ Athen. lib. 6. c. 19. ⁵ Pollu. 7; Plut. de Superst. ⁶ Alc. De Qui. Pe. Pr.

CAP. X.

De statu mutando.

PORRO autem non modo uita et incolumitas relinquenda uictis est, sed aliquando ipsa quoque libertas. Et multis saepe populis uictis uictor populus Romanus hanc reliquit. imo etiam et dedit: ut Graecis a seruitio Macedonum, item Asiae regum. Quid enim liberis populis iugum indignum nec ferendum impones seruitutis? An gentem integram exterminabis? Id dices ne licitum, nec contendes honestum, ut nolis uiuos, quos habere seruos non potes et quos tamen habere amicos et parentes potes? 'Britanni,' inquit Tacitus, 'delectum ac tributa et coniuncta imperii munera impigre obeunt, si iniuriae absint. has aegre tolerant, iam domiti ut pareant, non ut seruiant¹.' Et in mancipio praeterea, ut dixit Seneca, cogitandum est, non quantum illud impune pati possit, sed quantum tibi permittat aequi, bonique natura: quae parcere etiam captiuis et pretio paratis iubet, itaque uel regnum relinquere suum uicto, si tuto fiat et id, bellissime monet². Nam si male utendo corrupturi essent relictam libertatem, tum quidem nec relinquenda libertas est. Quod obseruatum leges apud Liuium alicubi³. Et de Graecis dixit mox Uespasianus, desiisse scire, liberos uiuere⁴. Et itaque exsuit eos libertate. 'Esto seruus, qui nesciisti uti libertate:' dicebat Bartolus⁵. 'Beneficentia nihil naturae hominis accommodatius: sed habet multas cautiones. uidendum est enim ne obsit benignitas et ipsis quibus benigne uidebitur fieri:' ait M. Tullius⁶. Seruitus haec iusta est, quae et seruientibus est utilis. 'Principatu Cosmi' (inquit Bodinus) 'nihil magis salutare seditiosissimae ciuitati ab immortali Deo optari potuisset⁷.' Notat idem in Politicis Lipsius et nemo non uerissimum uidet. Et Cratippus sic dissebat Pompeio in

¹ Tac. Agric. 13.² Sen. 1. de Cle. 17.³ Liu. 39.⁴ Paus. lib. 7. c. 17.⁵ Ias. 1. ex hoc iure (D. 1. 1. 5).⁶ Cic. 1. de Off. 14.⁷ Bod. 4. de Rep. 1.

fuga Pharsalica, deque providentia suorum Deorum conquerenti, opus fuisse Romae principatu unius propter peruersam rempublicam¹. Et alia sic sunt plurima. Et Plato, 'Est peculiaris quaedam uox uniuscuiusque ciuitatis, ueluti quorundam animalium. nam aliam popularis, aliam paucorum, aliam unius dominatio uocem postulat.' quae hic inertes et aptes rectissime². Etiam tyrannis dicitur bona in discerpta republica: ut sit qui componat scilicet. Et tyrannus tum est quasi princeps. Et iuste igitur Solonem insectabantur: qui nomine deterreretur tyrannidis. cum uirtus esset suscipientis uersuri eam in iustum mox principatum³. Solon autem, qui recusauit, otio magis suo quam bono consuluit publico. Contra uero et tollere principatus, expedit aliquando et est iustum. Ut de Heluetiis idem Lipsius, de Romanis Liuius⁴; et ipsi Romani de aliis non semel censuerunt. Quamquam quum uoluerunt, Cappadocas liberos esse, non uiderunt recte: et a Cappadocibus ipsis audierunt, non posse se sine rege uiuere⁵. Ea utilis est seruitus, quum improbis auferatur iniuriarum licentia: et quum domiti se habebunt melius, qui indomiti peius habuerunt⁶. Quae Augustinus: imo Aristoteles. 'Profuit iniustus, te dominante capi:' de Roma domina et de populis domitis Numtianus⁷. Sic uiderit uictor, quales uicti sunt. 'Et clementia uel dimittet hostes saluos, aliquando etiam laudatos, si honestis causis pro fide, pro foedere, pro libertate, in bellum accincti sunt.' sic Seneca: cui clementia est quoque iustitiae pars: ut addit, 'Uenia debitae poenae remissio est. clementia hoc praestat, ut quos dimittit, nihil aliud illos pati debuisse pronuntiet⁸.' Etiam Cicero clementiam appellat iustitiam in oratione pro Marcello: habita eius uiri ratione: qui in fortuna misera relinqui a Caesare non debuerit.

Sic et uidendum, quos inter bellum gestum sit. Etenim quae pugnant formae rerumpublicarum, nec se simul ferunt, illic non inique uictores uictis mutabunt, quod aptum sibi credent uictoribus. Par est siquidem, ut potentioribus succumbant, qui stare una non ualeant. Et naturale est iustumque imperium, ut imbecilliora fortioribus pareant. uictique ferant quod fecissent si ipsi uicissent⁹. Ita rempublicam rex, regem

¹ Plut. Pomp. ² Plat. Ep. ad Perd. ³ Plut. Solo. ⁴ Liu. lib. 2. c. 2. ⁵ Str. 12. ⁶ Aug. 19. de Ciu.; Arist. 1. Polit. 5. ⁷ Numet. 1. Itin. ⁸ Sen. 2. de Cle. 7. ⁹ Plat. 4. de Legi.; Thuc. lib. 5. c. 9.

respublica tollit. Natura enim inimica inter se libera ciuitas et unius dominatio: ut non inepte Perseus apud Liuium disserit¹. Ita Demosthenes dixit et clamauit saepe, cum liberis populis aut propter priuatas iniurias, pro quibus publice satisfactum non sit, aut pro parte agrorum, aut de finibus, aut propter contentionem honoris, aut de principatu, bella gessisse Athenienses: cum potestate autem paucorum propter haec dimicationem nullam, sed de reipublicae forma ac libertate habuisse². Ita Xerxes inimicitarum medium nullum inquit cum Graecis sibi, at dominationis extremum³. Et Persae tamen reges regibus uictis regna relinquere sub se solebant. Ita Lacedaemonii tributarios non quidem faciebant, sed hoc solum, ut socii sub paucorum principatu reipublicam administrarent accommodate ad Laconicum morem⁴. Ita Athenienses sociis suadebant, ut illam tenerent formam reipublicae, qua utebantur ipsi⁵. Ita mihi uisus Romanus ubique populus reges tollere, optimatum statum fouere, apte ad suam optimatum (erat haec cura senatus) sectam constituere prouincias et ciuitates. Sic uidet bello Annibalico per omnes ciuitates Italiae senatum Romanis fauere, Poenis plebem⁶. Sic in Carthagine ipsa nobilium factio ad Romanos postea uersa. Sic alibi: nisi si quid certa imperii et temporis ratio diuersum exegerit. Regem et potentem habere in Africa Masinissam oportuit stante Carthagine. Sed ea deleta bene cito regnum illud pessumdederunt. In Asia oportuit, reges aliquos aliquandiu esse populis semper assuetis in regno uiuere. Oportuit, donec ipsi Romani melius et nossent et possiderent eas regiones: quas interim per illos reges, ueluti per procuratores, regebant pro libitu. Et has enim nec in nepotes, quasdam nec in filios uenire passi sunt. Ad rationem imperii uictorum igitur iuste coguntur uicti: aut franguntur iuste, si se non flectent. Et iuste sic fecisset Philippus Atheniensibus, quod et Demosthenes, ut dixi, posuit suis non semel sub oculos. Ita Samnites deleti funditus: qui implacabiles uictoribus: itaque iniusti⁷. 'Cum uictor arma posuit et uictum decet deponere odia⁸.' Urbes aequatae solo dictae sunt. Lacerata Macedonia in partes fuit: quae

¹ Liu. lib. 44. c. 24. ² Dem. Or. de Cher., et Ph. 3. ³ Herodot. lib. 7. c. 11. ⁴ Thuc. lib. 1. c. 19.
⁵ Isocr. Pana. Pane. ⁶ Liu. 24; App. Pu. ⁷ Str. 5. ⁸ Sen. Iler. Fur. 2. u. 409.

unita renouauit bellum Romanis¹. Multata scrūtute: quae nec potuit lacerata quiescere. Lacerata Aegyptus ab Alexandro: gens seditiosa². Transportati a Romanis, qui hostes in suis illis montium latibulis nec inueniendi, Ligures³. Alia duriora in parere recusantes patrata, necessarie, iuste, honeste. Nec semper parcitur multitudini, 'Uidendum, ne benignitas obsit et ceteris: et maior sit quam facultates: et ut pro dignitate cuique tribuatur⁴,' sic idem Cicero. Et quod 'nullius rei minus diuturna gratia, quam libertatis: praesertim apud eos qui male utendo eam corrupturi sunt:' lego in Liuiο⁵. Sic uicti aut retinent, aut mutant statum.

CAP. XI.

De religionis aliarumque rerum mutatione.

QUOD si status non mutatur, in statu tamen aliquid mutari saepe solet. Saepiuscule quaeritur de religione. Sic Dagobertus dīem praestituisse narratur, intra quam quicquid mortalium religionem Christianam non profiteretur in quacsitis suis regnis, capite lucret⁶. Sic uictis Frisiis iniunxit, ut concionatores nostros audirent. Quod et Saracenis Carolus magnus. Et idem Ungaris, deditibus se, uitas et fortunas seruat amplexantibus religionem: aliis uitam sine bonis et sine libertate⁷. Et templa illic subuerti idolorum uoluit. Sic Olofernes Deos omnes uoluit sublato⁸. Sic Cambyses uicta Aegypto cunctam Aegypti religionem abominatus, ceremonias eius et templa deposuit⁹. Sic Antiochus uarios tolli uult ritus: ut sui coalescerent omnes in populum unum¹⁰. Sic Helio-gabalus religiones omnes uoluit in templum unum Dei sui transferri¹¹. Atque haec ratio unendi animos omnium praecipue afferri in iure humano solet pro ista mutatione. Unica familiaritatis et amicitiae tessera (inquit Philo) studium est placendi Deo, et dicendi faciendique pro pietate

¹ Liu. lib. 45. c. 18. ² Arria. 3. ³ Liu. lib. 40. c. 41. ⁴ c. 30. de simo. ⁵ Liu. 39.
⁶ P. Aem. 1. 2. ⁷ Bonf. 1. Ung. 9. ⁸ Iudithae 3. ⁹ Oros. 2. c. 8; Iusti. lib. 1. c. 9.
¹⁰ 1. Macc. 1. ¹¹ Lamprid.

omnia¹. Dei honor supra consanguinitates et ceteras omnes coniunctiuae benevolentiae uinculum insolubile. Cum id genus aliis, quae dixi in primo libro. Et itaque tot hodie dissensiones et bella etiam ciuilia obiectantur, quum non una habetur religio. Sed et respondi tamen, non bene referri praesentia mala et praesentes dissensiones ad uarietatem alicubi religionis: quae antea in religionis unitate uiderunt nostri maiores; etiam praesentibus grauiora. Iterum imus in Galliam, quod regnum pro exemplo nominatur hodie. Quis nescit ab omni memoria in Gallia non solum in omnibus ciuitatibus atque in omnibus pagis partibusque, sed paene etiam in singulis domibus factiones fuisse²? Non prosequor istam Gallicam historiam, quae est in praesentem usque diem notissima. Tolle Gallis bellum externum, quod inepto consilio Galliae hostes eis intulerunt; quodque sapientissime suscepit et proclamauit Galliae rex: et mirum nisi cernimus statim ciuilia rursum bella, quae per externum silent. Numquid alia dico? Ubique cernere est, quemadmodum in maxima religionis unitate turbarint res maxime. Et tu Italia num Guelfos ignoras et Gibellinos et bella Caesarum et pontificum lamentabilia in uisceribus gesta tuis non nescis, dum ius imperii uiguit in te et reliquiae regni Longobardici superfuerunt³. Et tu Roma quas uidisti et quantas in foro medio acies, caedesque? Nec ego te reuoco ad uetera illa Gracchorum, Marii, Syllae, triumuirum, aut ad bella alia ciuilia: quae nec in minima re spectarunt religionem. At de pontificum dico praeliis: Damasi et Ursini: Laurentii et Symmachi: Cadali et Alexandri. Praelia in medio foro: caedes in clero et sanctimonialibus: latrocinia: denudatas foeminas: cadaueribus completa loca orationum. Liberio in urbem reuerso ad dignitatem pontificalem fluxerunt templa sanguine. Sed quis denarrauerit omnes? Theodorum, Agapetum, Damasum, Calixtum, omnes secundos? Bonifacios duos, Ioannes quatuor, Benedictos plures? Formosi quis funera fando, temperet a lacrimis? At omnino plurima isthaec legimus apud Platinam, Ammianum, Tarcagnottam, Sigonium⁴. Quamquam neget Sigonius uerisimilia, quae de funeribus Formosi tradita ab aliis

¹ Phi. de Uict. ² Caes. 6. Gall. 10. ³ P. Aem. 7; Iust. An. Ge. 3; Sigo. de Re. Ital. 13. 17.

⁴ Tarc. 5. 11; Sigo. de Re. Ital. 6. 13; Amm. 27.

sunt. De quo ego non litigabo. nam id noto tantum, malorum eorum causas non notari varias religiones in historiis: sed pectora illa latronum, sicariorum, adulterorum, sacrilegorum, magorum, monstrorum: ut loquuntur historiae illae. Huc ad alia, huc ad alios fontes refer, non ad uariam religionem, malorum causam. Inquit de Gallia sua P. Faber, uelamentum etiam falsum esse illic religionem¹. Ceterum demus, etiam propter religionem nunc turbari. Assentiamur mendaci calumniae, quae ethnicorum fuit aduersus nos. Ego dixero cum Augustino, 'Quid mirum, si Christianis temporibus iste mundus, tamquam seruus, iam sciens domini uoluntatem et faciens digna plagis, uapulat multis?' Ego dixero cum spiritu Dei certo, in pace esse omnia potuisse, cum fortis armatus custodiret atrium suum: at Herodem turbatum et tota Hierosolyma et gentes tumultuatas et reges terrae concitatos, fortiori illo exurgente Christo Dei et gladium et ignem et diuisionem ferente³.

Quod si uero uictor incidat in alienos ab humanitate et a religione omni, hos quidem iustissime cogere poterit mutare id quod et contra naturam est. Et sic sane traditur de Ungaris, quemadmodum Christiani facti, informati simul ad humanitatem, inducti ad commercia et in reliqua aptati fuerint quae ius naturae, gentium, flagitat et ciuitatis, et a quibus alieni antea omnino erant⁴. A natura est religio: quam innata quaedam nobis uis affert: et insinuat caelum ac terra⁵. Et itaque Thomas Morus, magni iudicii uir, ferendam religionem omnem, docet: non eam tamen, quae esset contra naturam⁶. Sunt qui Deum negant. sunt qui de eo et prouidentia eius ambigunt. sunt qui secuti maiorum ritus et superstitiones, nunc cogitare amplius aliquid non ferunt⁷. De primis et secundis sic dicimus: qui gigantes Phlegraci Deos pellere de caelesti sede uoluerunt, negando Deos⁸. Etiam qui negant propria Dei, negant Deum; et qui igitur negant prouidentiam Dei, aut de prouidentia (quod idem est) ambigunt. Aut ambigunt, quia non intelligunt? Hoc igitur intelligat homo, se esse hominem, non Deum; et Deum non esse hominem. 'Si

¹ Fab. 3. Sem. 16.² Aug. Ep. 112.³ Matth. 2. 12; Ps. 2.⁴ Bonf. 1. Ung. ult.⁵ Cic. 2 de Inu. 22.⁶ Mor. 2. Utop.⁷ Phi. de Praem.⁸ Diod. lib. 4. c. 21; Macr. 1. Sat. 20.

‘ potest homo intelligere diuina, potest et facere:’ ut diuine Lactantius¹. Hoc intelligat homo quod est facillimum: et non ambigat. Non ambigat aut de eo quod excellenti personae debetur, an oporteat Deum honorare. ‘ Qui dubitant, utrum oporteat Deos honorare et parentes diligere, poena indigent².’ Quos duos sic in exemplum legis naturae coniunxit Pomponius iurisconsultus³. Sunt Epicureis peiores illi athei et isti irreligiosi. siquidem Epicurei agnoscebantque et uenerabantur, etsi non curare mortalia Deum credebant. honorandam excellentem naturam deitatis censebant⁴. Uerum neque Epicurei ferendi sunt: qui uerbis quidem fateri Deum uidentur, sed re negant. Non ferendi alii ulli, quorum religio labefactet uictoriae firmitatem ac eiusdem iura. Neque enim sibi iudicium hic uictor sumit Dei et religionis, sed causae suae. De tertiis autem, qui religioni mancipati sunt improbae, idem censuerim hoc solo casu, quum religio uictoriam labefactat. Et Plutarcho disserenti, peiorem atheo esse superstitiosum, non hic ad ciuitatem locus est⁵. Et quamuis etiam esset causa, non praetextus seditionum, religio difformis, haec non mutanda tamen inuitis est. Quoniam non cum tanta asperitate in subditos quaerenda quies est principi. Nec enim recusare is ista onera principatus habet. ‘ Amat uictoria curam⁶.’ Omnes alioqui religione mouentur, et Deos patrios, quos a maioribus acceperunt, colendos sibi diligenter et retinendos arbitrantur⁷. Et ita apud Isocratem, ‘ Religionem serua, quam a maioribus accepisti⁸.’ Et Symmachus pro idolis maiorum ad imperatores, ‘ Praestate, oro uos, ut ea, quae pueri suscepimus, senes posteris relinquamus⁹.’ Quid faceres? Et idololatria tamen cum ratione naturali pugnat aperte. sed est illis religio tamen¹⁰. Et nec descendit pugna, ut pertingat hominum iura. Est in religione summum hominis bonum¹¹. Et sic sibi statuit quisque in sua. Ecquid igitur religionem, summum bonum tollet uictor, ut quietius regnum obtineat? Dixi alicubi antea, quomodo in legum pugna teneatur illa quae fauet religioni. scilicet summa est ratio, quae pro religione facit¹². Dixi, eam teneri legem quae bonum

¹ Lact. 7. Inst. 2. ² Arist. 1. Top. 11. ³ I. 2. de iust. (D. 1. 1). ⁴ Lact. de Ira c. 8.
⁵ Plut. de Superst. ⁶ Catul. car. 62. u. 15. ⁷ Cic. Uerr. 5. ⁸ Isocr. ad Demon. ⁹ Symm. 10. Ep. 54.
¹⁰ Sot. 2. de Iu. q. 1. a. 3. ¹¹ Lact. 3. Inst. 10. ¹² I. 43. de relig. (D. 11. 7).

habet maius. Ubi de religione agitur, ibi de reliquis quoque agitur. et uitam profundere omnes pro religione uolunt¹. Quid igitur uitam eripit uictor his, quibus arma conseruarunt? Et lex curiae antestabit legi salutis? Recitat Philo, quemadmodum Syriae praeses de concillii sui sententia sic intellexerit, nihil in sacris nouare oportere. et sic ius naturae atque pietatis postulare². Iussus ille erat praeses a Caio statuam inferri templo Hierosolymitano. Recitat idem Philo orationem Agrippae regis ad Caium, quod Augustus, Tiberiusque, is quoque contra Pilati peruicaciam, aliique seruarunt isthaec religionis ibidem inuiolata, imo honorata. Peto (addit Agrippa) Iudaeis gratiam magnam, tibi, Caesar, innoxiam, ne patrii ritus contaminentur. An mouit istos in Aegypto, qui alias Aegyptum lacerauit, Alexander³? Quam illic uarii? quales? Pudendi et deridendi⁴. Sed ignoscendum fuit tamen, quando delectabant et tantopere pro eis laborabatur. In quo etiam si peccabatur, magis ineptiis quam improbitate peccabatur. Ut sic Cicero non hinc longe⁵. Quantae et quam immanes propter ritus hos uarios in Aegypto seditiones? Obstupescit satyra⁶. Sic Augustus et locum libertinis Iudaeis trans Tyberim, dedit uictimas, dedit sumptus. Sic Tiberius, quoadusque Seianus suspectos fecit eos imperatori: quos praecipue repugnaturus pessimis suis conatibus intelligebat. Utinam non uiuerent Seiani hodie. Inter crudelia Syllae et hoc reponitur, quod uexauerit patrios Atheniensium Deos⁷. Sed haec hactenus. Compescendae sunt seditiones aliis remediis ac poenis. Et potest uictor princeps uariisque incumbere modis absque multo sensu in eam mutationem. 'Primo taurus detrectat aratra: post uenit assuetus mollis ad arua iugo⁸.' Ecce tibi Constantinus sic nostram sanctam induxit: dum Christianis fauet magis: aliis aliter non nocet⁹. Christianam nostram per clandestinas machinationes tentabat Iulianus. Christianam nostram adfirmavit Theodosius: qui sumptus cultui ethnico subtraxit: nec eius abolitionem illico impetrare ualuerit a Romano senatu¹⁰. Uerissime. 'Qui uniuersam religionem uno tempore alicuius populi, uel uicti, mutare conabitur, mirabor, si per suas calamitates non experiatur,

¹ Phi. adu. Fla. ² Phi. de Legatio. ³ Cur. lib. 4. c. 7. ⁴ Cl. Al. ad Gen. ⁵ Cic. 13. Fam. 1.

⁶ Iuu. Sat. 15. u. 33. ⁷ Paus. lib. 9. c. 33. ⁸ Proper. 2. El. 3. ⁹ Ambr. aduer. Sym. ¹⁰ Suida.

‘quam sit periculosum repentina quaeque Dei cultus euersio¹.’ Hic non auscultem Cardano: qui, cito mutandam religionem. scribit. et nec ueteris mouetur Angli regis et Saxonis ducis exemplis: neque enim ille uniuersam, neque repente mutauit: et nec alter repente uniuersam². Quamquam neutrobi uel hodie mutata est religio uniuersa: si, quae in oculis incurrunt populi, manent omnia etiamnum integra quae erant. Non est haec repentina mutatio a natura. quae paulatim fit, ea a natura est; nec alterat. Sed audi politicum sophisma. Alaricus Romanos, quos armis subegerat, dicto audientes cernebat, unum moleste ferentes, obligari se legibus Gothorum³. Et eis igitur Romanas reddit: sed per interpretamenta aduersum sensus Romanarum trahebat has rursus ad Gothicas. Haec porro politicus uiderit, cuius nunc attingi fines. Politicus uiderit, si non sit satius, quamlibet religionem esse quam nullam, si nulla figitur illic religio, unde per uim alia expulsa est. Et dixi tamen qui ferendi non sunt. Forsitan nec ferenda schismata sunt: etsi (mirum) sectae ferri aliquae possint. Nam schisma est eadem opinari, eodemque ritu colere, quo ceteri, solo autem congregationis delectari discidio⁴. Secta et alia opinari et alio ritu colere. Ergo illa delectatio discidii non sit ferenda. Satis de religione. de qua tamen nec umquam satis.

Sermonem uictis immutarunt Romani, an ipsi sibi mutarunt uicti? Mutatio iniqua non est. Etsi Augustinus imperiosae hoc factum ciuitatis dicit⁵, quod forte interpretaberis habentis imperium: ut est apud Ciceronem ‘populi imperiosi:’ non ut Manlius dictus imperiosus et Manliana dicta imperia, pro acerbis et saeuis⁶. Quamquam et acerba et saeua non semper iniusta etiam sunt. Certe non est haec mutatio sermonis contra naturalem aequitatem. Nam a natura nec est, ut hoc magis quam illo sermone utamur. ut in quadam tradidi alibi disputatione. Acerba est mutatio: sed nec inutilis: sed alterum acerbum magis, sub domino esse alterius linguae. ut hoc in malis minuitur singulariter et saepe Deus⁷. Et contra itaque in bonis, ‘excunte a populo peregrini sermonis⁸.’ Et sermo iterum diuersus

¹ Nat. Co. 3. ² Card. 3. de Sap. ³ Cuiac. Ep. ad Ranco. ⁴ Aug. 20. con. Fau. ⁵ Aug. 19. de Ci. 7.

⁶ Cic. Orat. 34; Liu. lib. 7. c. 4.

⁷ Deut. 28; Isa. 28; Ier. 5; Ezech. 2.

⁸ Ps. 114.

et habitus concordiam haud parit¹. at 'linguarum diuersitas hominem 'alienat ab homine:' ut ait Augustinus. 'Ignara lingua commercia 'prohibet².' Sermone scilicet, animi interprete, subsistit hominum societas³. Diximus, quemadmodum ante inuentum sermonem semper belluarum more pugnarint homines. Adde scripta Philonis in libro De confusione linguarum. Etiam curanda omnis morum concordia: quae maxime omnium facit concordiam in ciuitate⁴. Et neque semper fieri id tamen potest; et itaque imperari nec a uictore debet. Scin', Aristotelem respondisse, ad mutationem morum Persiae necessariam mutationem caeli Persiae⁵? Uidelicet, ut ego existimo, non magis est difficile, nuda sub Septentriones corpora agere, quam exuere animi mores alibi, quos induit caelum alibi. Et ergo quae naturalia non sunt, ea tolli iure uictoriae possunt. Naturale ius non tollitur, quod potentius est omni iure principali⁶. Et naturale ius est instinctus naturae. qui itidem immutabilis. 'Naturam 'expellas furca, tamen usque recurret.' Subit autem animum hic meum cogitatio de eo quod Genuenses facere audio Sauonae corrumpendo eius urbis portui, an iustum sit. Et illicitum mihi uidetur, portus corrumpere. Deleri urbs potest et loco moueri: de quibus exposuimus. Sed obstruere portus nauigantibus et refugia in tempestatibus maris eripere: id uero contra ius hominum esse uidetur et gigantum more pugnare in repugnando et uim naturae inferendo⁷. Portus communes sunt⁸. Et itaque ex facto quaesitum et responsum est, eum qui testamentum condidit in portu terrae Saracenorum, intelligi testamentum condidisse in loco Christiano: quia portus communes sunt. Et illud improbare non possis tamen, quod Caletanus portus angustior de amplissimo factus dedita opera traditur, ut locus tutior esset aduersus classes⁹. Et recedere enim a iure naturali aliquantulum licet: atque hic tanto licet magis, quanto nec parauit natura iter, aut stationem, armis classibusque¹⁰. Et hic defensio est. quae semper licita est: et a natura etiam est. Atque ita a natura est, quod contra naturam est: sicut et punitio est a natura contra naturam

¹ Herodia. 4. ² Sall. Jug. ³ Phi. de Sp. Le. ⁴ Iose. 41. Bel. ⁵ Fic. 10. Ci. Ph. 31.

⁶ Bal. c. 1. qui fea. d. p. ⁷ Cic. de Senect. 2. ⁸ Ias. l. ius autem. de iu. et iu. (D. 1. 1).

⁹ Polyd. Angl. 1.

¹⁰ l. 6. de iu. et iu.

seruitus. Possunt fortassis et aliae esse causae, cur corrumpere liceat alia naturae et portus. Et fortassis sunt Genuensibus.

Etiam plura supersunt exempla: quae nec sunt omnia discutienda tamen, in quibus iustitia naturae laeditur: et ius propterea uictoris nullum exstat. Omnia sunt quae naturalem belli causam praebent. ut propter quae, naturali causa mouente, belligeratur, ea uictor suscipienda uictis non proponat. Nam si recepta tollerentur, magis non sunt recipienda¹. Et quod infirmari, uel infamari habet, utique habet praecaueri. Illicitum factum est, quod lex tolli iubet². 'Quod debet reuocari, non debet confirmari.' Qui prohibere alium facientem debet, ipse facere non debet³. Cum id genus plurimis. Mancat itaque haec definitio, ut nihil contra ius et rationem naturae uictor iniungat. 'Non audet lex, quod ratio negat naturalis⁴.' Et, ciuilis quoque sit, necesse est, quod est gentium et naturae⁵. Et turpe nihil in quantalibet potestate admitti potest⁶. 'Quae facta laedunt pietatem, existimationem, uerecundiam, et, ut generaliter dixerim, contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse, credendum est⁷.' Hoc est ius commendatum nobis honestatis: quod ab omni potestatis excellentia censetur sepositum⁸. Dico ego honestatem, quae non tam ciuilis est iuris quam naturalis. haec enim uere, proprieque et simpliciter est honestas et immutabilis. Contra naturalem hanc honestatem erat, quod Atepomarus Gallus Romanas sibi prostitui matronas exigeret: aut se bello finem non facturum minitabatur⁹. Unde iuste deceptum putes forte. Pariter in casu pari deceptique Sardiniani a Smirnaeis iuste: de quibus Plutarchus. Impossibilia sunt, quorum contraria sunt necessaria¹⁰. Et necessaria sunt ius diuinum et naturae. ideo est impossibilis constitutio principis, ut quisque adulterari in rebelles possit. Et id genus alia de quibus Baldus alicubi sic exponit. At uero quae ciuitatum legibus et moribus stant solis ea sine dubio (ait Baldus) mutari pro libitu a uictore ualent. Scilicet quae non iure naturae aut gentium fieri prohibentur, sed iure legum, rei alicui

¹ c. 1. de se. non or. Bal. l. 1. de no. op. nu. (D. 39. 1).

² l. 11. de leg. 3. (D. 32); Dec. cons. 144. ³ l. 15. si ser. ui. (D. 8. 5); Rom. cons. 251.

⁴ Bal. l. 1. de u. e. r. q. u. c. (D. 7. 5).

⁵ Cic. 3. de Off. 5.

⁶ Menoch. de Arb. q. 7.

⁷ l. 15. de con. ins. (D. 28. 7). ⁸ Bal. l. 11. C. de op. lib. (6. 3); Dec. l. 157. de reg. iu. (D. 50. 17).

⁹ Plut. de Cl. Mul.

¹⁰ Bal. l. 1. de const. pri. (D. 1. 3).

medendae, aut temporis causa, ea, si liceret facere, uelle, non est inhonestum. contra est de his quae facere, inhonestum per se est: haec enim uelle, etiam si leges non uentent, semper inhonestum est¹. Atque sic auctores alii et interpretes nostri iuris. Adulterium est natura probrum. Ciuilliter et more quodam ciuitatis, honesta atque inhonesta sunt, quae sic censentur ex institutis maiorum, eadem non sunt ubique omnibus². Non itaque Lydis uictis iniuste iniunctum a Cyro, ut, abiectis armis, uacarent chorcis, ludicris, lenociniis et comessionibus et ut uirilem habitum in molliorem mutarent³. Qui iussus et arcanum imperii habuit. Ut uacarent lenociniis et ut mutarent uiri uirilem habitum in foemineum: id iuberi non potest. quia natura id turpe est: ut latissime in disputatione quadam expono. Alia uestium mutatio licita. in tantum enim a natura non est hic habitus, aut ille, ut nihil fiat frequentius quam mutatio isthaec⁴. Eadem et Xerxis iussa Babyloiniis: et hoc amplius, ut libidinibus uacarent. quod iniustius.

Arma uictis adimi posse, non dubium est: et adempta sunt saepissime. Cato ademit Hispanis: qui nec uitam sine armis censebant tamen⁵. Sed quid faceres? 'Hispanorum inquieta auidaque in res nouas ingenia. Gens nata instaurandis reparandisque bellis: ferox, bellicosa fera, barbari temerarii.' ut censebat, qui nec fidebat eis propterea, Annibal, ille eorumdem alumnus affinisque⁶. Consciuerunt sibi mortem multi ademptis a Catone armis. Quid tum? Illi in Gallia iustius poenam istam deprecabantur, quod sibi finitimi omnes essent inimici a quibus se defendere armis exuti non possent⁷. Et est huic casui prospiciendum, nam iniustum fuerit, hos sic tradere interficiendos. Etiam Hispanis arma relinquenda fuissent, si relinqui sine periculo potuissent. 'Curandum in primis, ne magna iniuria fiat fortibus et miseris. tollas licet omne quod usquam est auri atque argenti, scutum, gladiumque relin- quas, et iacula et galcam⁸.' Ita sane, sed qui iuri consulit suo, nulli nullam facit iniuriam. Fuit et mos cremandi arma deuictorum: qui nec damnentur: siue a religione fuerit, siue ab alia causa⁹. Etiam populus

¹ Gell. lib. 7. c. 3; Liu. 34; l. 42. de U. S. (D. 50. 16). ² Iust. Ma. Ap. 1; Cor. Ne. proec.; Plut. Them.; Duar. l. 1. de pa. (D. 2. 14). ³ Herodot. lib. 1. c. 155; Plut. Dic. Reg.; Iusti. lib. 1. c. 7.

⁴ Tertull. de Pall. ⁵ Liu. lib. 34. c. 17. ⁶ Liu. 22. 24. 34. ⁷ Caes. 2. Gall. 31.

⁸ Iuu. Sat. 8. u. 121.

⁹ Flor. lib. 4. c. 12.

Romanus saepe uictis iussit, ne bellum post facerent suo iniussu. Et intellexit de bello omni, etiam defensionis. Sed iniustus proculdubio iussus esset de necessaria et quae moras non patitur.

CAP. XII.

Si utile cum honesto pugnet.

AT notemus quaestionem hic generaliter, si utilitatem magis, uel honestatem, sequi noster debeat uictor: quum alio trahit honestas, alio illum impellit utilitas. Id quaero salua iustitia: de qua hactenus disputauimus. Uersutia Punica, calliditas Graeca dictum dare uerba hosti: ut audimus Romae seniores obicere Martio Philippo¹. Et ea astutia utilis magis quam honesta iudicata. Et sic erat salua iustitia: de qua quaero. Ea utilitas tum potiori curae plerisque quam honestas fuit. Honestas est mollis compositaque morositas². Quemadmodum uero non tracto de utili quod a iusto sepositum sit; uel quia nec possit (ut Socrates dicebat et disserit Cicero) seponi; uel quia sepositum damnat prorsus interpretis iuris: ita nec disputo, si aliud ab honesto potest esse utile. quod idem Cicero facit et negat in libris De officiis³. Et idem Periander, aliique, utile a decore numquam discrepare⁴. Uerum hoc ego pinguius pro iurisconsultorum more expono. et inter illa distinguo: ut distinguit etiam nec semel Aristoteles et ipse aliquando Cicero, aliique⁵. Et pontifex Romanus Innocentius in tractatu de uoto, quid liceat secundum aequitatem, quid deceat secundum honestatem, quid expediat secundum utilitatem, ad considerandum proponit⁶. Quod et nos uolumus. intelligentes cum Bartolo aequitatem, quae facti quaedam conuenientia est, non ius aliquod scriptum, aut aliqua regula et aliquis rigor⁷. Ut sic semper procedat disputatio cum iustitia. Censeo autem, aequitatem stricto iuri, honestatem utilitati anteponendam. Et de aequitate quidem sic est iurisconsultis

¹ Liu. lib. 42. c. 47. ² Arist. 2. Rh. 13. ³ Cic. de Off. lib. 3. c. 4. ⁴ Aus. Se. Sap. (No. 312).

⁵ Arist. 1. Eth. et 8. Polit.; Cic. 14. Att. 7, et Orat. pro Marc.

⁶ c. 8. de uo.

⁷ Bar. l. 1. C. de legi. (1. 14).

expeditissimum. Etiam honestas ante utilitatem notata Innocentio est. Et Collatinum honestiora suadentem probarunt Romani seculo illo sanctiori, magis quam Brutum qui suadebat utiliora¹. Summum item summorum praeceptorum iuris est honestas. Et imperia nec sunt ad utilitatem constituta, sed ad utilitatem communem². ‘Tutela humani generis ‘propria definitio principatus.’ Et sic definitur ab Aristotele honestum, quod respicit communem usum: et sic bonum a Baldo³. Ergo principisque fuerit, honestatem sequi magis: quia priuatum usum tyrannus sequitur scilicet. Atque sic Euripides igitur hic, ‘Non oportet, uictores ‘imperare quae non decet.’ et de matre ab Orete caesa, ‘Iuste factum ‘sed non pulchre⁴.’ Huc et ducatur Ciceronis sententia nobilis, non decere eundem populum imperatorem et portitorem esse terrarum. quod est generaliter, non debere portitorum more populum illum consecrari utilitatem, qui principis, uiri multo honestioris, nomen consecrari et consequi uelit⁵. ‘Tu me mercatorem, Deus uoluit esse imperatorem:’ ait Theophilus uxori indignatus, nauticam exercenti⁶. Tanti est honestas, ut antestet quidem licito: etiam et cum aliqua iniquitate accuretur⁷. Honestatis causa remittendum ait Augustinus et quod licitum et quod commodum parti foret: definitque honestum, quod habet usum opportunum: non honestum, quod usum non habet opportunum⁸. Et exemplis explicat. Quod affert causam peccandi, id usum habet non opportunum: ut ille ait. Nos hic dicamus exemplum in eo quod Iudaei caesi sunt, qui Aquilam Romanam ferre supra templi fores non paterentur⁹. Nam etsi Romani uictores illud potuerint iure facere, nec ex aequitate tamen debuerunt, nec ex honestate facere, etsi etiam utile. Antiochus neque in adyta templi uoluit penetrare: et ipsi Romani eaque templi septa sibi interclusurunt. Et haec tamen adire et illas inferre imagines in deuictis terris licere uictoribus et commodare posse, nemo non credit. Commodum uictori est, subactorum rem nullam inscrutatam relinquere. Et sic uetitae con-

¹ Diony. lib. 5. 11; Liu. lib. 2. c. 2.
Alic. 8. Pare. 15.

² 1. C. de off. p. p. A. (1. 27); Cuiac. c. 4. de Ca. Ut.

³ Arist. 2. Rh. 13; B. l. 32. de legi. (D. 1. 3).

⁴ Eur. Hec., Orest.

⁵ Cic. 4. de Rep. ⁶ Zon. lib. 15. c. 25. ⁷ l. 144. de reg. iu. (D. 50. 17); Chass. 5. Ca. 28. 35.

⁸ c. 9. 28. q. 1.

⁹ Iose. 18. Antiq., et 2. Bel.

uenticulae¹. Commodum item uictori est, uictoriae monumenta exstare ad gloriam, adque testificationem principatus²: et sic passim factum semper. Sed haec tamen inopportuna: quae concire illic rebellionem potuerunt inque Deum, inque homines. Item et licitum erat et commodum Romanis aduersus eiusdem contumaciam gentis, habere in Iudaea custodes et omnem Iudaeum illic apprehensum necare: ut hoc habet in prima apologia Iustinus Martyr. Uerum ego honestum neque id dixero quod est crudele. Utellius et hoc annuit Iudaeis, ut per eam terram non iter faceret cum imaginibus³. Maiores nostri, inquit Cicero, relinquere haec, quae iucunda uictis, nobis leuia uidebantur: ut haberent oblectamenta aliqua et solatia seruitutis⁴. Et sic pro honestate supra utilitatem Ciceronis eiusdem disputatio firmat in libris De officiis. Etiam lex inquit, nec sequi oportere quod sit durum, etiamsi est quoque utile ac dignum⁵. Et interpretes iterum, intelligi dolum illic ubi commodum, id est utile, praefertur honori⁶. Etiam et honorem publicum sic praeferrī commodo publico. Sic igitur, sic. 'Nec tibi, quid liceat, sed quid fecisse decebit, occurrat: mentemque domet respectus honesti⁷.' Suscipit tamen limitationem definitio in ea utilitate, quae spreto periculum salutis habet. Si periculum adsit uel corporum, uel fortunarum, honestati huic, de qua agimus, utilitatem praefereamus. Agimus de honestate, qua relicta non laeditur iustitia. Sine iustitia quod est, nec licitum ex quantacunque utilitate est. Et sic ergo capio Ambrosium, qui sic loquitur: et alii sic loquuntur: honestati salutemque postponendam: ut id sit de salute per iniustitiam non quaerenda⁸. Alioqui utilitati parent omnia et leges⁹. Et 'salus populi suprema lex.' Et ille apud Iosephum sic recte, utile anteponendum¹⁰. Et Lentulus in senatu Romano, solam in bello spectari utilitatem¹¹. Et idem senatus, insanorum esse, decore magis quam saluti consulare¹². Et tamen uidetur, casusque esse posse, quum et iniquitas toleretur propter utilitatem. Non dixi, tolerari propter honorem? Et

¹ Alc. 5. cons. 107.⁴ Cic. Uerr. 4.² Chass. Cat. p. 1. 13. 16, concl. 38. consid.⁵ l. 22. de iu. fi. (D. 49. 14).³ Zon. lib. 6. c. 6.⁶ Chass. 5. Cat. 26.⁷ Claud. 4. Co. Ho. u. 267.⁸ Ambr. 3. de Off. 5; Duar. 1. Disp. 11.⁹ Chass. ult. Cat. 98.¹⁰ Iose. 3. Bel.¹¹ App. Puni. 62.¹² Dionys. 6.

ecce Brutus, qui nec incolumitatem absque honesto uolebat, quum dirptioni urbes quasdam dedisset et unum hoc crimen in actionibus eius notaretur, excusatur a Plutarcho, quod quasi in naufraga nauis necesse sic fuerit¹. Iusta et inuitabilis necessitas facit licitum². Et Polybius, 'Mihi uidetur, bonos uiros atque praestantes nihil pluris facere debere, quam ut necubi officium praetermittatur. uenia tamen dari potuisset, si timore iusto ob propinquitatem regionis Acarnanes statim soli bellum non mouissent Aetolis cum foederatis reliquis. alioqui Acarnanes praeter caeteros Graecos praestare officium soliti³'. Tolerari haec et ueniam mereri dicimus: non iusta esse. 'Si fas est dicere, iusti ratio periculo post habenda:' sic Belisarius optimus et uir et imperator⁴. Et eo haec tolerabilia, quo isti quibus contingit ita agere magis dediti iustitiae sunt. ut de Acarnanibus et de Bruto audis: constat enim, hos non iniustitia duci, sed respectu rapi salutis et summae utilitatis. Sic Caesar, cum suam lenitatem cognitam omnibus sciret, neque uereretur ne quid crudelitate naturae uideretur asperius fecisse, neque exitum consiliorum suorum animaduerteret, in deditos aliquando saeuit⁵. Quum et in modico laeditur iustitia, tanto est excusator qui magnum sectatur commodum. Eum et laudari audimus⁶. At ego uolo tantum excusari. Quae dimidia iustitia est. Integra iustitia est quae honestatem rebus omnibus anteponit: quod Aristoteles scribit.

CAP. XIII.

De pace futura constituenda.

DIXIMUS autem iam satis de his quae facere uictor possit ulciscendo praeterita. Sed et de multis quae apta futuro sunt: atque de istis dicendum adhuc est explicatius aliquid. Duas uidelicet res praestare ultio solet, iniuriae solatium et in reliquum securitatem⁷. Et ita continet etiam uindictam in se: nam tradunt grammatici, ultionem esse praeteri-

¹ Plut. Bru. ² Iusti. Ed. 8. c. 3. ³ Polyb. lib. 4. c. 30. ⁴ Procop. 2. Uand. ⁵ Caes. 8. Gall. 44.

⁶ Arist. 3. Eth.

⁷ Sen. 1. de Cle. 21.

torum; et itaque Martem ultorem nominari: uindictam, siue uindicationem, futura prohibere¹. Est uero in parte hac, sicut in altera, uictorius arbitrium, quod cuncta disponit. Unde Alexander Dario, leges a uictoribus dici, accipi a uictis². Et rex Romanus in pacis condicionibus definiendis uictos secum disceptari non patitur, sed se totius arbitrum foederis alicubi fert apud Dionysium³. Et consul apud Liuium, 'uictis condiciones accipiendas esse, non ferendas.' et Annibal uictus ipse, 'est quidem eius qui dat, non qui petit, condiciones pacis dicere.' Item Philippus, 'eius esse priorem orationem qui daret leges pacis, non acciperet.' Et idem quod antea rex Romanus et consul, postea Christianis Persarum rex. Uetustum autem hunc Romanorum morem testantur, ut cum quibus foedere non aequis legibus amicitiae iungerentur, non prius in eos imperio, tamquam pacatos, uti, quam omnia diuina humanaque dedissent, obsides accepti, arma adempta, praesidia imposita forent⁴. Hoc itaque nobis constitutum sit.

Sequitur uero, ut eam det pacem uictor, quae esse perpetua ualet. Illa siquidem est pacis natura, ut sit perpetua. Et sic formula, 'Romanis et Latinorum populis pax esto, dum coelum et terra stationem eandem obtinent⁵,' quam et alii populi usurpant⁶. Et pacem sine termino sic faciunt imperator Romanus et Persa rex apud Procopium⁷. Et ergo erit uictor iniustus, qui pacem nec pacem tribuit: id est eam quae durare non queat, pax esse nequeat. Sed quid pacem facere perpetuam potest? Respondet Augustinus, 'praeterita uindicando iram passimus, misericordes si simus, in futurum consulimus⁸.' Et Epictetus, quod pax sit tranquilla libertas. Una igitur tantum occurrit ratio solida, aequitas, quae seruata in ultione sit et seruetur modo in uindicatione et in futuri condicionibus edicendis. Nam laesus supra meritum non fuerit tranquillus: ast concupiscet uindictam semper; et legibus oppressus immiseri cordibus durabit sub onere tantisper dum obtemperandi cesset necessitas. 'Eam pacem' (inquit magnus historicus) 'necessitas imposuit, atque iccirco non perpetuam⁹.' Quicquid scilicet necessitate fit, non

¹ Cor. Fron. ² Cur. lib. 4. c. 5. ³ Dionys. 3; Liu. 4. 30. 32; P. Aemil. 4. ⁴ Liu. lib. 28. c. 34.

⁵ Dionys. 6. ⁶ Herodot. lib. 4. c. 201. ⁷ Procop. 1. Pers. 22. ⁸ Aug. Ep. 202. ⁹ P. Aemil. 1.

durat, at soluitur cito¹: quod legatiue Romani aiunt apud Dionysium, et alii alibi: et ipse docet naturalis intellectus: et magistra rerum omnium experientia monstrat. Et sic Priuernatium legatus respondit audenter, quoniam sic iustum esset liquido: seruatueros suos pacem Romanis perpetuam, si aequam accepissent: non alias, nisi et uires rebellandi deessent². Pax firma futura, si paritas undequaque foret: ait Epaminondas³. 'Prima scilicet pars acquitatis aequalitas:' quod Seneca⁴. Et tu cape de geometrica aequalitate: quae non in re aequalis, ut arithmetica; sed in personis, tribuens pro cuiusque condicione et merito. Haec iustitia dicitur Ambrosio, acquitatem communem custodire et propter eam negligere etiam utilitatem propriam: et quod nequidquam sit iudicandum utile, quod in commune non prosit⁵. Ut igitur quaestio sit, an aequum sit quod ei qui plus potest utile sit: et haec quoque definitio est, non esse aequum⁶. Quod idem Cicero in libris De Officiis, hoc est, in suo proprio loco, docet late. Ut quid dixerit in Topicis nec quidquam faciendum sit. Quae porro haec sit, quam quaerimus, aequitas: cum ex supradictis multis patet: tum ex facto uidentur fuerit. Alia enim atque alia danda pax est, prout alii uicti, atque alii: alii, atque alii uictores erunt. De quibus constitui generaliter nihil potest. Idem uidentur et de accessionibus, quae comitari personas solent: quaeque non minus considerari, quam personae ipsae consueuerunt. At omnia tamen referri posse uidentur ad illam utilitatem communem; quam sic uineulum maximum dixit Annibal uere, et ante illum Demosthenes, quamque pacis finem non dicimus⁷. Captus ab Alexandro Porus, in India rex nobilissimus, et interrogatus, quid uellet Alexandrum cum eo agere, ut se regie tractaret, respondit: et rogatus, quid praeterca? in eo uno regalis tractationis esse omnia, retulit⁸. Omnia in actione oratori esse Demosthenes adfirmavit. In uno aliquo esse omnia, cernimus saepe. Atque ita nos in communi commodo ponimus omnia: quod est, si uictis, non minus quam uictoribus, expedit seruare pacem. Si quid extra induci solet, quo firmetur pax, id, quicquid erit,

¹ c. 27. de cons. di. 5; Dionys. 8.⁵ Ambr. 1. de Off. 24, 3. co. 4.² Liu. lib. 8. c. 21.⁶ Cic. Top.³ Plut. Ages.⁷ Liu. lib. 36 c. 7; Dem. ad Ep. Phi.⁴ Sen. Ep. 30.⁸ Iou. 11. 16. 18.

infirmius uideris uinculum, quam ut male materiata obligare ac continere amicitiam possit. Receptum namque est omnibus, debere se aptare praesentibus occasionibus et prudenti adulatione sequi inconstantiam rerum: quasi sit deliberationum omnium auctor potentissimus commodum. itaque foedera inire noua, relinquere priora, omnimodo augere imperium et potentiam uolunt. Ferdinandus rex, qui uocitatus Catholicus, cunctas belli rationes, foederumque iura 'uel cum pudenda mutatae fidei labe et graui 'sociorum iniuria' ad commodum suum referre solitus. principum amicitiam semper priuatis commodis suis aperte metitus est¹. Et nec dissimilia tradita sunt de Ludouico Galliarum. De quo Christianissimo et altero illo Catholico haec quoque scriptor, 'Ex horum regum ingeniis liquido 'compertum, nihil omnino sanctum, uel rite conceptis foederibus reperiri, 'quod in augendis opibus fide integra, doloue nolint.' Et idem auctor alio loco, 'Ea regum omnium fides, ut pro libidine sanctissimas foederum 'leges attractare uiolareque non dubitent: quum semel praesenti tantum 'commodo, atque ipsis temporibus seruicendum esse censuerint.' Occasionem ualere satis, ut sine iustitia conficiatur quod expedit, dixit Hyperrides; et uix est ullus qui factis non laudet².

Age. Quid affinitas? Duarenus elegantissime, quod ut comediae, ita belli cuiusque grauissimi exitum esse aliquod cernimus matrimonium³. Sed quid? Neque hic ego dixerim de his qui pro opibus plures uxores habent: apud quos (ut sic de Numidis Sallustius⁴) leuis ista ducitur necessitudo, quod animus multitudine distractus, nullam pro socia obtinent: pariter omnes uiles sunt. De Christianis noto et iustis nuptiis. Firmum uero uinculum et hic et non Christiani aiunt⁵. 'Inuiolabile pignus,' ait Uirgilius⁶. Et nemo nescit tamen, quantum et Christiani principes faciant has adfinitatum obligationes⁷. Nec enim quod est debilius, id constringet appetitum regnandi uehementiorem et libertatis: propter quae rupta haec toties foedera adfinitatis et alii narrant et nos scimus⁸. Cupiditas uel necessitate potentior est⁹. Et Tacitus hic, 'Quae apud concordēs uincula caritatis,

¹ Jou. II. 16. 18.⁵ Herodot. I.² Hyp. de Foe. Alex.⁶ Uirg. II. ubi Seru.³ Duar. c. 3. de ri. nu.⁷ Guicc. 16.⁴ Sall. Iug.⁸ Sen. 6. de Benef. 3.⁹ Plat. Craty. (p. 403).

'incitamenta sunt irarum apud infensos.' Et philosophus apud Dionem generaliter, 'Quicumque potentiam affectant, cætera omnia cupiditati suae postponunt: ita ut amicissimos etiam genereque proximos inimicissimorum loco habeant¹.' Et ipse Dio, de Caesare et Pompeio, 'Id uinculum consanguinitatis, quo eos natura adstrinxerat, inexcussibili domnandi cupiditate tunc dissoluere, diuulsere, dirupere et summam necessitudinem pristinam simul omnem.' Ridiculum, ut morte Iuliae solutum uinculum eius amicitiae, aut coniurationis potius, ut dicebat Cato, existerit. Rectius addunt, sublatum Crassi morte. Rectissime adfirmamus nos, tum extinctum omnem fucum pristinum, quum robore ualidum se sentiret Caesar et illi iam inuidere plurimum Pompeius incoepisset.

Quid iuramenta? Et haec semper sunt in sancendis foederibus. Atque iniquiunt plures pignus esse firmissimum, summum, maximum, apud homines obligationem et contestationem obtinere: et certum, obtinere oportere: et solere apud quasdam gentes obtinere, etiam scimus²: ac de Germanis obseruantissimis iurisiurandi singulariter traditur hodie³. Hodie, inquam ego: nam olim alii fuisse uidentur, ut suique fratres Franci: quibus familiare ridendo fidem frangere⁴. Et forte Franci iidem qui Germani, certe ex Germania⁵. Hos uulgus sequitur. Et forte igitur uerumque uulgo, iuramentum esse pignus deterrimum eorum quae domi sunt pignora⁶. Et igitur Augustus, 'Quae sponte fiunt, ea etiam citra iurisiurandi uinculum obseruantur: at quae fiunt ingratiis, non, si millicis iurata sunt, praestantur⁷.' Scilicet, ut Scytha respondit Alexandro, 'qui homines non reuerentur, fallunt Deos:' et cætera contra Graecos: contra quos et alii de ista infidelitate; et contra Gallos et contra alios⁸. Et sunt quoque exceptiones uulgares paratae semper: quibus iuramenti cuiuslibet eleuentur uires. At singula quid prosequimur? Uecordem eum esse necesse est, qui, cum tantas mutationes fieri uideat et ciuitates neque inimicitiarum, neque iurisiurandi, neque ullius rei alterius rationem ducere, nisi si quid sibi profuturum putent, etiam nunc idem esse, non

¹ Dio 38. 41.⁴ Uop. Procul.² c. 1. 22. q. 1; Polyb. 9; Procop. 2. Pers.⁵ Hier. Hilar. et Hot. de Feu. c. ult.⁷ Dio 54; Cur. 8.³ Nat. Co. 3.⁶ Alu. Quae Si. Reg.⁸ Polyb. 2. 3.

cogitet. Quae Isocrates¹. Liberatio Francisci primi solenniter facta, iurata, firmata, adfinitate, obsidatu filiorum. nec tamen seruantur promissa². Et hoc erratum graue est, considerare, quid fieri oporteat, non, quid is faciet homo, qui facere habet: non, quod principes soliti utilitatem fidei antepone: non, quod mos omnium est principum, utilitati honestatem postponere: non, quod nulla ita efficax est cautio, quin id non urgeat magis, ne hostis adeo magnus cuadat, ut opprimere nos, si uclit, ualeat³. Quae uiri prudentes apud historicum prudentissimum disserunt: et notantur ab aliis qui de sapientia tradunt⁴. Nostri autem docent in uniuersum, cautionem omnem fragilem esse: cum ceteris similibus pluribus⁵. Certumque et exploratum illud est, cogi in obsequium uoluntatem non posse⁶. Et perpetuo uerum, quod scribit Tacitus, in uictores uictosque numquam solidam coalescere fidem⁷. ‘Quos uiceris, amicos tibi esse, caue credas. inter dominum et seruum nulla amicitia est:’ ille idem ait supradictus Scythae. Et itaque internum manet inter uictos et uictores bellum aeternum: dum potentiores timentur et inuidentur: quod Caesar apud Dionem⁸. Apud quem scriptorem prudentissimum et hoc legis, res duas istas, timorem et inuidiam, esse, quae amicitias dissoluant. Et apud alium aequae praestantem, quidam Carolo quinto, quod post suspensiones odium et post odium offensiones sequuntur naturaliter⁹. ‘Hoc natura est insitum, ut quem timueris, quicum de uita fortunisque contemderis, cuius ex insidiis cuaseris, hunc semper oderis¹⁰.’ Et uulgatum Ennii, ‘Quem metuunt oderunt.’ Et ex his igitur, aliisque plurimis, quae dici possunt, sic patet, uel esse supradictam aequitatem et utilitatem communem sectandam: uel ad alterum quasi extremum abeundum, salubreque (sic quidam Romanus papa¹¹) remedium ueniendum, ut, quando uoluntas auferri mala non potest, faciendi male facultas auferatur. ‘Ut in eo spem non moturos quicumque Etruscos ponerit, si ne quicumque mouere possent, praecauisset:’ monet ille apud Liuium¹². Media hic consilia plerunque inepta sane¹³. Testatur pax Romanis apud Caudium a

¹ Isocr. Or. ad Phil. ² Guicc. 17. ³ Guicc. 6. ⁴ Card. 3. de Sap. ⁵ l. 19. com. (D. 13. 6); l. 31. de act. em. (D. 19. 1); l. 66 ad Tre. (D. 36. 1). ⁶ Dio 48. 55. ⁷ Tac. 2. Hist. 7.

⁸ Cur. lib. 7. c. 8. ⁹ Dio 38. 39. ¹⁰ Guicc. 17. ¹¹ Cic. pro Syl. 39. ¹² c. 1. de poenit.

¹³ Liu. lib. 27. c. 24.

¹⁴ Card. 3. de Sap.

Samnitibus. Testatur illa liberatio Francisci primi, et quicquid consilia media tenuit. Sic ergo Lentulus contra Carthaginienses, 'Quoniam perfidiam non possumus tollere, ante omnia debilem potentiam¹.' Et Cato Hispanis, 'Id ne fiat, uno modo cauere potest, si effectum erit ne possitis rebellare².' Et sic noster Baldus, quod nec amico reconciliato debet tribuere, ut possit, si uelit, offendere³. Et neque ex praesenti facultas haec est metienda, sed et ex futuro, coque longissimo: ut censet Demosthenes recte⁴. Etsi enim non solemus timere longe post futura: timere tamen debemus: debent certe principes⁵. Statim non fidendum inimico reconciliato, aiunt⁶. Sed inimici sunt, qui habent causam inimicitiae, etsi contrarium ostendant⁷. Et igitur frangantur uicti uires. timor etiam addatur, si quid aut sic audeat mouere. Ut haec duo sunt, fragilitatis conscientia et poenae timor, ex quibus omnia fere iura humanitatis oriuntur, quibus inter nos cohaeremus. quod Lactantius⁸. Ea disceptatur de re apud philosophos, si timeri expediat magis quam amari: atque stultum aliqui dicunt et tota uia erroneum, amari magis confidere⁹. Sed et qui defendunt, aptius nihil esse quam diligere, nihil alienius quam timeri: hi tamen docent, quemadmodum iis qui ui oppressos imperio coercent sit sane adhibenda saeuitia, ut heris in famulos, si aliter teneri non possunt¹⁰. Atque hic si sibi cauet uictor, ne quid uoluntati uicti relinquant, accusari non potest iuste. Etiam inanis timor probatur, in eo quod ab aliena uoluntate pendet¹¹. 'Suspecta semper potentia: dum uelle creditur, quod posse iudicatur¹².' Merito nam scribit Aristoteles, facere homines magna ex parte iniuriam, quando possunt. Et omnium igitur suspecta potestas: et quanto igitur magis hostis uicti? 'Omnia' (inquit M. Tullius) 'sunt incerta, cum a iure discessum est. nec praestari quidquam potest, quale futurum sit, quod positum est in alterius uoluntate, ne dicam, libidine¹³.' Adde illa eiusdem, 'Non faciemus, inquit. Primum nescio: deinde timeo: postremo non committam, ut uestro beneficio potius quam

¹ App. Puni. 62. ² Liu. lib. 34. c. 17. ³ Bal. 2. cons. 195. ⁴ Dem. pro Megalop.

⁵ l. 2. ne q. i. l. p. (D. 43. 8); l. 1. de rip. mu. (D. 43. 15); Arist. 2. Rh. 5.

⁶ Alc. 5. cons. 132.

⁷ Inn. c. 22 de re iud.; Bal. 5. cons. 41.

⁸ Lact. de Op. c. 4.

⁹ Card. 3. de Sap.

¹⁰ Cic. 2. de Off. 7; Com. 4.

¹¹ Ang. l. 4. ad Treb. (D. 36. 1).

¹² Cassio. 3. Ua. 36; Arist. 2. Rh.

¹³ Cic. 9. Fam. 16.

‘nostro consilio salui esse possimus¹.’ Non prudenter, ut eleganter? Et Iphicrates non etiam acute, Lacedaemoniis pollicentibus omnem fidem et securitatem, non alia fide, respondit, se posse adquiescere, quam si probarent, se, etiam si uellent, nocere non posse². Etiam illa Cardani aduocauerim huc, dicentis uel causam belli licitam, ‘si periculum est ab hoste, ita ut cogaris fidei suae salutem tuam committere. ut enim optimus sit princeps, malus ei succedere potest: ideo cum non nisi iustus legibus recte uiuere et beate liceat, curandum est, ne uicinis armis impediamur³.’ Sic et in futurum (ut dixi) prospicitur et aduersum successores. Timori et malo prospicitur, quod esse potest ab animo hostili. ‘Nam quis unquam mortalium iuxta uiperam securos somnos capit? quae etsi non percutiat, certe sollicitat. Securius igitur est, perire non posse, quam iuxta periculum non periisse⁴.’ Et igitur audi P. Syrum, ‘Ita crede amico, ne sit inimico locus,’ etiam humili: nam ‘etiam capillus unus habet umbram suam.’ Age, et quando plus cautionis in re est, quam in persona; age uictor, impone uictis praesidia⁵: quae hos humiles efficere et maxime subiectos solent⁶. Posce obsides: et qui uicto sunt cariiores: siue hi uiri sunt, siue foeminae. Foeminaeque datae regi Por-senae: acceptae, Augusto: qui, negligi marium pignora sentiebat⁷. Et nulla est ratio, cur peti obsides nequeant mulieres. An tu contrarium putas? Illud est certum, cariiores eos esse, qui libertati afferendae et regno tuendo sunt aptiores. Nam ius hoc libertatis et regni quauis est caritate et cupiditate potentius⁸. Et uisum in Francisco primo: qui optione accepta, an traderet nobiles quosdam duces Carolo quinto obsides, an filium, maluit istum. Uerum ad fines politici accedimus per huiusmodi tractationem et a nostris discedimus: et sapientiam istam humanam cum Cardano tradere uelle uidemur. Ille id tradit, quomodo sine seditione retineri possint quae bello parta sunt⁹. Nos de naturali sapientia quaerimus: quae docet, quid fieri iuste ualeat. Et nostram ergo disceptationem sic concludamus, licere uictori, iure naturae saluo, omnia facere quae stabilem sibi uictoriam et iustam sibi uictoque ualeant

¹ Cic. 1. Agr. 5. ² Demo. adu. Arist. ³ Card. Enco. Nero. ⁴ Hier. Ep. 47. ⁵ l. 25. de reg. iu. (D. 50. 17). ⁶ Nep. 7. Cyrop. ⁷ Liu. lib. 2. c. 13. ⁸ Guicc. 11. ⁹ Carl. 3. de Sap.

pacem. Omnia in manu sunt uictoris: his exceptis, quae a iure gentium manant¹. De cautionibus omnia in arbitrio sunt iudicis: qui hic uictor est²: et qui ex qualitate personarum, periculi et locorum habet statuere, quae caueant et quae non caueant cautiones. Id fatentur nostri omnes et dici obseruatam moderationem, etiam si sit uentum ad maximum et extremum remedium, si uisum bonum nullum aliud sit. Et haec Alciatus. Et hactenus ad priorem partem de pace: quam uictis uictores constituunt.

CAP. XIV.

De iure conueniendi.

ALTERA est pars de bello componendo ab utroque belligerante. Nam aut uictoria detrahuntur arma, aut condicione ponuntur, aut defatigatione etiam abiiciuntur³. Et hoc postremum non habet ullam pacem. 'Bellum magis desierat, quam pax coeperat.' Tacitus diceret⁴. Et M. Tullius, 'Summum otium, sed senescentis magis ciuitatis, quam adquiescentis⁵.' Sic saepius (non dubium) desierint Romanis bella cum Germanis, Lusitanis, Parthis. 'Eo modo' (fugato Pacoro, eiusque exercitu caeso a Casio) 'bellum Romanorum contra Parthos, quarto, quam incoeperat, anno desiiit.' Dio⁶. De iure autem uictoriae dictum est. At de iure conueniendi quid dicemus, si uoluntatis sunt omnes conuentiones? Illud uide licet, quod ubique obtinet, agendum ita ut perpetua pacis conuentio esse possit. Quod pulchre Baldus respondit, ut tranquillitatis perseuerantia quaeratur, ne recidiuis iniuriis iterum ueniatur ad arma⁷. Trutinanda omnia, quoniam quae in morbis relinquuntur post crism, ea subuersionem facere consueuerunt. De medicis Baldus, medici filius⁸: qui, quod humoresque a putrefactis tacti et cineres putrefactorum relictis facile accendantur, aiunt; etiam defendunt, eundem esse reciduum morbum cum priori⁹. An et Matthaëus, meus pater, ornatissimus medicus, non

¹ Bal. 1. cons. 409; Decia. 3. 19.

² Alc. 5. cons. 132.

³ Cic. 6. Fam. 2.

⁴ Tac. 4. Ann.

⁵ Cic. 2. ad Q. F. 14.

⁶ Dio lib. 40. c. 30.

⁷ Bal. 2. cons. 195, 1. 326.

⁸ Hipp. 6. Epid. 2, et Merc. ad 2. de Mor.

⁹ Uall. 10. Contr. 5.

transfuderit in me de re medica tantum Franciscus ille quantum Baldi pater in filium? Tantum utinam de scientia iuris cepissem ego, quantum docere me Baldus potest. Uerum an et nos bellum dicemus idem, quod ex priori sic esset, quasi ex radice relicta? Pax certe non est, quae non omnem exfundat controuersiam. Morbus non curatur, nisi radix exstinguitur¹. Non est corpus sanum, si speratur reuersio morbi; nec quisquam dicitur liberatus, quum perseuerat qualitas infirmitatis. Quae idem Baldus de legibus ostendit. Et Moschus inepte inducias in caeteris, non in ducatu Lituaniae a Polono petiit, quare et responsum accepit, haud conuenire, ut inter duos principes bellum sit et pax eodem tempore². Sic Tullus, in conueniendo cum Albanorum duce, monebat, non tam cogitandum de sancienda in praesens amicitia, quam ne relinquereur in posterum ulla renouandi belli materia³. Isocrates illud uituperat, quod non componerent Graeci, sed differrent bella, donec alios alii perdere potuissent⁴. Inducias tristiores, secuturo mox praelio, dicit Ambrosius⁵. Et sane sic induciae magis et infideliores multo induciis certis: si non tollitur bellum, at imo etiam incerto tempore occulitur, cum certae induciae sint certissima belli inductio. Quid si sic induciae dictae sint ab inducendo, cancellis circumscribendo: quod bellum ueluti cancellis quibusdam circumscribant, non deleant⁶? ‘Sed pax est non in armis positis, at in ‘abiectione omni armorum metu.’ Et igitur incumbendum est, ut pax perpetua, certa constituatur.

Nobis autem nunc uidendum de huius conuentionis natura. Stricti autem iuris contractum, ut transactionis, dicit Baldus⁸. At ego contrarium docui, perque fundamenta de ipso Baldo accepta, in capite quarto libri superioris. Nam quid si sit transactio? est tamen nominatus contractus et quidem principum: quorum contractus omnes sunt bonae fidei. Est omnis principalis tractatio ex bono et aequo: omnis consuetudinum et institutorum gentium: ut recepta interpretum est sententia⁹. Fides exuberantior requiritur in contractibus principum, ut ipse ait Baldus¹⁰. Et foederis nomen ducitur quibusdam a fide¹¹. Et

¹ Bald. l. 1. C. de aedi. act. (4. 58). ² Na. Co. 27. ³ Dionys. lib. 3. 29. ⁴ Isocr. Paneg.

⁵ Ambr. Tob. c. 5.

⁶ D. de his, quae in te. de. (28. 4) ubi Cuiac.

⁷ Cic. 10. Fam. 6.

⁸ Bald. d. 195.

⁹ Hot. cons. 15.

¹⁰ Alc. 8. cons. 45.

¹¹ Isid. 18.

bonam in eo fidem tenere locum summum debere, dicebat Petrus Medices alicubi¹. Non strictum hic ius, aut iuris rigorem sectabimur: sub quo plerumque erratur perniciose². Non admitteremus disputationes subtiliores, deque apicibus iuris: quae, acqui et boni ratione praetermissa, res examinare ad uivum solent³. Quales isti esse debent contrahentes, tales sint: quoniam et tales creduntur⁴. Et itaque fraudes omnes absint, et exceptiones omnes subtilis iuris cessent, tantumque dicatur quod principem deceat. Non conuenit exceptio de apicibus iuris his, qui uolunt existimari magnae fidei: nec in iudiciis solius acquitatis admittitur⁵. Aliquando exceptum est de imperfectione conuentionis: quae signis aut subscriptionibus non sit munita. Sic de saluoconductu Gallus respondit Italo, non subscripto a secretariis nec sigillato, et subscripto tamen a principe⁶. Sane et subscriptiones et sigillationes desiderat hic consuetudo⁷: et tamen ualet instrumentum sine subscriptione et signo: quia residet auctoritas in auctoritate notarii⁸. Quanto igitur magis hic residet in auctoritate et manu principis? Et contra, sine subscriptione sigillum satis esse uidetur, quia littera et sigillum acquirantur⁹. Addebat Gallus, nec traditum fuisse Italo instrumentum. Sed Ludouicus duodecimus Galliarum credidit dispensationem factam satis: atque ita matrimonium consummauit: etsi instrumentum nondum habuisset¹⁰. Uidetur tamen necessarium, ut saluoconductus instrumentum traditum sit: ante enim in potestate concedentis est tota res: nisi forte datum uerbo est, et instrumentum ad cautionem et probationem sit. Qua de re locus est communis in iure nostro¹¹. Et si causa est mihi delegata: et id ego scio: necdum tamen accepi rescriptum: exercere iurisdictionem non possum, pendet enim iurisdicctio ex productione rescripti¹². Idem in procuratorio dixerunt Hostiensis et Archidiaconus. Sed de hoc aliter Baldus, qui, quod et sit in gratia satis, si ea exierit cancellariam. Hic est uidendus et de aliis et de sigillo, quod per se sine subscriptione sit

¹ Guicc. 1. ² l. 91. de U. O. (D. 45. 1). ³ l. 29. mand. (D. 17. 1); l. 31. depo. (D. 16. 3).

⁴ Dec. cons. 97. ⁵ Alc. 8. cons. 28. ⁶ Guicc. 2. ⁷ Decia. 1. cons. 18.

⁸ Dec. 146. 447. ⁹ Bal. l. 2. C. de re. al. non ali. (4. 51) et ibi ad. ¹⁰ Guicc. 4.

¹¹ l. contractus, C. de fi. in. (4. 21). ¹² Bal. l. 1. de procur. (D. 3. 3); l. 19. C. de fur. (16. 2).

nihil. et quod aliquando est ad substantiam et sit necessarium: non si ad apparentiam, etc. Etiam alii dicunt, non uideri actum perfectum, si desint subscriptiones: et ex imperfectione scriptorum significari imperfectionem conuentionis: et sigillum solitum si desit, itidem non existimari actum perfectum¹. Et sigillum principis habere plenam solennitatem: sed et ex consuetudine satis esse sigillum appensum, etc.²

Ille casus habet minus dubitationis, quod catholici reges noluerint aliquando paci stare per generum initae: qui ad id tamen habebat mandatum amplissimum³. Sed reges respondebant, instructiones limitatas genero fuisse additas. Male: et contra illa, quae decent principem: 'Semel locutus sum. Quod scripsi, scripsi: Unus calamus, una lingua: Immobiles, ut lapis angularis, ut polus in caelo,' etc.⁴ Horum autem catholicorum duo calami, duae linguae: et, quod est intolerabilius, calamus ille instructionem et lingua illa hosti ignara. Aut quod potest certum iniri foedus, si ratio ista recipitur? Sic legati Florentini obligant se et ciuitatem ex mandato. at ait ciuitas postea, illud de mandato ita fieri apud eos ex more: uerum nihil esse antea ratum, quam magna probasset factum concio ciuitatis⁵. Ecceui poteris mandato credere, si ratio ista recipitur? Aut res adeo necessaria uitae hominum, ut est usus procuratorum, de uita tolletur⁶? Contra hos Florentinos Pius secundus, turpe, mittere mandata inualida; et turpius, eis uti. Uerissime. Etsi nihil profecit papa. Metus praeterea exceptio non decet principem. Sed nec admittitur in isto uis et armorum tractatu. Ait Cicero, 'At non debuit ratum esse, quod erat actum per uim. quasi uero forti uiro possit uis adhiberi?' Et dic tu, quasi uero militi, uiro fortitudinem profitenti, conueniat metus exceptio. Professori iuris turpe est, ius ignorare. adeoque est negatum, iuris ignorantiam causari⁸. Et sic nemo contra, quam profitetur, dicere potest. Non hic habet locum edictum, 'Quod metus causa.' est enim metus hic quid naturale⁹. Metus est de natura uictoriae, inquit Baldus. et ergo seruanda pacta ab eo, qui sub duello uincitur et paciscitur. et idem de pactis deditiorum belli. Hic

¹ Oldr. de Praesu.; Chass. 5. Cat. 24. ² Bal. 5. cons. 508; Alc. 8. cons. 1. ³ Guicc. 6.

⁴ Dec. cons. 286. ⁵ Comm. Pii 2. lib. 4. ⁶ l. 1. de proc. (D. 3. 3).

⁷ Cic. 3. de Off. 30. ⁸ l. 2. de orig. iu. (D. 1. 2); l. 1. de extr. co. (D. 50. 13).

⁹ Bal. C. de li. (7. 16); Saly. l. ab hostibus, C. de po. re. (8. 51).

errant plerique sane: qui imo tradunt, principem hostium captiuum non posse pacem constituere: quia in metu uersetur: et insuper addunt, pacem initam nec obligare uel ratam habitam a reuerso in regnum, si obses aliquis relictus sit, pro quo sollicitus princeps sit magis quam pro se fuerit: quia promissis metu non standum¹. Et hoc est quod in causa Francisci primi Galliarum, qui captiuus Caesaris pepigit pacem², pessime respondisse tum nostros doctores, uerissime monet Ioannes Bodinus³. Sed et alii hoc nobiscum et cum Bodino tradunt, ualere haec captiuorum, nisi iniuste captiui sint⁴. Atque id in bello iusto et tum captis non dicitur. Sic ego teneo de iuste captis. Quidam tamen sic dicunt, nulla habita consideratione, an iuste uel iniuste quis captus sit⁵. Edictum praetoris ad metum, qui licito, ut est bellicum, infertur iure, non pertinet⁶. Et putem ego tamen, captis in bello iusto uim iniustam et iniustum metum inferri nonnunquam: et propterea non necesse esse, stare eos conuentis. Docui antea in titulo de permutationibus et in titulo de seruis, quae ea sint iniuste captiuis illata. Quod si quis roget, an iusiurandum captiuos obliget in metu iniusto, responderim ego, quaestionem esse plurimum theologica. Et tamen, quod spectat ad ius hominum, certum est, non obligare. An si promisit, non militare patriae, iusiurandum obligabit? Iure gentium debetur principi, patriae⁷. Et itaque nec naturalis est obligatio; nec sit iurata. In causa Francisci primi id ad rem, non eum potuisse de prouinciis regni pacisci. Non defendo, quin rex ille redire ad carceres non debuerit. obligatione rei soluo. persona erat ualide obligata. Et alter Gallus rex, captus, ita dimissus sub obsidibus rediit⁸. Non potest princeps in rebus ac bonis statum suum grauiter laedere. esset enim (ut loquuntur) homicida sui principatus; si posset hunc notabiliter laedere⁹. Et rex Galliae nec quidquam potest minuere¹⁰. Atque ex his, quae dixi, uides lusum fuisse Clementis septimi uerbum: quod res esset indignissima, ut probaret uiuus, quae pepigerat mortuus.

¹ Dec. cons. 219. 691.² Guicc. 17.³ Bod. 5. de Rep. 6.⁴ Rom. cons. 316 ubi Mand.; Ceph. 654; Bal. rub. C. de re. ue. (4. 44).⁵ Decia. 3. cons. 102.⁶ Duar. l. 1. de pact. (D. 2. 14).⁷ Bar. l. 46. de fideiuss. (D. 46. 1); Bod. d. c. 6.⁸ Bod. 1. de Rep. 8.⁹ Ceph. 468. 615.¹⁰ Hot. de Re. Fra.

id est, ut quae pepigisset captiuus, ea probaret liber factus¹. In principe captiuo hoc putem, non esse necesse, ut ei obtemperent subditi. Et ita rex Neapolis Alfonsus ait captiuus². Et ita Scoti, se ei (regi suo) non parituros, qui in aliena potestate esset³. Et Delfinus, alique principes Galliae abnuunt pacem cum his condicionibus facere quas illorum rex accipiebat in Anglia captiuus⁴. Atrociter is, qui arcem Caesenae custodiebat Ualentino duci, missum ad se, qui Ualentini mandato arcem reciperet, suspendit. et addidit, inhonorificum sibi, si pareret Ualentino, domino suo, tum captiuo: itaque poenam meritum, qui ausus fuisset id exponere⁵. Sed quid si foedus percussum est cum minore? Et Eduardus tertius Angliae negabat se foedere teneri, quod se minore cum Scotis ictum erat⁶. Atque hic tenendum sic est, non eum esse minorem, qui iure regnandi aptus regno est et muncibus regni⁷. Et sic sane aetas minor maiore consideratur pro re de qua agitur, ut est ad sponsalia septennium, maior ad matrimonium pubertas, etc. Et illa definitio annorum uigintiquinque est ciuilibus iuris Romani⁸. Non etiam dicit princeps, se esse filiumfamilias qui pater imo populorum est. Et cum nec consideretur in publicis potestas patria. Nec dicit ista miles: et minus is qui pater militum est. Quod Alciatus in Philippo primo Hispaniarum respondit⁹. Etiam et de abolita patria potestate considerat. Et tandem facto ac silentio hic quoque, ut in priuatis, dices ratificari foedus. Nec dicitur, tempus non currere impedito, quum fructusque capitur beneficii foederis. Fraudis exceptio admittetur hic: quae dedecet malitia principem ualde, et ab omni contractu reiicitur. Neque nunc putes quicquam hosticum, quum pacis negotium agitur. Fraus uero foedior, quae insidiis iusti propositi grassatur¹⁰. Erroris etiam exceptio admitti debet. Si uerum est nihil eum agere qui errat¹¹: et demens sit, qui fidem praestat errori¹². Item excipitur de rerum statu immutato. Si mutatio nequii praueideri¹³. Etiam et adiecto iureiurando subintelligi clausula, 'Rebus sic stantibus:' non in testamentis modo, sed et in contractibus aliquando: imo in qualibet dispositione semper: et

¹ Guicc. 18. ² Collen. 6. ³ Euch. 10. ⁴ Polyd. 19. ⁵ Guicc. 6. ⁶ Polyd. 19.

⁷ l. 57. de re. iud. (D. 42. 1). ⁸ Hot. 2. de Feu. 53. ⁹ Alc. 9. cons. 49. ¹⁰ Thuc. 1. 4.

¹¹ l. 116. de reg. iu. (D. 50. 17).

¹² Sen. 4. de Benef.

¹³ Alc. 8. cons. 35.

omnium est opinio¹. Eleganter autem Seneca, 'Tunc fidem fallam, tunc 'inconstantiae crimen audiam, si cum omnia eadem sint, quae erant pro-
'mittente me, non praestitero promissum: alioqui quicquid mutatur, liber-
'tatem facit de integro consulendi et meam fidem liberat.' Casus super-
ueniens facit, ut prouideri subditis possit, etiam si consecutiue hinc aliquid
fieret contra capitula pacis inita cum alio principe. Quod Baldus².
Nouae perturbationes foederatum excusant³. Quod Uenetus senator
magnus. Et Baldi frater, quod si auxilium promitto foederato, mihi
autem tanta ingruat uis, ut res meas uix ualeam sustinere, non ei iam
teneat. numquam enim auxilium alteri praestandum sic intelligi, ut me
debeam spoliare. nam ordinata caritas incipiat a se ipsa⁴. Generaliter
illae omnes exceptiones admittentur, quae pactum quasi contra naturalem
rationem esse dicent. In malis promissis nec obstringitur fides. Et ut
se habet conuentio inter priuatos, ita inter principes: qui faciunt se ad
instar priuatorum⁵. Et foedera et conuentiones principum exponendae
sunt, quantum pote est, a lege et ratione ciuili. Id Alciatus⁶. Sed quod
eodem loco Alciatus ex hac regula, quod si in capitibus pacis conuenit,
ut ita possiderent, quemadmodum ante bellum possiderent, is sit per
caput istud restituendus, qui fuit ultimo spoliatus: id proculdubio non
bene. Nec enim, quia ita sit in disceptationibus ciuilibus, ita et in bellicis
est. Scilicet restituitur semper in ciuilibus posthumus spoliatus: quoniam
illie spoliatio semper improba, ubi iure agitur. at hic ui et ferro res
geritur. Et igitur ultimumque spoliium iustum est. Alia cauillatio
Alciati in eodem responso, ea patefacta in titulo De induciis.

CAP. XV.

De quibus cauetur in foederibus: et de duello.

ILLA autem translaticia in isto contractu, ut de legibus, libertate, agris,
locis, aedificiis, amicitiiis, armis, exercitibus, classibus, arcibus, praesidiis,
aliis eiusmodi rebus caueatur⁷.

¹ Alex. 2. 72, 7. 170; Alc. 8. cons. 39; Ceph. 60.

² Bal. 2. cons. 195.

³ Guicc. 14.

⁴ Ang. 1. 7. ad le. Rh. (D. 14. 2).

⁵ Bal. d. 195.

⁶ Alc. 5. cons. 17.

⁷ Sig. 1. de A. I. L. 1.

At, de his prius quam incipio dicere, absoluaum unum, si princeps duello potest de pace incunda et de his omnibus constituere¹. Et duellum uetitum canonico et ciuili iure esse, receptum est. Hotomanus tamen disputat, uideri posse duellum licitum: quia bellum licitum sit. inquit, 'Si quod belli ius est, (de quo inter omnes sanos conuenit) etiam duelli ius esse oportet: nam si centenis millibus pugnare ius est, etiam denis millibus et mille et centenis, ad extremum etiam binis pugnare, ius est².' Et uero sic uidetur licitum duellum ut bellum licitum est: quum non personae priuatae sunt. Etiam admittitur duellum, ubi est bellum: quoniam cessat tum ratio altera uetans duellum, quasi per hoc Deus tentetur. Haec scilicet ratio et aduersus bellum uidetur. Et haec tamen nullo modo est aduersus bellum: quod dixi a necessitate esse: ubi non cadit tentatio. Et igitur duellum improbatum, quia non necessarium: et quia non sit ius priuatorum pugnare: non quia paruo aut magno pugnantium numero depugnetur: nec quia minori aut maiori incommodo conficiatur. ut in hoc decipitur Casertanus, dum licitum magis duellum respondet, quia a duello minus malorum existat³. Et ergo bene nostri et philosophi docent, detestandum duellum⁴. Sed et nostri et philosophi probant et ualde laudabile et gloriosum aiunt duellum ex causa, ut bellum finiatur, ut maius uitetur malum⁵. Sic institutum fuisse duellum inter Dauidem et Goliatum: inter Menelaum et Paridem: inter Aeneam et Turnum⁶. Sic inter alios de quibus alii recensuerunt. Sic finitum bellum inter Romanos et Albanos ternorum certamine⁷: et aliud inter Romanos et Persas sub Ualentiniano⁸: et aliud pugnante Heraclio imperatore cum rege Persa⁹. Finitum certamine binorum inter Aetolos et Elaeos¹⁰: et ad finiendum electi Lacedaemonii, Argiuique trecenti¹¹; suborta autem lis de uictoria, quod nox cum diremisset praerium et duo superfuissent Argiui, Laco unus, illi uictoriam suam pro maiori superstitem numero dicebant, Lacones autem uindicabant sibi,

¹ Alc. Si. Ce. c. 3.² Hot. de Feu c. ult.³ Caser. 2. de Si. Ce. 5. 14, et lib. 6. c. 5.⁴ Dec. 487, ubi Mol.; Pic. 6. Ci. Phi. 22.⁵ Bal. rub. C. de de. li. to. (7. 5).⁶ 1. Sam. 17.⁷ Liu. lib. 1. c. 24.⁸ Cedr.⁹ Bonf. 1. Ung. 8.¹⁰ Paus. lib. 5. c. 4.¹¹ Herodot. lib. 1. c. 82; Plut. coll. Ro. et Gr.

quoniam ille unus, hostibus mox timidus et fugientibus et admansisset et spolia collegisset. Sane qui locum retinet pugnae, is victor creditur. Et ita Amphycytones pro Laconibus iudicarunt. Sed hic hostis hostem uidetur non pepulisse. 'nox praelia dirimit,' itaque Lacon per naturae et temporis inducias substitit: si non de fuga per timorem facta ostensum sit¹. Quod si utrinque disceditur, tum unus, qui occiderit amplius ab una parte, ostendere hanc uictam potest etiam in magnis praeliis. Et hic ualet argumentum a duello ad praelium, quid ni? Et apud Liuium et alios exstat exemplum unum². Et hoc tamen ego sic accipio, nisi una pars suorum cadauera repetat ad sepulturam. Nam est receptum consuetudine, ut pars uicta censeatur haec³. Sed et rationis est, ut, qui rogat, inferior censeatur et uictus. Et potest tamen nec ita esse: nam uictus rapuisse potest, in locum tutum fugiendo. Quid si Patrocli cadauer raptauissent Troiani in urbem? Quid si acie uicti fugissent in castra, ubi ingressus aliquis a uictoribus occubisset? At ad haec audi etiam Liuium, qui sic de Romanis et Celtiberis, 'Incerta uictoria discessum, nisi quod Celtiberi castra inde nocte proxima mouerunt: Romanis et suos sepeliendi et spolia legendi ex hostibus potestas facta est.' Et postea, 'Nec aliud magnopere uictores fuisse Romanos, nisi quod postero die manentes intra uallum praedio lacessierint, spolia per totum diem legerint⁴.' Potest esse, ut pars abeat et altera maneat legatque spolia: et nec illa tamen sit uicta, nec ista uictrix. Ecce ego consensui uniuersali accedo: et uictoriam Gallis ad Tarum tribuo⁵. Etsi abierint illi: Itali autem manserint et spolia legerint: nam Italarum cecidere longe plures: et pulsati loco a Gallis fuerunt: et hoc unum contendebant Galli transire: et transierunt Italis inuitis. ut sic etiam Ariostus, alii⁶. Alia fuit quaestio de uictoria inter Philippum regem Macedoniae et Attalum Pergami⁷. Uindicabat uictoriam Philippus sibi, qui cepisset regiam alterius nauem et non a pugnae loco procul stationem fecisset et spolia collegisset: sed falso (Polybius ait) id uindicabat, cum ex suis multa hominum millia, naues sine comparatione, plures perierint: Attalus autem naues pauculas

¹ Plin. 4. Ep. 9. ² Liu. 2; Plut. Publ.; Zon. to. 2. ³ Iust. lib. 6. c. 5; Plut. Nic. Lys.

⁴ Liu. 39. 40. ⁵ Guicc. 2. ⁶ Arist. Can. 33; Iustin. Ann. Ge. 5. ⁷ Polyb. lib. 16. c. 8.

et paullo plures centum uiris amiserit. Plutarchus in Symposiacis habet quaestionem super Paridis duello et Menelai. sed quae nascebatur ex uerbis pactorum. nam dictum a principio erat, 'Uictori coniux Helena 'omnis gazaque cedat.' post uero, 'Si Paridi dabitur, Menelaum sternere 'letho: tum gazam teneat, sitque illi Tyndaris uxor. Fuluus Alexandrum si uero necat Menelaus, Dardanidae gazam reddant, Helenamque 'marito'.¹ Et quidem ex primis uerbis fuit satis Menelao fugasse Paridem. Sed ex secundis mors sequi debuit. Atque ad ius nostrum apte ille apud Plutarchum in decretis, legibus, foederibus, pactis, semper posteriora prioribus plus ualere². Item non esse posteriora hic aduersa prioribus, sed quasi declaratiua eius quod illic esse obscurum potuit, quando uictor intelligi siue Menelaus, siue Paris debuisset. Nam audis, non semper exploratum, quis uicerit: quod est exploratissimum altero mortuo. Et ergo (ait Plutarchus) ut in legum repugnantiis iudices id amplectuntur, quod nihil habet controuersiae, obscuriore repudiato: ita hic id pactum censeamus esse potius et plus ualere, quod finem certaminis exprimit notum et nulli obnoxium praescriptioni. Sic et interpretes dicunt iuris nostri, uerbum ambiguum in una parte positum, ex alio uerbo claro declarari³. Et sine dubio haec est recepta interpretandi ratio omnibus. Sed et illud nostrorum hic facit ualde quod praecedens uerbum generale a sequenti speciali et declaretur et restringatur⁴. Et id genus afferri plura possunt. Nec nocet, quod ex aduerso proferebatur, priorem conditionem oblatam a parte altera, non potuisse ab altera mutari: tamquam sit auctoritatis maioris oratio eius qui offert, quam eius qui accipit. Nam imo, qui respondet, is est qui dicit⁵. Et diuersitas secundae orationis placuisse hic intelligitur: cum in uerborum obligatione nec simus⁶. Adde, quod tamen uictus Paris semper censebitur, per quem fugientem stetit scilicet, ne finis fieret certamini. Ecce tradunt nostri interpretes, quod si promisi dare, si me in cursu uiceris et nolim currere, dare tenear⁷.

Uides, quam multa sint, quae in iudicando de uictoria examinantur. Et nobis notata non sunt incommode propter uictoris plura iura, inque primis

¹ Plut. 9. Symp. 13. ² Alex. 4. cons. 122; Alc. 6. Pare. 22. ³ Bal. l. 15. de legi. (D. 1. 3).

⁴ Affil. Decis. 319.

⁵ Plat. Alc. 1.

⁶ l. 1. de U. O. (D. 45. 1).

⁷ Dec. l. 121. de reg. iu. (D. 50. 17).

illud, quod uictoris diximus esse, proloqui et proferre pacis condiciones. Nunc absoluo quaestionem de duello. Obtulit istam condicionem Tullus Albano: ut ipsi populorum duces certamine singulari dimicarent de imperio, quod utrinque quaerebatur. Respondebat autem Albanus, non se sibi, aut sibi Tullum quaerere potentiam, sed ipsas ciuitates, Albam et Romam: itaque iustum non esse, ut pugnarent ipsi. Plutarchus pro Metello notat, qui petitem a Sertorio detrectauit duellum: quod non ducis sit, obire militis mortem: quae haec in duello foret¹. Augustus, prouocatus ab Antonio, respondit, patere Antonio multas ad mortem uias²: et hoc et alia adfert Alciatus et probat³; etiam tradit, duces exercituum nec debere munus sibi mandatum in casum dare et prouinciam suam sic deserere. Idem uero et nos de principibus dicemus: qui sunt duces populorum. Antonius Caracalla furoris etiam notatus ob huiusmodi prouocationes⁴. Sed Scytha rex, idem quod Augustus, Ioanni imperatori Constantinopolitano, si imperatori non uacaret uiuere, infinitas esse mortis uias: se intelligere melius quam hostem, quid sibi e re esset⁵. Notat Guicciardinus Carolum quintum, Franciscum primum, Henricum octauum eadem ratione isthic, quod non reges, sed milites agerent⁶. Et istam ipse probo partem magis: ut descendendum principibus non sit in duellum; si non de priuatis ipsorum controuersiis agitur. Nam si certatur, quisnam regnare habeat: imo principatum affectantes certabunt ipsi sanctissime. Et sic indictum pro regno Neapolitano certamen inter Alfonso et Renatum: inter Petrum et Carolum⁷. Et de hoc constituto a pontifice Romano laudabiliter disserit Alciatus⁸. In Germania sic lex est dicta duobus imperium uindicantibus, ut ipsi certamine singulari controuersiam finiant⁹. Sic subditi aliquando compellunt, ut apud Alciatum est. Exempla autem plura sunt huius duelli: quum de principatu duo contenderent. Meminit in Atticis Pausanias regum duorum. Liius duorum in Hispania regulorum: sed et Silius¹⁰. Xenophon recitat aut fingit ipse (quod magis ualet) Cyri prouocationem¹¹. Sed et collegit alia

¹ Plut. Sert. ² Plut. Ant. ³ Alc. de Si. Ce. c. 27, et 5. cons. 40. ⁴ Zon. lib. 12. c. 12.

⁵ Cedr.

⁶ Guicc. 18.

⁷ Collen. 6; P. Aem. 7.

⁸ Alc. de Si. Ce. 3.

⁹ Hot. de Feu. c. ult.

¹⁰ Liu. 28; Sil. 16.

¹¹ Xen. 5. Cyrop.

Hotomanus. Atque haec erit de regno legitima pugna: non ut regno legem imponat tamen: sed ut suum ius regni alteri adferat contra alterum: et uicto potius adimat, quam uictori adiudicet. Non regno legem imponit: nisi populus ei et in eum dederit istam potestatem: uel nisi populus is fuerit, quem alteri subiicere rex possit, quiaue alteri contententium esse subditus habeat. Alioqui interest subditorum, non mutare dominum: itaque requiratur in alienatione consensus eorum¹. Et ut subditi ipsi nequeant contrahere in praeiudicium superioris, ita nec superior in praeiudicium subditorum. in hoc uidelicet aequiparantur et uices sibi reddere tenentur². Bellissime Iacobus Cuiacius de alienatione rerum regni et ipsius regni, quod etsi nulla lege speciali prohibetur, generali tamen omnium regnorum, cum ipsis regnis nata et quasi iure gentium uidetur uetita³. Et Philippus Decius, donationem illam Constantini sic factam cum consensu populi Romani oportuisse, respondit. Quamquam de imperatore Romano diuersum quis dixisset. 'quum lege regia, quae de eius imperio lata est, populus 'ei et in eum omne imperium suum et potestatem concesserit'⁴. Sed hoc tamen nihil facit ad alienationem. Nam etsi tribuerit principi populus illam etiam in populum et in quemlibet de populo (quod contra libertatem et contra leges erat Portias) potestatem: non tamen et quamlibet tribuit et istam alienandi. Omne dedit populus imperium et potestatem sane: sed ad regendum quasi homines, non ad alienandum quasi pecudes. Ut sic ratio dictat: et sic uerba sonant. Audi: 'Imperia, potestas, cum 'senatus creuerit, populusue iussit, ex urbe exeunto'⁵. Imperia exercitum, potestates urbem spectant. Haec duplex iurisdictio data, propria facta, imperatori. Aut num plus dederit populus, quam ipse habuit? Ipse populus non id poterat. Hallucinantur theologi, adulantur iurisconsulti, qui persuadent, omnia principibus licere, summamque eorum et liberam esse potestatem⁶. Ridiculum est affirmare, pontificibus absolutam in subditos potestatem competere: quae nec ipsi imperatori in Italos competit: a quo isti causam habent. Ut haec Alciatus scribit

¹ Dec. cons. 564, 689; Alc. 7. cons. 3; l. 25. C. de pact. (2. 3). ² Ceph. cons. 628.

³ Cuiac. c. 33. de iureiu.

⁴ Inst. tit. 2.

⁵ Cic. 3. de Legi. 3. ubi Ture.

⁶ Alc. l. 3. de U. S. (D. 50. 16); l. 25. C. de pact.

omnia. Finge igitur potestatem quantumvis liberam imperatori: ea est tamen non dominationis, sed administrationis. Et qui liberam administrationem habet, is non habet potestatem donandi¹. 'Tutor tum domini loco habetur, cum tutelam administrat, non cum pupillum spoliat:' Iulianus ait². Et igitur ego, non cum donat pupillum ipsum, qui hic ipsa mater Roma fuerit: quae se effectam regendam filiis tradidisse dicitur³. Matrem donabit filius? etsi quum filio in dignitate constituto tribuit pater peculium, huic et ius donandi tribuisse intelligitur. Quid huc afferimus de causa? Certe qui liberam administrationem habet, iusta ratione motus donare potest. Sed an ipsumque, qui dedit administrationem? Aut quaenam illa causa tam profusae donationis? Romam cum aliis civitatibus in Italia amplius septuaginta et oppidis duobus millibus donat⁴. 'Constantini' (ait Zonaras) 'in largiendo studium magnificentiae non tribuebatur, sed plane. verum temperandum est calamo, ne quam diuino illi viro labem aspergam.' Sic sane sanguinum uir ille decennio primo, secundo princeps probus, tertio pupillus prodigus audit. Nescio si sit etiam dicendum de persona accipientis: quemadmodum nec donari potest, nisi quod eius fit cui donatur⁵. Forte tamen hic quaestio est prioris tabulae: quae supra iurisconsultum est. Et igitur tacco, 'Reges gentium dominantur.' Et quod Baldus, 'Quod Deus separauit, homo non coniungat. Sacerdotium et imperium:' hac ipsa de re ad proemium Digestorum. Et lepram Nahamanis Gechazo et semini suo in seculum: qui item propter accuratam lepram munera quaesiit, reiecta Elisaeo et interdita⁶. Quamquam et Restaurus Castaldus, qui donationem Constantini defendit, auditam refert eo die de caelo uocem, 'Hodie effusum est uenum in ecclesiam Dei.' Ceterum de illa donatione sunt uolumina quaestionum iurisque, factique. Audisti, in iure quid dicat Decius. Idem et alii dicunt. Ciuillistae communiter negant ualuisse. Et Bartolus, qui adfirmat contrarium, ludit, dum adfirmandum ait sibi, qui in terris amicis ecclesiae uersaretur⁷. Et itaque canonistae idem adfirmant communiter:

¹ l. 7. de don. (D. 39. 5); l. 1. quae res pi. da. ob. non pos. (D. 20. 3); l. 8. qui. mo. pi. so. (D. 20. 6).

² l. 17. pro empt. (D. 41. 4).

³ Amm. 14.

⁴ Castal. de Imp. q. 51.

⁵ l. 9. de don.

⁶ 2. Reg. 5.

⁷ Bar. proec.; Digest.

qui in ecclesiae partibus habent. Non potest rex alienare populum, nec illi alium dare regem: quia populus est liber, licet sit sub rege: ut pupillus est liber, qui sub ui ac potestate tutoris est. liberorum autem nulla est alienatio: quia nec est commercium. et cetera apud Baldum¹. Sunt autem ista naturalis rationis: ut pleraque omnia quae de libris Digestorum hauriuntur et aliis per Iustinianum compositis et promulgatis. Itaque nec inuenies philosophos discrepare. Quod si liber exstaret Samuelis, qui erat De iure regni; et nec ille fuisset de iure regni Iudaici: certiores in hac tota quaestione ageremus². Deus aliquid tradit per Moysen: Ne rex multiplicet sibi equos, ne uxores: Ne efferatur prae fratribus suis: Ne in Aegyptum (quod uidetur ostendere ius regni Iudaici, an quid allegoricum et morale elicimus uniuersis?) reducat populum³. De alienatione constat sane: ut quae essent finium tributae terrae, alienari nec possent. nam quae Chiramo donata uoluit Salamon, ea intra eos fines non fuerint⁴. Etiam illa leuia et spreta a donatario. Aut num quid a factis Salamoni argumentari licet? Sed ille contra praeceptum Moysis num non habuit equilium praeseptorum quadraginta millia? an non contra praeceptum, quia non 'sibi⁵?' Uxores certe habuit 'sibi,' principes septingentas, concubinas trecentas et alias innumerabiles: uxorem etiam, nec unam alienigenam: contra specialem legem Dei. De quibus alienigenis nec excusatum per omnia in omnibus; uerum de filia sola Pharaonis⁶. Et neque excusari aut in ista posse uidetur, quae iungitur in malo (an non?) cum aliis a Scriptura sacra. Non mihi aut doctissimi, aut politissimi nostri theologi satisfaciunt⁷. Si neque licuit, (quod istique docent) captiuam ducere, etiam initiatam religioni, cur licuisset non captiuam? Non licuit, extra tribum nubere, ducere. Et licuit, Aegyptiam? et populum ita in Aegyptum prouocare? Nihil me mouet, quod dicat scriptura, Salamonem erga Deum affectum bene: et dicat illico atque de his exposuit nuptiis⁸. Nam huic rei aliquid etiam supradicti respondent doctissimi: et ego sic censeo, intelligi eam rem oportere de praeceptis tabulae prioris: ubi proprie amor erga Deum notatur: et sic igitur Scriptura,

¹ Bald. prooe.; Digest.² 1. Sam. 10.³ Deut. 17.⁴ 1. Reg. 9, ubi. Tr.⁵ 1. Reg. 4, et 11. Hier. 1. co. Iou.⁶ Deut. 7.⁷ P. Mar. Tr. Iu.⁸ 1. Reg. 3.

'Amabat enim Salamo Ichouam,' etc. Quartum porro ad ius regni, quod quaerimus, num seruauit Salomo et se non extulit supra fratres suos: quibus durum imposuit iugum¹? Num et contra cum non est quidquam eorum, quae non boni regis a Samuele tanto antea praedicebantur²? Illinc et ius regis habes. sed et ex tota lege: ut sic regi libros eius legendos tradit Moyses³. Uerum ego a proposita quaestione de alienatione subditorum abii fortasse longius. Scribunt alii de omni alienatione quam princeps faceret, quae non necesse huc transcribere⁴. Si princeps sit feudatarius, is et superioris principis habere uoluntatem debet⁵. Et sic Oldradus in illo duello Petri et Caroli pro regno Neapolitano. Non etiam alienabuntur uel uasalli in seruitutem grauiorem: quod Baldus⁶. Ergo neque in dominum ignobiliorem: quod alii. Et, ut ille ad Octauium, dignitate domini minus est turpis fortuna serui⁷: quae ego duo nunc dico in causa, quae nunc rapit Italiam uniuersam a diuturno otio in arma ac bellum. Ferraria in seruitutem grauiorem uocatur, si ecclesiae restituitur: quae de ciuitate principe et principum sede uctustissima nobilissimorum, ciuium suorum, imo patrum, fundatorum, amplificatorum, ornatorum, defensorum, retraheretur in imperium ecclesiasticorum: qui illuc noui semper et homines saepe etiam noui mitterentur, recturi ueluti aliam quamlibet ciuitatem: non nati, non educati, non assumti charitati ciuitatis: nunc aducentes, nunc abeuntes; itaque nec parentes populis, (ut de Statio Alciatus affert) regnum breue. Et plurima hic ualent, quae (non dubito) exponentur iam, iam a clarissimis iurisconsultis Italiae. Quid si alius inuestiretur dux a pontifice? An princeps maior, qui item regeret urbem per legatos? An minor, qui minusque posset ciuitatem tueri? Sub potentiori et alacrius uiuitur et tutius. Et haec ad ipsos quod pertinet Ferrarienses. Ad personam uero quod attinet huius qui heres ab Alfonso relictus est et ipse per merita suorum maiorum, quasi de Alfonsi ore, petere posse uidetur gratiam inuestiturae: et nisi impetret, iniuriam conquiri: ut haec duo stare simul possunt optime⁸. Merita dicimus fun-

¹ 1. Reg. 12. ² 1. Sam. 8. ³ Deut. 17. ⁴ Hot. Ill. Q. 1; Alc. l. 25. C. de pact. (2. 3).

⁵ Oldr. cons. 91.

⁶ Bald. prooe.; Digest.

⁷ Cic. Ep. ad Oct.

⁸ l. 1. de eq. cot. (D. 43. 20); l. 12. de relig. (D. 11. 7); Alex. 1. cons. 80.

ditionis, alia. Sed et vicini principes hic habent, quod iure agant. Audisti, quid Ueneti egerint cum Pio secundo in causa Sigismundi Malatestae. Nos retulimus antea in primo libro, ubi de iure uicinitatis plura.

CAP. XVI.

De legibus et libertate.

NUNC de illis explico de quibus cauere in foederibus consuevit. De legibus cauere solitum, ut quisque uiuat suis. Et quum est comprehensum, ut alter alterius maiestatem comiter conseruaret: tum nec quidquam de libertate, de aequalitate multum minuebatur, ut Brissonius, Sigonius, alii ista exposuerunt¹. Baldus simplicem adhaerentiam istam dicit, et ex ea solum uno casu esse alteri foederato iurisdictionem maiorem: qui est notatus casus in fine septimi capituli Pandectarum de captiuis². Ait Romanus, solere minus potentes adhaerere potentioribus, non ut fiant subditi, sed ut defendantur³. Minus hoc est, quam esse sub protectione: et tamen sub protectione aut commendatione esse non est esse sub iurisdictione, sed sub defensione facti ab iniuriis et uolentiis et ea per milites, armaque⁴. Ridiculus est Bartolus et non nemo alius, et Alciatus causae inseruit, dum aiunt foederatos Latine loquentibus subditos esse, non socios aut adhaerentes⁵. Imo subiectio nec est dare aliquid in signum superioritatis⁶. Et uere nec subiecti dicebantur Poeni, Macedones, alii, qui tributum tamen pendebant annuum. De priuilegiis est quaestio, si quid datum sit priuilegii nomine, id an pro arbitrio dantis recipi possit: et rex Galliarum ita credidit: qui omnia quasi priuilegia reliquit Genuensibus, pacta esse noluit: ut in sua potestate esset, illa reuocare⁷. Reuocari scilicet priuilegium posse creditur, non pactum, aut contractus, siue

¹ l. 7. de cap. (D. 49. 15); Briss. 4. de Form. ² Bal. 5. cons. 506. ³ Rom. cons. 417.

⁴ Alex. 6. cons. 13; Decia. 3. 117. ⁵ Alc. 7. cons. 13. ⁶ Castal. de Imp. Q. 109.

⁷ Guicc. 7; Iustin. Ann. Ge. 6.

distractus¹. An itaque illud est, quod donata reuocari posse audimus? Audi, ecce, senatum Romanum Uolsis respondentem, 'Nam si donatos 'nobis agros poenitentia ducti repeteretis, iniustum esset, eos non restitui 'pristinis dominis, quorum uero dominium iure belli amisistis, hos iam 'alienos iniuste repetitis².' Et quod senatus Romanus Uolsis, id Philippus rex Macedoniae Romanis: hos dedisse sibi ciuitates quasdam: et quod si suum munus, qui dedissent, adimere uellent: scire se, cedendum esse. Data repeti potuisse, declarat grammaticus uetus, laudatus, Hieronymi praeceptor: et sic distinguit a deditis³. quod et aliquis interpretis iuris politus⁴. Dona, nisi et fierent propria, sic sanc reuocabilia fuerint, non perpetua. 'Beneficium homini proprium quod datur, proprium crit. 'quod datum utendum est, id repetendi copia est, quando uelis.' Plautus⁵. Et Lucretius⁶ amorem proprium pro stabili et perpetuo dixit: quod eruditissimus Gifanius obseruat. Et Uirgilius sic de uxore perpetua, 'propriae amque dicabo⁷.' Et de stabilibus muneribus, 'Si proprium hoc fuerit. 'Propria haec si dona fuissent.' Et de stabilibus sedibus, 'Da propriam 'Thymbrace, domum' et 'Hae uobis propriae sedes.' Et Horatius, 'Ut 'propria haec munera faxis: 'qui alibi, 'Si proprium est, quod quis libra 'mercatur et aere⁸.' Et Cornelius Nepos, 'Parua munera diutina, locupletia non propria esse consueuerunt.' atque alibi, 'Lysander decemuiros 'ubique constituit: nec admisit in eorum numerum, nisi se illius fore 'proprium fide confirmaret⁹.' Et sic igitur Macrobius, 'Proprium habere 'diceretur, si semper tenere liceret¹⁰.' Et sic grammatici alii. Itaque donationes illae fuerint precariae potius: ut etiam precariae appellantur aliquando donationes: et quae utcumque data reuocari et ab haeredibus et ab ipso datore ualent¹¹. Aliae fuerant donationum infirmitates¹²: et nunc quoque reuocari donationes in quibusdam casibus, in quibus alienata alia non reuocentur, constat¹³. Etiam scribit Baldus, nec probare habere

¹ Alex. 2. cons. 216; Ceph. 155; Alc. 5. cons. 105. 132; Bal. l. 2. de his, qui su. (D. 1. 6).

² Dionys. lib. 8. c. 10; Liu. 39. ³ Don. And. ⁴ Hol. Inst. de nox. ⁵ Plau. Tri. 5. 2. u. 7.

⁶ Lucr. 4. u. 1141. ⁷ Virg. Ecl. 7, Aen. 1. 3. 6. ⁸ Hor. 2. Sat. 6. u. 5, 2. Ep. 2. u. 158.

⁹ Corn. Nep. Thrasib. et Lysan. ¹⁰ Macr. 1. Sat. 21; Scho. 3. Ueris. 3; Seru. 1. Aen.

¹¹ l. 2. 12. 14. 15. de prec. (D. 43. 26); l. 32. de don. (D. 39. 5). ¹² l. 35. C. de donat. (S. 54).

¹³ Bal. 1. cons. 338 tit. C. de re. don. (S. 56).

principem donatorem, nunc reuocantem donata, de ingratitude. quoniam uenire in odium principis, id sit satis magna causa ingratitude. Minores reuocant ex sua persona bona maiorum donata per medios. nec repelluntur, quasi quos teneret actio de euictione, ipsos repellat exceptio magis. nam euictio in donatione non est¹. Donatio dicitur neque contractus esse, neque pactum². Et haec plura. Etiam ut possit princeps auferre ab eo rem, cui quaesita res fuit facto eiusdem principis³. Priuilegia igitur reuocari possunt. Et id certum atque receptum. Sed priuilegia mera. Ecce enim datum pretio priuilegium non reuocatur, quia magis est contractus. non reuocatur nec ex potestate absoluta, imo nec ex iusta causa secundum Socinum ac Ruinum⁴. Etiam concessum ob benemerita transit in contractum: nec reuocatur⁵. Et quod mixtum (ut ait Andr. Alciatus) cum iure communi est id nec subditis reuocatur. Adstringitur enim princeps suis contractibus. et nec potest aut ex iure quaerendo minuire; aut per potestatis plenitudinem; aut propter nouam et iustam causam⁶. Extra subditos haec tanto sunt certiora, quanto cum aliis princeps est quasi alius priuatus: ut sic recepta opinio est contra Ioannem Andreae: qui etiam cum non subditis facere uidetur principi potestatem discedendi a contractibus⁷. Illa autem potestatis (tempestatis, dixit Baldus) plenitudo nec est nisi aduersum subditos: nec iure ciuili cognoscitur: et nihil est aliud quam uolentia; ut ut alio uerbo modestiori utuntur interpretes⁸. Princeps cum subditis contrahens, tenetur eis iure naturali, gentium et ciuili⁹. Pacta, quae naturalem iustitiam habent et aequitatem, seruanda esse per summum quemuis principem et subditis: et, pactum his factum de arce non aedificanda seruandum, responsum est¹⁰. Perfecto si princeps aliis non obligaretur, ei nec obligarentur alii: ut regula poscit correlatiuorum: et principi interdiceretur commercium, et fieret sicuti exul, qui est omnium praesul; ut inquit Baldus, et probant innumeri

¹ Alc. 9. cons. 97. ² Alc. 9. cons. 110; Cuiac. Nou. 119. ³ Goz. cons. 8.

⁴ Dec. cons. 604; Alc. 5. cons. 23; Ceph. 451. 549.

⁵ Alex. 1. cons. 101, et lib. 2. cons. 109; Rom. 436. ⁶ Ceph. cons. 58.

⁷ Castr. l. princeps, de legi. (D. 1. 3). ⁸ Alc. l. 25. C. de pact. (2. 3), et 4. cons. 5, et 5. cons. 23. 132.

⁹ Dec. 1. cons. 25.

¹⁰ Rom. cons. 12.

rationem¹: et haec plurima: et quod princeps est quidem supra omne ius posituum, sed et possit se subicere et subiectus sit rationi: quia et creatura rationalis est, itaque nec ualere eius facta contra rationem, et itaque obstringi pacto feudi, pacis, transactionis, etc. priuilegium quoque non reuocari ab eo simplex de congruentia ac ordinaria potestate. Quae idem Baldus omnia².

Sed supradicta tamen omnia non sunt pariter certa. Ecce uerius sit, non posse priuilegium sine causa reuocari³: et non esse ita fragilia quae facit princeps, ut uel de absoluta potestate reuocari possint: etsi ratio potestatis reuocandi haec uidetur, ut subditi semper seruiant cum timore et reuerentia⁴: et in successore quoque malum sit consilium dicere, posse eum reuocare gratias precessorum: quia sic et gratiae eius reuocari poterunt. itaque esse satius, simplicitati stare et bonae fidei. Quae itidem Baldus. Attamen quod possint reuocari priuilegia ex causa et alii tenent: et uerissimum mihi uidetur. Reuocari priuilegium, quod postea nocere incipiat, Panormitanus et alii tradunt: uires anittere statim ac incidit in iniquitatem: et reuocari cum primum timetur, ne in abusum deuegat. atque id genus alia putem ego uerissima: etsi scio reiecta nouissime Ioanni Cephalo⁵. Etiam illud est considerandum hic, quod nec fiet priuilegium non gratuitum, si quid leue reponitur in compensationem: ut de donatione, alia qua re remuneratoria, docent omnes: neque enim quodlibet onus facit titulum onerosum. Et ergo hic quoque contendo, non fieri Hansiaticis ciuitatibus iniuriam, si quae illis tributa sunt priuilegia ab Anglis regibus, imminuantur nunc aliquantum: cum nec uinci possint oneroso prorsus concessa titulo; et in grauissimum ipsorum Anglorum mercatorum exeant damnum, adeoque et in iniquitatem: dum externos meliori facerent conditione, quam suos. Disceditur propter magnum damnum, quod alii et Alciatus. Atque magnum damnum quod sit, etiam alii explicant⁶. Magna hic aequitas mihi uidetur Anglorum: qui aequale sibi et Hansiaticis petunt ius: dum alii exteri ferunt multo iniquus. Sed et de hoc Angli uiderint iurisconsulti.

¹ Bal. l. 31. de legi. (D. 1. 3); Dec. cons. 286.

² Bal. 1. cons. 248. 316. 327, et 5. cons. 300.

³ Alex. 5. cons. 3; Alc. 5. cons. 23.

⁴ Bal. 1. cons. 326.

⁵ Pan. c. ad haec de cl. non resid. adi.; Ceph. d. 549.

⁶ Bar. l. 76. pro soc. (D. 17. 2).

Dictum uetus et in ore etiam puerorum, 'Recte data non adimi'.¹ Haec igitur sit et regula. At uidendum, si sint recte data: quod (ut dicam unum adhuc) negare de priuilegiis Hansiaticarum Angli possunt. et quoniam priuilegia illa sunt in successiua datione, etiam addent Angli, posse se negare, nunc dari recte: etsi data recte negare non possent.

Concludo autem ex his omnibus in quaestione nostra, satius esse, priuilegia indulgere quam foedera pacisci. Et hoc Lentulus monebat, ne Poeni foedere acciperentur: id enim saepe uiolari per praetextus, qui ex controuersis nascuntur facile: at non sic euenire in priuilegiis; ubi quicquid accipitur, non est quasi debitum capienti, nec pacto imputatur, sed deputatur gratiae et tamquam alienum cognoscitur.² 'Quem modum esse beneficii sui uellet, ipsius aestimationem esse, qui dedit,' Neratius consultus respondit.³ In foederibus etiam leges foederis iniquae praetexi solent: ut idem aiebat Romanus senator. Cum subditis etiam seruantur foedera difficillime omnium: quod Bodinus uerissime.⁴ Indignantur enim principes agi secum a subditis tamquam ex aequo et ex signatis tabulis obligationum. Etiam Hispanus modo abnuit, cum Lusitanis pacisci: quibus priuilegia obtulit ultro et largiter.⁵

CAP. XVII.

De agris et postliminio.

DE agris, locis, aedificiis nunc dico, manere omnia in potestate eius qui tenet tempore factae pacis: nisi cautum foedere aliter est. Nec enim redeunt in pristinum dominium, si hostes non expelluntur.⁶ Et ita Brasidas dicebat, non se recessurum de eo agro, quasi de Boeoto, quem armis tenebat.⁷ Quamquam sane caullaretur: qui iussus recedere de agro Boeoto, non potuit de alio intelligere, quam de eo in quo erat. aut recedere est non accedere: et id eo foedere cautum esset, ut deinceps in agrum Boeotum Brasidas, aut alius exercitus Spartanus non

¹ Plat. Protag. ² App. Punic. 64. ³ l. 191. de reg. iu. (D. 50. 17). ⁴ Bod. 5. de Rep. ult.

⁵ Connest. lib. 5.

⁶ l. 20. de cap. (D. 49. 15).

⁷ Thuc. lib. 4. c. 122.

progredetur. Etiam potuit tum esse quaestio, si Brasidas in cum agrum uenisset postquam foedus illud ictum a suis ciuibus fuisset et necdum tamen fuisset sibi nunciatum. Quem statum quaestionis magis puto Picennini fuisse contra milites Scanderbegi: qui captiuos fecere milites Picennini postquam ipsi duces de bello transegerant¹: quum esse iam non possent captiuus². At in quaestione agrorum insectorum ab hostibus, an tu putas, quod si fuisset cum Annibale pax ad portas urbis, Poenus eos agros, quos cum exercitu insidebat et censebat esse suos, retinuisset, et pax si fiat cum obsessa ciuitate, manebunt circumquaque agri omnes obsessoribus? Nam quid refert, siue prope, siue longe positi agri isti sint? An ita distinguendum tibi uidetur, ut quae insidentur, tenentur ab hostibus sic quasi a uiatoribus et quasi momenti causa, illa nec remaneant hostibus: quoniam nec animus eis fuerit, illa quaerere. Nec domicilium dicitur illic esse, ubi quis momenti causa est, sicuti in meritoriis, ubi tamen esse quis diu potest: ne quis mihi non ad causam, sed ad tempus referat momenti uerbum: ut sic explicauit in primo libro De legitimis temporibus³. Alucus fluminis publici est publicus⁴. Sed quod inundatum est, id publicum non est. Quod texit barbarorum inundatio pluries, barbaricum numquam fuit. Inundatio non mutat. Arces itaque oppida, regiones captae, manebunt hostium: at ager castrorum et statiuorum readquirantur pristinis dominis pace facta. Utque uidemus, ita fieri semper. Et itaque cauillatus Brasidas est dupliciter. Etiam est responsum, fundum manu captum ab hostibus tum esse capientium et perditum omnino esse primo domino, cum spes nec esset proxima recuperationis⁵. Pari porro ratione, si non conuentum de captiuis est, deque rebus aliis, manent omnia in potestate hostium. 'Pacem fecerat, captiuus (ita enim 'conuenerat) dimissus:' inquit Zonaras⁶. Et uero sic conuentum saepe et expressum legimus. simul et intelligimus, non dimitti, nisi exprimat⁷. Huius autem iuris fundamentum dixi, quod refugere in pace, aut recipere manu non licet. Belli tempore est postliminium. Quod si illo quoque tempore negatur aliquando: tum non gentium ius, sed ciuitatis spectatur.

¹ Scander. 10. ² l. 2. de au. et ar. le. (D. 34. 2); l. 4. de ma. ui. (D. 40. 2).

³ l. 5. de iniur. (D. 47. 10).

⁴ l. 1. de fl. (D. 43. 12); l. 7. de ad. re. do. (D. 41. 1).

⁵ Alc. 8. cons. 93.

⁶ Zon. to. 3.

⁷ Briss. 4. de Form.

Ita denegatur transfugis: quos tamen recipimus iure belli: id est, transfugae ipsi non redeunt per se ad suos: nec apud suos recuperant statum pristinum: sed sui transfugas recipere possunt, quasi rem suam¹. Sed hic quaestio est, si, quemadmodum de captiuis diximus, nec recipi debeant transfugae et fugitiui facta pace. Et de his utique reddendis simul cum captiuis exprimi in foederibus solitum. Et sic ciuitates integrae et prouinciae sic transfugissent ad hostem, nec reciperentur postliminio in pace: cur singuli homines recipiuntur? Ut totum ad totum, ita pars ad partem se habet². Si bellum iustum inter publicum et publicum: etiam iustum inter militem publici et alterius militem. Si iustum non reddere ciuitates transfugas: etiam erat ius non reddere transfugam ciuem. Etiam in bello lex uidetur negare potestatem recuperandi transfugam: atque inter eum et fugitiuum notat differentiam, quia 'de sua qua ciuitate cuique consti-
'tuendi facultas libera est, non de domini iure³'. At hoc itidem illud est, quod non recipiatur transfuga in statum pristinum: ut bene etiam alii declararunt. Hostis est transfuga: et quasi hostis capitur: etsi saeuus cum eo agitur quam cum iusto hoste.

Item naues quaedam, arma, uestes, non redeunt in pristinum statum: hoc est, prioribus non recuperantur dominis⁴. In quo differunt mobilia haec ab immobilibus: siquidem immobilia amittuntur etiam sine culpa: cum portari nequeant in tutum. Olim autem aut omnia, aut multo plura, quam per leges nunc, uidentur ad priores dominos rediisse. Et sic simpliciter Polybius, 'L. Aemilius praedam de uictis Gallis
'captam restituit eis quorum fuerat:' et Liuius, 'Praeda de Uolsis
'capta in campo Martio omnis exposita, ut suum quisque cognitum
'abduceret⁵.' Et is, ita saepius factum, narrat: etiam ut socii sic recipere possent⁶. Quod mihi ius omnino iustius, aequius, esse uide-
tur: de quo tamen non disputo contra magnos iuris nostri auctores. Etsi quaestio haec in eo spectat ad nostrum tractatum iuris gentium, quod docet, quibus aut rebus, aut personis tribui, nec ne, debeant iura hostium. Ultimis igitur Occidentalis imperii temporibus ualuisse ius nostrum ciuile

¹ l. 19. de capt. (D. 49. 15); l. 51. de ad. re. do. (D. 41. 1).² Ficc. 6. Ci. Ph. 21;

l. 76. de re. ui. (D. 6. 1).

³ l. 12. de capt.; Don. 4. com. 21.⁴ l. 52. de capt.⁵ Polyb. lib. 2. c. 31; Liu. lib. 3. c. 10.⁶ Liu. 4. 5. 10. 24.

uidetur. Nam Boethius scribit, 'Postliminio redeunt homo, nauis, multus
'clitellarius, equus, equa, quae frenos recipere solet, id est domita'¹. Sed
et olim sic fuisse rerum aliqua distinctio uidebitur: ut ita ex Gallo ait
Festus, 'Seruus redit in potestatem eius, cuius antea fuerat. equi et muli
'et nauis eadem ratio est.' Non igitur omnia ad priores dominos reuer-
tebantur. At uero Iustiniani nouo iure restituuntur armenta prioribus
dominis: et simpliciter bona, etiam successoribus usque in tertium gra-
dum²: et generaliter omnia iure canonum³. Sic Alexander, Alciatus,
alii quidam, quos sequor, censent restituendas res primis dominis: siue
recuperatae sint incontinenti, id est ante quam ductae infra praesidia
hostium sint: siue (quod obseruari in Italia et uulgo aiunt) quum adhuc
apud hostem non pernoctarint: siue recuperatae ex interuallo sint⁴. Alci-
atus adfirmat, nec putat distinguendum, iusto, an iniusto bello amissae
fuerint: quoniam non sit miles audiendus noster, qui dicat, abstulisse
nobis hostes iuste: et itaque nos dominio excidisse: cur enim qui defen-
dere nostra habet, is nostris sic frueretur? Quae sine flagitio amittuntur,
ea cur non prioribus dominis recuperentur? Quid autem de his qui non
dedunt se uictos, sed deduntur a suis, ut satisfiat hosti in obligatione in
qua sunt qui deduntur? Et recepti ab hostibus desinunt esse nostri. Si
non recipiuntur: non quidem obtinuisset deditio censebitur: ut nec donatio
sine acceptione intelligitur⁵. Sed, nostros esse desiisse, uerius est⁶: sicut
res pro derelicto habita desinit omittentis esse statim: etsi alterius non
fiat, nisi possessaque ab altero est⁷. Consideres scilicet duo in deditioe,
expulsionem de sua ciuitate et translationem in ciuitatem alteram: et
ita ius nostrum Iustinianicum non aduersabitur aliis qui de his deditis
scribunt, nec ullo modo ineptum erit: ut hoc ineptus ipse accusat Bodi-
nus⁸: quamquam et ius controuersum id fuit, adeoque nostri conditores
iuris potuerunt partem sequi quam uoluerunt.

Atque hactenus de his. Nunc aliquas addo quaestiones de agris. Argiui
cum Atheniensibus olim expostularunt, ut quando in foederibus scriptum

¹ Boeth. Cic. Top. 8.² Nou. 36, et Prag.³ c. 1. 16. q. 3 et c. 1. 34. q. 1.⁴ Alex. Alc. alii. l. 1. de ad. po. (D. 41. 2).⁵ Cic. Top. 8.⁶ l. 4. ult. de legatio. (D. 50. 7).⁷ l. 1. 2. pro derel. (D. 41. 7).⁸ Bod. 1. de Rep.

esset, ne utri per ea loca, quae suae ditionis essent, sinerent hostem transire, Athenienses suo mari permisissent transire Spartanos hostes¹. Iusta expositio: quoniam mare portio terrae: ut gymnosophista respondit, et agnoscunt nostri². Mare adiacens pars ditionis est, et territorium de terris dicitur et de aquis³. Ne quid dicam de Uenetis aliisque, qui integra maria sibi uindicarunt: sed et proditor dicitur feudatarius, qui permittit gentem transire inimicam⁴. Secunda est illa quaestio, quae ex distinctione finium in diuidendo regnum Neapolitanum nata est inter Hispanum et Gallum⁵: nam fines his erant nominibus demonstrati, quae aliud olim, aliud postea significabant: et uetera Galli, praesentia Hispani urgebant. Nostri uero interpretes docent, intelligi actum de proximis, praesentibus, immediatis, terminis et finibus⁶: et ergo ratio praesentis significationis nominum habebitur. Et mihi certissima definitio uidetur per multa, quae dici possunt de usu uerborum, significationum norma atque arbitrio. Tertia est quaestio, an recte abbas Panormitanus responderit de capite pacis inter Burgundum et Austriacum, ut quaesita usque ad conclusionem pacis essent Burgundi: non ea quaesita uideri, quorum quaesita non esset ciuillis possessio: et hanc possessionem non uideri quaesitam, licet locorum habitatores fidelitatem Burgundo iurassent: quoniam subditi non habent ius eius transferendae possessionis⁷. Mihi ineptum uidetur in tractatu armorum de alia possessione quaerere, quam de ea quae ui et armis comparatur. Quum est quid captum de hostibus, nulla dubitatio est, quin et quaesitum capienti sit: siue iurarint ei fidelitatem captiui, siue secus. Non nouit istas uarias possessiones ius gentium, quo hic utimur uno. Non nouit simplicitas iuris gentium has formulas: inquit Baldus de utili et directo dominio⁸. Satis possessio iuris gentium, id est, naturalis. Et ergo quae etiam ex constituto est: quae et uera et naturalis est⁹. Et hanc tamen, effici hosti a subdito non posse crediderim: et cum Abbate responderim: nam colonus per ueram traditionem potest dominum

¹ Thuc. lib. 5. c. 56.² Plut. Alex.; Bal. l. 8. et ibi Barb. C. de impub. (6. 26).³ Bal. 2. cons. 195, 4. 54; Decia. 3. 123; Alc. l. 5. de iust. (D. 1. 1).⁴ Bal. Qui. Mo. Se. Am.⁵ Guicc. 5.⁶ Alex. 5. 35, 7. 81.⁷ Pan. 2. cons. 62.⁸ Bal. l. 5. de iust.⁹ Soc. l. 147; Rui. 5. 151; Alc. l. 18. de ad. po. (D. 41. 2).

possessione priuare, non per fictam, conducendo ab alio¹. Etiam hic dico, non considerari possessionem quae retineri nequit². Et itaque nec esse quaesita, quae retineri non ualent. Audi haec Baldi: quae et ille interpret dicit notanda³. Is dicitur occupare, qui sic incipit occupare ut possit conseruare et possidere: qui autem nequit tenere, nisi capiat aliquem locum principalem, is occupasse non dicitur. itaque si templum quis teneret, alter autem turrim, quae tamquam arx sit et unde pelli alter de templo possit, facile non cum definimus possessorem: nisi qui in turri est, sic esset circumuallatus et obseptus, ut nihil possit, nec abire⁴: tum enim diceretur teneri, non tenere: esse in possessione, non possidere⁵. Adde his, quod, quaesita tamen, perque momentum possessa, id est satis⁶. Et ex omnibus definias controuersiam, quae inter Caesarem et Gallum fuit, an solutus is esset foedere conuento donec ad ille Teruisium occupasset: nam, quo momento occupauit, perdidit⁷. Baldus possessionem tridui desiderat. Incurrit autem articulus quoque, si sufficit, exstitisse condicionem semel, etsi non duret. De quo dictum mihi libro secundo De condicionibus: ubi et aliud tracto late, quod itidem respondebatur Caesari, stetisse per ipsum, quominus Teruisium tenuisset. Et tertium afferebatur: quod pecunias pro urbe accepisset: quod illic abscondit iura omnia Caesaris. Quarta nunc est quaestio, quum quid raptum bello his est qui in societatem belli non uenere, sunt tamen eiusdem nationis cum hostibus. Et illis restituenda sunt sic iniuste rapta⁸: nihil enim peccauit cognatio⁹.

CAP. XVIII.

De amicitia et societate.

AMICITIA si contrahitur, aut si conuenit, ne contrahatur cum aliis: hoc nomine non leue aliquod significatur. Et ministeria quaedam debent,

¹ Alex. l. 3. de ad. po. (D. 41. 2). ² Decia. 3. cons. 74. ³ Bal. l. 1. de diu. re. (D. 1. 8).
⁴ l. 22. de ad. po. ⁵ l. 1. de ui. et ui. ar. (D. 43. 16). ⁶ Decia. 3. cons. 37. ⁷ Guicc. 9.
⁸ c. ult. ubi Caia. de rest. sp. ⁹ l. 22. C. de poen. (9. 47).

significatur foedere a Romanis contracto cum Laecdaemoniis, in quo dictum, ut hi uiuerent legibus suis, et nihil tributi nomine conferrent, praeter amicorum ministeria¹. Quae tamen fuisse quid modicum uidentur, et tributa coronaria, quae liberique ferebant Rhodii². Etiam conuentio, ut fratres sint, etsi fratres non facit, aliquid sane operatur³. ut sunt quoque responsa quaedam Decii reddita celsissimis Lantgrauis Hassiac⁴. Et notum est de Caesare, aliisque, quid fraternitatis nomine cum Aeduis Romani sibi esse censuerint⁵. An igitur non maius aliquid praestabit conuentio de amicitia, quae amicos facit? Aut conuentio de fraternitate et hoc habet, ut amicitia tanta coniuncti sint conuenientes, quanta essent coniuncti, si fratres essent? Sic respondit post alios Alcianus, pacta fraternitate societatem uniuersalem omnium bonorum contractam intelligi et publice et priuatim⁶. Conuentio fraternitatis simul et amicitiae tanto stringet arctius. Et eam a Romanis scriptam Batauis fortissimis scimus, BATAVI FRATRES ET AMICI P.R.: ut est in ucteri lapide⁷. Ergo audire Bodinum non oportet: qui censet, per amicitiam contractam deberi nulla auxilia⁸. Atque Baldus respondit, unum etiam esse corpus duarum ciuitatum propter amicitiam⁹. Sed et refutatur Bodinus perpetuo Romanorum iudicio, cogitantium, sibi necessaria pro amicis bella. Aut quid tribuit ista conuentio et istud nomen amicitiae? Priuatus utique si priuato amico non ferret auxilium, laesisset grauius iura amicitiae uideretur. Quid ni idem in publicis personis fuerit? Atque loquimur nos de priuatorum amicitiiis, quas uidemus communiter: non ab illis argumentamur, quas philosophia fingit nobis; et quas uidemus nullas; sed tantum legimus nonnullas. Perfectae illae amicitiae habent communia amicorum omnia. Et multae sunt aliae inter has amicitias differentiae¹⁰. Amicitias dicimus hic, quales considerat ius nostrum, hoc est, usus hominum¹¹. Forte tamen eo casu potest uera esse Bodini sententia, si amicitia cum externis contracta esset: id est, cum iis qui natura ueluti hostes

¹ Str. lib. 8. c. 5. ² Suida. ³ Alex. 6. cons. 141, ubi Nalla. ⁴ Dec. 516. 524. 655.

⁵ Cic. 7. Fam. 10. 1. Att. 16; Tac. 11. Ann. 25. ⁶ Alc. 8. cons. 91.

⁷ Leuncl. Dio lib. 69. c. 9.

⁸ Bod. 5. de Rep. ult.

⁹ Bal. 2. cons. 29.

¹⁰ Pic. 7. Ci. Ph. 15. 20.

¹¹ l. 223. de U. S. (D. 50. 16).

habebantur: aut etiam cum his quibuscum bellum gerebamus: nam cum primis restituta naturae amicitia vera, communis uidebitur; cum secundis ipsa quae ante bellum communis erat. Aut num putas eam restitutam, si qua intercesserat ante bellum singularis? Sane si non contrarius actus intercessisset, bellum, putarem sine dubio restitutam, etiam et continuatam priorem amicitiam. Et in id afferrentur aptae definitiones iuris ciuilis¹. At extinctum quod est, id per generalia uerba non reuiuiscit². Redit res in naturam suam originalem, absque qualitate extranea et accidentali, quae erat a speciali contractu³. Alias cum ad aliquam familiaritatem quilibet obligatus sit naturaliter, specialis ista conuentio non potest aliquid praeterca non exigere⁴. Si societas iuncta sit et auxilia non debentur, quid uenit in communionem? Et igitur hic quoque debentur auxilia: et dixi de his etiam in primo libro. Solent autem principes et de hoc pacisci et de summa auxiliorum discrete. Quod fit cautius.

Notes uero, esse societatis genera duo, *συμμαχίαν* et *ἐπιμαχίαν*: illam, quum iidem utrinque amici sunt et inimici⁵, et quomodo obligare sibi socios Romani consueuerunt: alteram quasi ex dimidio, quum ferre opem habemus socio iniuria lacescitur, non etiam iniuriae illius sumus adiutores, aut inferendo bello⁶. Nam nec in priori societate id uenit, ut quo iure, quaeque iniuria adesse socius debeat: neque enim rei turpis societas intelligitur, neque confederati intelliguntur ad bellum illicitum⁷. Qui promisit defendere castrum, is nec defendere tenetur, si culpa eius cui facta promissio bellum mouetur: ut sic Alexander doctissimus⁸. Et Castrensis optimus, quod de necessario bello omnis eiusmodi pactio intelligitur, non de uoluntatio, id est, ut tu capere debes, de iusto, non de iniusto⁹. Scilicet iustum bellum habet semper necessitatem: ut ex necessitate bellum descendit: et neque ulcisci, neque praecauere iniurias nostras, aliorumue aliter ualeamus, aduersus cum qui sub magistratus imperio non est. Iustum bellum habetque semper aliquam defensionem. Et itaque dixerit idem Castrensis

¹ l. 13. § ult. loca. (D. 19. 2); Rom. cons. 459, ubi Mand. ² l. 10. comm. praed. (D. 8. 4).

³ Bald. l. 2. Cod. de acdil. edict. (4. 58).

⁴ Alex. 5. cons. 154.

⁵ Suid.; Thuc. lib. 1 c. 44;

Rhod. 11. An. Le. 6.

⁶ Man. 12. Fa. 15; Briss. 4. Form.

⁷ l. 57, ubi Bal. pro soc. (D. 17. 2).

⁸ Alex. 3. cons. 114.

⁹ Cast. 1. cons. 295.

recte, ad defensionem spectare eandem pactionem. Hoc certum in isto tractatu, quod qui tenetur defendere, etiam armis tenetur: etsi in priuatis id non est¹: et auxiliorum neque unum hoc genus est². Qui tenetur adesse personaliter, is pecuniariter magis teneri dicitur: etiam quum extra territorium alter gereret bellum³. In quo tamen ipse subsisto, si spectem pactum: non si simplex ius. Cum quis defensionem alteri pollicetur, non faciet suis sumptibus; si ex liberalitate est pollicitatio, non ex compensatione⁴. Et idem in protectione promissa, commendatione suscepta. Quando autem socius socio teneatur, siue ad defendendum, siue ad offendendum: id de primis disputationibus cognosci potest. Nam illic ostensum est, quatenus moueat quis iuste arma, uel iniuste: et hic est conclusum, iusto bello oportere adesse: et hic dicimus, tum oportere adesse, quum alter nequit necessitatibus suis prouidere⁵: et si quid aliter conuentum expresse non est. Quae Alciatus ad feudatarios tractat. Ubi hoc quoque, quod duces ad aliosque uasallum certi dominii non cogi iuuare principem in bello contracto propter alia regna: etiam si Turca bellum facit ecclesiae uniuersali, ut nunc in Ungaria, non teneatur tamen aut pecuniis adesse papae Romano dux Ferrariensis: qui subditus ecclesiae Romanae, quae distat ab uniuersali.

Nunc quaero, si cum pluribus contracta amicitia est: et illi inuicem bellum gerant: cui adesse oporteat? Et cum quis promisit duobus praestare aduocationem, eum praeferrere responsum late est, cui est promissum primo, si nunc alter contra alterum litiget⁶. Et idem in uasallo duorum, ut priori domino magis teneatur: quoniam in iure pari potior sit conditio quae tempus occupat. Et diserte sic consuluit Romanus, Comitem quendam regi Galliarum auxilia praebere oportuisse, non regi Anglo, tum gerentibus bellum inuicem: quia Gallo foederatus ille Comes prius fuit⁷. Mihi tamen ista Romani definitio non satis placet. Nam inter creditores personales non est temporis priuilegium⁸. Illud uerum est, quod cum occupasset Gallus

¹ Dec. l. 59. de reg. iu. (D. 50. 17); Deci. 3. cons. 117; Barb. 4. cons. 62. ² l. 19. de Sila. (D. 29. 5).

³ Alc. 3. cons. 2. ⁴ Barb. 4. cons. 62; l. 18. 19. 20. 21. 22. 33. 50. de op. lib. (D. 38. 1).

⁵ Alc. 3. cons.

⁶ Alex. 5. cons. 118; Ceph. 615.

⁷ Rom. cons. 47.

⁸ l. 7. depo. (D. 16. 3); l. 19. de re. iud. (D. 42. 1); l. 1. 24. quae in fra. cr. (D. 42. 8); Dy. c. 54. de reg. iu.

et tenuisset iam auxilia, Anglo post petenti, non debuerit Comes. Hoc ius est personalium creditorum in praecoccupatione situm¹. Quae occupatio et in momento est: ut idem tradit in captiuo plurimum, qui eodem tempore uocatus a suis capientibus, non ibit ad priorem, sed ad eum cuius litterae apertae prius fuerint, quasi praecuenientem. Nec me mouet Ulpiani responsum, 'In operis duobus simul locatis, conuenit, priori conductori ante satisfieri:' quo Romanus in illam definitionem mouetur². Est enim operarum praestatio successiua: per quam utrique satisfit, primum primo-nominato in locatione, nec secundo in exactione. Operae (inquit Castrensis) non possunt eodem tempore diuersis personis praestari. igitur praestantur priori: quia sic uidetur promissio facta secunda absque primae detrimento. At uero in quaestione nostra iuuaretur prior, laceretur alter. tantum abest, ut huic unquam satisfiat. Baldus hic distinguit inter personas et res: ut persona, quae indiuidua est, priori debeatur, per dictum responsum Ulpiani: res autem debeantur utrique³. Sed et Bartolus et alii sic accipiunt idem responsum in facto cohaerente personae⁴. Quare rarus illinc definiretur in proposito nostro casus, quum personae deberetur auxilium.

Sed mihi sic est sententia: primum ut ei feratur auxilium qui non in amicitia modo, sed et in ditione sit: etsi hic tempore postumet. Sic probo Romanos, qui contra Samnites socios ueteres pro Campanis nouis, at dedititiis, bellum susceperunt. Sic Uenetos, qui opem Constantinopoli ferunt: etsi pacti Genuensibus, nemini esse auxilio: erat enim Uenetis in ea urbe aliquid: adeoque rei opitularentur illi suae⁵. Ac ratio expedita hic est, quod sua tueri contra omnes liceat: et potuisse Romanos tum accipere in ditionem Campanos, id trado in libris de armis Romanis. Secunda est hic conclusio, ut uni auxiliemur, quum nec est aliter condicio par sociorum. In quo sequor Romanum et alios. Uerum paritas iuris considerari uarie potest. Heluetii ferunt Heluetiis opem contra alios foederatos: nam essent Heluetii foederati antiquiores. uerius, quia iuncti foedere sanctiori unius gentis et ueluti unius corporis⁶. Ut pacta uideri non debeant auxilia contra se ipsos. Priuilegia autem non

¹ Ceph. cons. 86. ² l. 26. loca. (D. 19. 2). ³ Bal. 2. cons. 291; l. 7. C. de adopt. (8. 48).

⁴ Alex. 5. cons. 122.

⁵ Sabell. 9. Enn. 6.

⁶ Guicci. lib. 5.

ex tempore, sed ex causa aestimantur¹. Et itaque uel si nullum ictum foedus sit diserte cum hiis quibus amicitiam debemus propter necessitudinem coniunctionis, non tamen auxilia aliis contra istos feremus, sed istis contra alios. Et prima promissio (inquit Castrensis) sic intelligitur, si cui de iure antea obligatus non sit². Et exemplum habet de scholari, qui non abire Bononia iurauit: quique uocatus a patre abiit: ut is periurus non sit. Optime uero legati Acarnanum Spartae, 'Dicite, utrum maius ' malum commissuri sitis, iura cum Aetolis seorsim inita negligentes, an ' ea transgredientes quae Graecos omnes concernentia scripta sunt? puta- ' tis, amicis sua deberi seruari iura? atqui tam sanctum non est, fidem ' scripto comprehensam seruare, quam profanum et impium in ipsum pub- ' licum corpus inimicando et bellando peccare³. Non contra ictum foedus negatur nunc auxilium: sed respondetur, foederis huc non spectare sententiam: quoniam quod non honeste promitteretur, id nec intelligi promissum oportet. Illis sic coniunctionibus ferendum est auxilium. Uidelicet ' stringit semper' (ut in Prouerbio est) 'indusium magis quam tunica⁴.' Et uasallus, qui domino militem promisit in omni bello, contra se non dabit, si contra se faciat dominus bellum; nec contra iunctos sanguine, nec contra patriam: neque enim uidetur quis contra se promittere⁵. Et coniunctos tueri debemus; et patria est omni persona maior, secundum omnes. Non intelligitur promissio contra suos; quia naturales illa exsueret affectiones; et itaque bellum contra naturam induceret. Tertia conclusio est, ut causae iustiori auxiliemur. Etsi enim foederatus non inuocetur iudex, sed aduocetur obligatus: tamen quia obligatio non est ad iniusta, utique nec iniustae feret causae opem. Et ergo dispicere foederatus de iustitia habebit. Exprimitur id aliquando, ut, si quis foederatorum alteri foederato bellum faceret, ceteri omnes iustiori causae opitularentur⁶. Quod indicium et ita ius esse. Et sic Romanus, aduocatum duorum iuuare eum debere qui litigat iustius: et eum in dubio, cum quo prius contractum est. Quae quarta erit conclusio in dubia re, ut aliquid et tempori deferatur: inque pari causa is sit potior qui est tempore prior.

¹ l. 32. de re. a. i. p. (D. 42. 5). ² Castr. d. l. 26. ³ Polyb. 9. ⁴ Ang. l. cum ita, de leg. 3. (D. 32).

⁵ Bsl l. 1. de diu. reg. (D. 50. 17).

⁶ Nat. Co. 3.

Ita idem Romanus ac Baldus, ut captius successiue plurium, si uocetur eodem tempore ab omnibus, redire primum debeat ad primum capientem. Quum et est dubium, quis duorum pluriumue petitorum agat pro iure foederis, quod quisque pro se citant, quinta erit conclusio, ut nemini auxilium praestetur. 'Duo sunt' (ait lex) 'Titii, pater et filius: datus est tutor 'Titius: nec apparet, de quo sensit testator. quare, quid sit iuris? respondit, is datus est, quem dare se testator sensit. si id non apparet, non ius deficit, sed probatio, igitur neuter est tutor¹.' Et aliae sic sunt. Et sic memorabile dicitur rectissime Massiliensium responsum ad Casarem in ciuili belli Pompeiani initio: esse se socios populi Romani: ceterum neque curiose inquirere, neque sufficere ad dignoscendum, utrius eorum causa sit iniusta. utrique aduersarios suos patriae hostes appellare. in quo ambiguo ualere debere, ut si amici more uellent absque armis ad se uenire, uterque reciperetur: neuter, si ad bellum². Sexta fuerit conclusio, ut defensio alterius foederati contra alterius suscipiatur offensionem. per multa, quae dixi de iure singulari defensionis. Etiam alienissimi defendendi sunt, accusantibus etiam amicissimis³: ut a maioribus ait traditam disciplinam Cicero: ne ullius amicitia ad propulsanda pericula impediremur⁴. Et hic uero ita temperanda res est semper, ut meminerimus, contra amicum facere pro periculo alterius. Suis et ponderibus examinandum hoc est, non solum quid cuique debeat, sed etiam quid cuiusque intersit: et quid cuiusque tempus a nobis poscat⁵. Salutis causa praeferenda laudi et alii cuique rei: quas habet ueras theses in orationibus M. Tullius: etsi hypotheses attexit fortasse non ueras. Uidendum est, defensio unde sit uere. Ne fauorabile hoc nomen captandae beneuolentiae, honestandae causae, querimoniis colorandis, fugiendo nomini contrario odioso sit per iniuriam. 'Mire defensionem uult esse, non 'accusationem:' inquit de Cicerone Asconius accusante Uerrem⁶. Et de Aristotele Baldus itaque, quod non is incipit, qui per iram aliquid facit, sed qui prouocauit ad iram⁷. Septima est conclusio, ut utrique foederato, bellum gerenti inuicem, non sit auxilium ferendum. nam auxiliaris

¹ l. 30, de te. tu. (D. 26. 2); l. 10. 21. 27, de re. du. (D. 34. 5). ² Dio lib. 41. c. 19.

³ Cic. pro Mur. 3. ⁴ Cic. pro Syl. 1. ⁵ Cic. pro Planc. ⁶ Asco. Diui. ⁷ Bal. 2. cons. 143.

suas inuicem committere copias, suos ciues, haud debet: non debet ciuile committere bellum, pila mittere minantia pilis. Recte Heluetii negarunt aliquando pugnare contra Heluetios, qui in exercitu altero contra stabant¹. Et recte reuocant auxilia a pontifice et Gallo, foederatis suis, interque se ipsos belligerantibus: etsi pontifex ratione secum initi foederis antiquioris petierit auxilia. Nam sic Heluetii responderunt, quod semper uerum est, indignum esse, ut duobus in exercitibus essent publica ipsorum insignia et milites. Hi Zapoletae illi essent, quos turpissimos et nefarios dicit Thomas Morus, qui mercenarii sunt in contrariis exercitibus². Et a Philippo exprobratum Aetolis olim sic fuit, quod uel aduersus socios, publica tantum auctoritate dempta, iuuentutem suam militare sinerent: et contrariae persaepe acies in utraque parte Aetolica auxilia habent³. Et afflictum crimen Genuensibus, quod, ut Herculis sacerdos aliquis apud Augustinum solus utraque manu alternante, dextera pro se, laeua uelut pro aduersario, tesseri ludebat, ita Genuenses in re seria luderent⁴. Quod si tamen auxilia essent alterius generis, ut commeatum, pecuniarum: tum afferri utrique possent et uero deberent. Aut quid est, cur contrariis partibus quis uendere, donare, non possit? Imo amici communes praebere communiter sic commercia solent. Et huius tamen exceptionis est exceptio, ut utrique foederato satisfacere foederatus possit. Audi. 'Si uagari per orbem terrarum uelit patronus, non esse iniungendam necessitatem liberto, ubique eum sequi, Proculus ait. Et si patroni plures consulto in diuersas regiones discesserint et liberto simul operas indixerint: posse dici, diem operarum cedere, sed libertum non obligari, Iulianus scribit: quia non per eum, sed per patronos staret, quominus operae dentur. sicut accidit, cum aegrotanti liberto operae indicuntur. Quod si diuersarum ciuitatum patroni sint et in sua quisque moretur: consentire debent in operis ab eo accipiendis. durum alioquin est, eum qui se liberare potest decem diebus operando, simul operis indictis, si in accipiendis non consentiant, compelli ad praestandam alteris quinque operarum aestimationem⁵.' Quae legum uerba et non inuicem pugnantibus

¹ Guicc. 12. 14.² Mor. 2. Utop.³ Liu. lib. 32. c. 34.⁴ Iust. Ann. Ge. 5.⁵ l. 20. 23. de op. lib. (D. 38. 1).

apta foederatis. Et sane etiam apta octauam hic constituere conclusionem: si foederatus nequit utrique satisfacere: et causa non est, cur uni magis, quam alteri satisfiat: ut neutri auxilia ferantur: uel, ut electioni sit locus. 'nam illud durum est dicere, si, cum duobus auxilium ferre non possit, 'elegit alteri esse auxilio, electione crimen cum contraxisse:' ut Ulpianus in seruo scribit, qui, cum omnes domini adgressuram paterentur, uni opem tulit, cum omnibus ferre non posset¹. Huic ego electioni non facio locum. (quicquid Baldus et Romanus faciunt) contra alterum pro altero foederatorum². 'Si non potest alteri subueniri, nisi alter laedatur, com' modius est alterum non iuari quam grauari alterum:' ut sunt Ambrosii uerba: et sensus iuris ac regulae, quae uitationem damni aestimat supra lucri rationem³. Quid ut uni foederatorum fiat dupliciter male, alteri ut fiat bene? Si duo fratres domini feudi bellum alter contra alterum gerant, neutri eorum adesse uasallus tenetur: quia ipsi sibi inuicem obstant, ait Baldus. Mutuo se impediunt foederatique: ut in aliis fit casibus, quos Romanus notat⁴. Si alter cum altero non gerit bellum et par est causa utriusque et diuisionem recipiunt auxilia: haec utique diuidentur, sicuti alia debita. Etiam duorum ligius alteri adest per substitutum⁵. Ut uero feudatarius duorum tenetur dominis iuxta proportionem feudorum: ita foederatus iuxta proportionem eorum quae utrique debet foederato, ut Baldus scribit: et est regula in omnibus dispositionibus proculdubio uera⁶. Aut si expressum de summa auxiliorum non est in foederibus, tum pro ratione necessitatis cuiusque auxilia distribuentur: quod naturalis docet intellectus. Si arctius foedus conuentum cum altero est, num illi etiam feretur auxilium soli? Et adfirmat Romanus. et conclusum ex secunda conclusione nostra uidetur. Ceterum in conuento hoc foedere ego substerim: quia de iure alius non possit imminui per obligationem cum alio contractam. Aut etiam istam arctiorem fingis posteriorem: et legem habes et Romanum ipsum, quemadmodum priori non nocet obligatio sequens: et clausula 'saluo iure prioris' intelligitur in confederatione

¹ l. 3. de Sila. (D. 29. 5).² Bal. 3. cons. 113.³ Ambr. 3. de Off. 9.⁴ Bal. l. 1. de diu. reg. (D. 50. 17).⁵ Cuiac. 4. Feu. 99.⁶ l. 8. 9. 10. de pact. (D. 2. 14), et Inst. de le. Fal. (2. 22).

posteriore¹. Aut et prior est, quae arctior, et certe non facit candide qui foedus cum aliquo contrahit, quem non facit certior, si quid sibi cum alio sit quod nouo foederi incommodet. Accusatur dux Mediolani, quod permiserit, de terra sua armatas ire naues auxilio contra foederatum. at excipit Dux, eas conductas hosti naues ante hoc ictum foedus². Et nemo negauerit, egisse Ducem cum foederato minus candide. Si secundus admonitus fuit de arctiore foedere, nihil habet quod conqueratur: ut istum quoque casum Romanus habet. Tum accusabit dolum et aget ad interesse, quum admonitus non fuit³. In foedere illo naturae necessaria non est admonitio: nam qui cum alio contrahit, uel est, uel esse debet non ignarus condicionis eius: alteri autem hoc imputari non potest, cum facta aliena iuste homines lateant⁴.

Nunc duo quaesierim. Si quis obliget uariis futura, an ex istis soluet aequaliter omnibus? Et respondit Castrensis ad illud idem Ulpiani, priori prius soluendum: licet enim eodem tempore incipiant obligari omnibus quae post quaeruntur, tamen ex intellectus ordine prius priori obligantur. Quod et communiter tenetur. Secundo quaero, an fuerit ridiculum, ut creditum et dictum est duci Gallo, quod iactabatur, bellum geri Parmense sine ulla offensione foederis inter Hispanum et Gallum: quum ille pontifici, iste opem ferret Parmensi, inuicem belligerantibus⁵. Ridiculum (inquirebat Brissacus) aduersus eundem hostem et non hostem pugnare eodem tempore: et nomina differrent, personae eadem essent. Lacedaemonii etiam uituperati, qui inducias quas proprio nomine condixerant, ex sociorum praetextu quibus ferebant auxilium, se non uiolare asserebant⁶: et illud sane turpe fuerit, quod per conductitios milites si iniurii Messeniis erant. Sed de sociis et bello illo Parmensi forte contrarium est: nam generalis est regula, ut semper attendamus ad id quod principaliter est actum⁷. Et in feudis ea est, ut semper attendatur persona quae principaliter offenditur. Per quae Alciatus respondit, Uldricum ducem Wirtembergensem non fuisse felonem in Ferdinandum, etsi mouisset arma in Carolum, cui Ferdinandi fuerant arma coniuncta. Sic Ueneti respondent, manere ipsis cum Gallo foedus,

¹ l. 2. q. p. i. p. h. (D. 20. 4); l. 25. C. de pact. (2. 3). ² Guicc. 3. ³ Alc. l. 12. C. de pact. l. 19. de reg. iur. (D. 50. 17). ⁴ Nat. Co. 4. ⁵ Iustin. lib. 3 c. 7; Paus. 4. ⁶ Alc. 3. cons. 36.

etsi auxiliarentur foederato Mediolanensi¹. Sic Philippus, non se expugnasse Cium, sed adiuisse Prusiam amicum². Atque hoc est, quod dixi in septima conclusione, contrariis quem posse partibus amicum esse et amicitiae officia exhibere. Et licet cum diuersis foedus contrahere: imo etiam et nunc cum inimico foederati, si iusta causa subsit; nec umquam intelligitur foedus ruptum ex solo actu uerbi et confederatione noua, quia et intelligitur ista inita in casu licito: ut de his Baldus³.

CAP. XIX.

Si foedus recte contrahitur cum diuersae religionis hominibus.

SED an licet foedus contrahere cum hominibus diuersae religionis? Atque est quaestio partim theologalis, tractataque theologis; partim et nostris tractata ciuilibus. Disputatur autem a Deciano nouissime per integrum responsum⁴. Et pro parte quae suadet foedus licitum, facit in primis exemplum Iosuae, qui foedus cum Gabaonitis contraxit⁵. Quo ego tamen exemplo non ualde moueor: nam, ad aliquod tantum foedus concludit: ut dicam. Et puto, nec potuisse Iosue inire cum illis foedus ullum: quicquid magni Bibliorum interpretes aliter censeant. Uidelicet sic Deus, 'Ne pangito cum iis foedus: neque gratiam facite eis, ne habitanto in terra tua, eiicietis omnes a facie uestra. omnino inter-
'necioni deuouete eos⁶.' Et sic neglectum mandatum hoc Dei a Manassis atque aliis tribubus, qui aliquos istorum populorum reliquerunt, etiam sub duris condicionibus tributarios, illi ipsi alibi notant interpretes et scriptura ipsa diserte attestatur⁷. Isti interpretes opinantur, fieri illud cum Gabaonitis et reliquis illis populis potuisse, non perstantibus in idololatria, pacemue non repudiantibus oblatam sub condicionibus sanctis, antequam ad ipsorum urbes accessum esset. Quae sane distinctio cum aliis ciuitatibus est, non cum deuotis illis. 'Sic facito omnibus ciuitatibus longinquis, quae e ciuitatibus istarum gentium

¹ Guicc. 3. ² Liu. lib. 32. c. 34. ³ Alex. 5. cons. 136; Bal. 1. 369. ⁴ Dec. 3. cons. 20.

⁵ Ios. 9 et 10.

⁶ Exod. 23. 24; Num. 33; Deut. 7. 20.

⁷ Iud. 1. Tr. Iu., et Iud. 2.

‘ non sunt; sed e ciuitatibus populorum istorum quas Deus dat tibi in possessionem, ne sinito uiuere ullam rem:’ ait Dominus. nec eas interpretum distinctiones admittit. Praeterierat illis deuotis populis tempus conuersionis et ueniae. ‘ Nouit Deus, cui parcat usque ad commutationem in melius: et cui parcat ad tempus, quamuis eum praescierit in melius non mutari: et cui non parcat ita ut uitae mutationem eius expectet: et cui non parcat, ut non mutetur in melius. ut sunt inscrutabilia iudicia eius¹.’ Et itaque Iosue interrogabat Gabaonitas, an essent ex illis populis, cum quibus pangi foedus non poterat: et Scriptura notat, in eo pangendo foedere consultum non fuisse Dei os: et pactum foedus male. Quod si tamen seruatum est pactum Gabaonitis, alia ratio eius est et quaestio. Potuit non seruari: sed reuerentia quadam iurisiurandi (ut dixi in disputatione De mendacijs) clementer seruatum est. Hic quaerimus, si potuit contrahi cum Gabaonitis: si potest contrahi cum hominibus diuersae religionis: non, si contractum seruari debeat. Cum Gabaonitis attamen potuit nec seruari. An cum Rachaba pactum itidem potuit non seruari exploratorum²? Quid enim si pacti fuissent cum tota ciuitate Ierichinorum? Ceterum non ego dubito, quin exploratoribus ea fuerit potestas paciscendi in his quae iuuabant explorationem: ut de his intelligis quae de pactis ducum conscripsi. Etiam nec est contra Rachabam quod contra Gabaonitas est: neque enim errarunt Israelitae cum illa, non decepti illa Israelitae. Etiam et pro ea est, quod tota illa res acta spiritu Dei est, indentis confessionem illam sanctissimam ori miserae mulierculae, ‘ Iehoua Deus uester est Deus in caelis supra et in terra infra:’ et uolentis eam seruari foeminam, de qua nasci seruator habuit. Et uerum est tamen, nihil horum consideratum uideri a Iosue: qui uoluit pactum Rachabae seruari: sed tantum iusiurandum exploratorum et meritum mulieris. ‘ Educite mulierem, quemadmodum iuramento promisistis ei. Sed Rachabam seruauit Iosue, eo quod abscondisset exploratores,’ etc. Numquam ea ratio dicta, quia sic liceret deberetque iniri cum illis foedus, deditibus se antequam Israelitae ad ciuitates quasi arietem promouissent. Quum murmuraret totus coetus contra duces qui pacti cum Gabaonitis erant: cur

¹ Aug. Exo. q. 148.² Ios. 2 et 6.

non legem obtinent duces, sed iusiurandum solum? Sic igitur non me mouet, quod Deus et in posteris punit non seruatum hoc foedus: in posteris Saulis, qui caecidit Gabaonitas, affectus zelo¹. Fuit enim zelus non secundum scientiam: nam quibus olim parsum fuit propter iusiurandum, eos post cecidisse Saul non debuit. Non me mouet, quod etiam Salamon sub tributum seruile fecerit, non deluerit, quosdam eorum populorum: quoniam iam delendi tempus praeterierat². Nolebat Deus, eos tum deleri: 'Non expellam eos a facie uestra. sunt uobis ad latera³.' Praeterierat sic per malum murmur pugnandi antea cum Hamalekitis tempus⁴. Praeterierat et sic tempus ingrediendi promissam terram. Illud me mouebat aliquando, quod legi, 'Nulla fuit ciuitas, quae pacem fecerit cum filiis Israelis, praeter Gabaonitas. omnia ceperunt bello. a Iehoua enim fuit, quod obfirmarent cor suum ad occurrendum bello Israeli: ut inter necionem deuouerit illas: nec fiet illis gratia: sed ut perderent eas, quemadmodum praeceperat Iehoua Moysi.' hic enim sermo significare uidebatur, potuisse et aliis his parci populis, sicut Gabaonitis, non occurrentibus bello⁵. Uerum neque iste locus facit aliquid. Etenim id dicit, obfirmatos eos ad occurrendum bello, ne parceretur ipsis, quemadmodum parsum Gabaonitis erat. non etiam dicit, parci illis potuisse: sed imo perdendos eos fuisse, quemadmodum praeceptum Moysi erat. Huc ad praeceptum. huc ad legem et testimonium. Praeceptum autem Moysi simpliciter de illis populis perdendis, non cum ulla distinctione fuit. Et ita etiam supradictis uerbis significatur. Indurati porro populi fuerant, ut contra ipsos iustior et euidentior foret causa belli internecini. Sic induratus Pharaos. Sic petit ab Emoreo transitum Moyses pacifice, quem perdere in terris suis habebat⁶. Ac notes, quod homines perdendi erant, non urbes. Itaque nec referendum ad supradictam distinctionem cum supradictis theologis, quod narratur, ciuitates quae cum aggere manserunt fuisse seruatas: tamquam ciuitates haec sint, quae obsidionem quidem exspectarint, sed dederint se antequam aggeres ui deicerentur: et sic reciperentur et seruarentur ex lege: etiam postquam accessum ad eas erat? Id ipsi illi

¹ 2. Sam. 21.² 1. Reg. 9.³ Iud. 2.⁴ Num. 14.⁵ Iose. 11.⁶ Num. 21; Deut. 2.

interpretes denegarunt¹. Etiam postquam obsessa fuit ciuitas? Id ipsa Scriptura etiam in aliis non deuotis ciuitatibus negat². Semper parci urbibus potuit, imo etiam oportuit, nisi singulariter constitutum de aliqua fuit. Parci illis solet quae munitae (hae cum aggere) supersunt.

Ceterum ad hoc primum argumentum nimis multa. Secundo igitur affertur exemplum Dauidis: qui cum rege Philistaeorum in exercitu erat contra Saulem et contra Israel³. Nos autem respondemus, aut male pugnatum fuisse Dauidem contra regem suum et gentem suam et hereditatem domini: aut non pugnatum fuisse omnino. Is enim ille est Dauid, qui tum persequebatur hostes Israelis bello mortali: et fingebat tamen, de gente sua praedas abigere, caedes facere⁴. Sane principes Philistaeorum per suspicionem infidelitatis Dauidem amouerunt ab exercitu suo. uel ita per istos principes consuluit Dauidi Deus, ne quid a pietate ac iustitia remotum faceret. Nam quis facta Dauidis omnia probat? Caedem Uriae, adulterium Bersabae, censum populi, accusatum mendacii Samuelem⁵. Quae res (scilicet, quod mentitum de regno suo Samuelem putasset) eum Philistaeis adiungere potuit. Tertium Achazi exemplum, qui cum Assyrio pepigit foedus, mouet omnino nihil⁶. Impius enim et improbus ille rex, et Scripturae uerbis late damnatus: et ipsum illud foedus improbatum. Non mouet quartum exemplum foederum a Macchabaeis initorum cum Romanis, Spartanis, aliis⁷. Quo utitur ante Decianum et Restaurus Castaldus in ista definitione⁸. Scilicet isti Macchabaei, utcunque hominum laudati ore, testimonium nondum tulere Dei, quo ipsorum facta omnia iustificentur. Imo et ab hominibus tulere contumeliae aliquid: quam antea alicubi recitauit. Et quidem sic exemplis aliis quibusdam responsum esse uolo, quibus respondere singulis longum foret. Mox uero affert Decianus, quod Paulus ad sui defensionem inuocauit Pharisaeos et milites infideles. Sed id taceri maxime potuit: nam a magistratu legitimo petiit defensionem Apostolus, quod semper licet. Secta autem proba Pharisaeorum in eo in quod a Paulo aduocabatur, de resurrectione mortuorum:

¹ Tr. Iu. Iu. 9.² Deut. 20.³ 1. Sam. 29.⁴ 1. Sam. 27.⁵ 2. Sam. 11. 12. ult.; Psal. 116.⁶ 2. Reg. 14; Ier. 13, ubi Tr. Iu.⁷ 1. Maccha. 3. 10.⁸ Cast. de Imp. q. 109.

et id nec est foedus contrahere : nec ullibi sic accipitur aut scriptor sacer, aut alius ecclesiasticus, qui sententias profanorum et suas consentientes dixit. Sic scriptores faciunt, ut de profanis profanos uincant. Sic Paulus, ut Iudacos uinceret de secta eorum frequentiori. Tertio notat Decianus, posse quemlibet militare et auxilio esse infideli regi : quod in Decreto¹. Sed hoc tantum est de subdito : qui etiam tenetur in id principi suo. Et ratio singularis illic est. Sed iam rationes efficacissimas se afferre Decianus ait : et quarto probat foedus, quia omnes leges et omnia iura permittunt corporis et fortunarum defensionem. Quae ratio est hic uana. Scilicet non propterea iura permittunt quamlibet et quomodolibet defensionem : quae hic quaestio est. Et falsissimum est argumentum quintum, quod liceat arte uti magica hic : ut de re ista antea exposui et alibi. Sexto addit, licere ex causa necessitatis communicare et foedus inire cum excommunicato². Ego tamen de foedere nihil lego. Contractum non dissolui per excommunicationem superuenientem, si excommunicato res prodesset, noceret alteri, hoc lego. et inquit per superuenientem : nam difficiliter soluitur contractum, quam impeditur contrahendum. Quem contractum? conductionis. Qui conduxit nauem eius qui postea excommunicatur, potest in naue nauigare, si nauulum soluerit, quod recuperare non possit. Illi qui naues conduxerant, cruce signati contra infideles. Ut nihil hic simile sit. Etiam nec est excommunicatus conferendus homini diuersae religionis : ut nec aegrotus mortuo. nam excommunicatio medicina est. Reliqua eius constitutionis non sat certa mihi : qui careo tertia Decretalium collectione : sine qua uix posse istam intelligi constitutionem, adnotatum est. At satis sunt tamen quae respondi. Commertium nec interdicitur cum infidelibus : neque lex Dei iubet nos de mundo exire : et lex omnibus humana iubet commercium cum hominibus omnibus³. De foedere, coniunctione singulari, hic quaeritur, quod licitum cum diuersae religionis hominibus, supradicta non conuincunt. Ego igitur facio plures casus. Dico licitum foedus uniuersale commerciorum : etiam de his foedus singulare, quale Isaaci cum Geraris, Dauidis cum rege Hammonitarum et Tyri, et cum hoc etiam Salamonis⁴. Item dico, licere sub non aequo

¹ c. 94. 11. q. 3. c. 4. 23. q. 1.² c. 34. de se. exc.³ 1. Cor. 1.⁴ Gen. 26, et 2. Sam. 5 et 10, et 1. Reg. 5.

foedere habere hos diuersae religionis: ut sic alii extra deuotos habentur per legem Dei: 'sint tibi tributarii et seruiant tibi:' inquit Dominus¹: quod adhuc nota pro religione uictis non immutanda: et ipsi illi Gabonitae sic sub seruitium accepti sunt. Et ex hoc dico, etiam posse non stipendiarios habere qui nobis militent infideles: ut ita cum rege Neapolitano, etiam et Bononiae Ueneto stipendio turma fuit Turcarum non admodum pridem². Quintus mihi est casus liciti foederis, quum cogitur ui fidelis esse sub infideli. Quod enim hic peccatum esse censebitur, ubi uoluntas abest? Iubet Ieremia, sub imperium regis Babyloniae Iudaeos ire³. Sic principes hodie aliqui et aliquae respublicae Christianae sub foedere tributarij sunt cum imperatore Turcarum, et totum redimunt detrimento partis. Sextus nunc est casus foederis aequi et armorum, de quo uidere bifariam oportet: nam aut arma fidelis coniungit cum infideli contra alium infidelem, aut contra fidelem. Contra infideles Macchabaeici et reges Iudae et his temporibus Lusitani. Atque foedus non mihi licitum uidetur. Ecce enim reprehenduntur illi reges Iudae: alter, quod regem Syriae uocauit in auxilium sibi aduersus ingruentem regem Israelis: alter, quod regi Israelis auxilio ierit contra Syrum⁴. Itaque nec ferre auxilium infidelibus, nec ab illis capere contra itidem infideles licet. Atque si non licet id facere contra infideles: quanto minus contra fideles licet? Uituperatum foedus contra Syrum: quod pro bonis Israelis recuperandis erat. Israel quasi gentes⁵. Uituperatum foedus contra Israelem: quod erat ad praesentem defensionem. Exitus non dico nunc istorum foederum: nam potest iusta causa succumbere per iustissimum, inscrutabile, Dei iudicium⁶. Ceterum ita maneo cum doctissimo nostri seculi theologo: qui negat, cum infidelibus arma recte coniungi umquam: etsi pax fieri, pax seruari, cum iisdem possit⁷. 'Cum omnibus pacem habete:' ait apostolus⁸. Et scripsimus nos, moueri bellum non oportere propter religionem. Non potest contra fidelem hoc foedus cum infideli contrahi: quia contra iustos hostes, religionis et consuetudinis et bellicarum legum

¹ Deut. 20.² Macc. Hist. 8; Guic. 9.³ Jer. 21. 27.⁴ 1. Reg. ult.; 2. Chr. 16 et 19.⁵ 2. Reg. 17, Tr. Iu.⁶ Alc. 7. de Si. Ce.⁷ P. Mar. 1. Reg. 15.⁸ Rom. 12.

seruantes adducuntur aduersi religione et expertes et plurimum contemptores omnis moris et omnis bellici iuris. 'Me non poenitet,' scribit Cicero, 'ab armis discessisse. tanta erat in illis cum barbaris gentibus coniunctio. Me Getarum, Armeniorum et Colchorum copias ad urbem adducere? Me meis ciuibus famem, uastitatem inferre Italiae¹?' Hoc istorum infidelium barbarorum, incendere, uastare, perdere. Horum est iniusto agere dolo, ueneficiis pugnare, internecinum gerere bellum, certe referre seruitutem sublatam de omni fidelium bello. Sic foedus non probo regum Galliae cum Turcis: per quod aliquando tot hominum millia, puerorum, foeminarum capta, abducta in perpetuam et intolerandam seruitutem. Etiam nec fidere infidelibus potes. Nam etsi iusiurandum potest recipi infidelis impium: infideli tamen qui fides²? Alexander nec dubitauit, fidem, quomodo postulabant Persae, dare³. Imo etiam Deus in iurando aptasse se ad morem gentium et infirmitati seruisse Abrahami aliquando, notat Cyrillus: et ab aliis talia post quoque notata sunt⁴. Sed hoc tamen nemo potest homo⁵. Fallitur Duarenus cum aliis, qui licitum Christiano scribunt, iurare per Maumthem, si illi sit res cum Turca, qui aliud iusiurandum contemnat⁶. Non licet per idola iurare, itaque nec per Maumthem: qui est idolum⁷. 'Addebat Sultanus, ut iuraret rex, se seruaturum conuenta. sin fidem falleret, ea addebat uerba, quae etiam rerum scriptoribus referre, effarique nefas sit:' ait alicubi magnus scriptor⁸. Iusiurandum erit per suum cuiusque cultum⁹. Et sic quidem exigitur¹⁰: nam et sic obstrictum putat se, qui per suum iurauit, non qui per alienum¹¹. Quamobrem prudentia potius fuit laudanda Abimelechi, qui sic exegerit ab Isaaco iusiurandum per suum Isaaci Deum: quicquid aequitatem laudent theologi¹². Et sic igitur possit iusiurandum intercedere cum istis infidelibus. Sed dic, quod rogo saepius, si illis fidere possumus? In eo, quod licitum illi faciunt in bello sibi: et est illicitum? 'Pacis quae potest esse cum Antoniis ratio, in quibus est incredibilis crudelitas, fides

¹ Cic. 9. Att. 12, et 11. 6.² Aug. Ep. 154; e. 16. 22. q. 1.³ Cur. lib. 7. c. 10.⁴ Cyril. 10. co. Iul.; adi. T. I. 15; Gen. 34; Jer.⁵ Deut. 6.⁶ Duar. 11. de iureiur. (D. 12. 2).⁷ c. 8. 22. q. 1.⁸ P. Aemil. 7.⁹ l. 5, ubi Bal. de iureiur.¹¹ Gen. 26, et 32.¹² c. 16. 22. q. 1; l. 5, ubi Bal. de iureiur.¹² Gen. 26. T. I.

‘nulla?’ ait Cicero¹. Etiam negatur haereticis seruanda fides². Et ergo haeretici nec fidem seruare necesse putent. Haeticorum nec esse iusiurandum, scribunt: etsi sit et Iudaeorum et Saracenorum³. Quod igitur uinculum hic fidei erit? Est quidem uerum in contrarium⁴. Sed Orientales theologi dicebant regi Hierosolymorum, pactum non seruandum in communi terrarum causa religionis⁵. Occidentales theologi Ungaro regi idem suasere: et cladem illam effecere lamentabilem, in qua ille cecidit rex et Ungaria ferme uniuersa. suasere Scanderbego: et lumina totius Europae profuderunt. At audi Guicciardinum, qui narrat, proprium id censerí pontificum, non curare promissa: esseque statutum, ut ecclesia, nullo obstante contractu, promissione, adepto beneficio, possit retractare obligationes et contra eas diserte etiam uenire, quas peregerint praclati solenniter⁶. Sic non tuto cum istis contrahitur: et nec itaque iidem contrahunt tuto. Et nec contrahitur iuste: quia haeretici nec iusti hostes sunt. itaque nec haeticis alii hostes iusti. Moncbat Gallus suos, non fidendum hominibus diuersae nationis et religionis, aut iurantibus: cui non obtemperarunt non sine magno malo⁷.

CAP. XX.

De armis et classibus.

POST haec de armis dicendum est et de classibus. Et armorum nomen latissimum utique est⁸. Sed in armorum hoc nostro iudicio de legitimis bellorum capimus. Quae qualia sint et indicauius libro superiore et incognitum esse non potest. De his igitur cautum existimabimus, si quid de armis cauetur in conuentione pacis: puta, ne armorum apparatus fiat: ne arma ad hostes deferantur: ut arma tradantur. Et quamquam cetera arma alio respectu haberi possunt; quaedam bello tantum apta sunt, ut

¹ Cic. 4. Phil. 6.² Hos. Ep. 197, seq.³ Bal. l. 5. de iureiur. (D. 12. 2).⁴ Iose. 9; Ezech. 17; P. Fa. 3. Sem. 18.⁵ P. Acmil. 5; Scand. 11.⁶ Guicc. lib. 8.⁷ Cedr.⁸ l. 41. de U. S. (D. 50. 16).

bombardae, siue murales siue campestres: quae tamen omnia apta proprie sunt non modo priuatis usibus, puta uenationibus, sed etiam isti publico bello, in huiusmodi conuentionibus uenient¹. Et sic usus ostendit perpetuus. An enim iussi arma tradere, sola tormenta maiora tradunt? Haec neque generali armorum, sed singulari ipsorum nomine notari solent: si de ipsis solis agitur. Et generali igitur nomine generaliter arma intelligantur: et ex subiecta tamen materia quae sint militaria. At quod foedere inter Austriacos et Heluetios pagos cautum est, ne arma Austriaca per uiginti millia passuum accederent ad fines Heluetiorum, id figura solenni dictum de armatis est². Et potest tamen deque armis ipsis intelligi: non si forte aut per fines, aut penitius territorium Heluetiorum uenhenda arma Austriacis essent: id enim Heluetii non prohibebunt: si commercia uiarum prohibere nolint, non prohibebunt, aut homines transire quasi uiatores: ne ueluti cingulo illo, solis ardore torrido, iungi alios alii, ipsi medii utent. Nunc (quod quaeritur) non possunt Ueneti, alii, negare Heluetiis, aliis, quominus sic transcant, arma transmittant ad ducem Caesarem Ferrariensem. Sed si ad Heluetiorum fines repositorium armorum fieret ab Austriacis, hoc Heluetii uctare possunt per foedus. quoniam facilius et uiri illuc expediti adducentur, et Heluetiis pericula crearentur repentina. Aduersus quam rem cauere etiam pacto expresso sic sibi Heluetii uoluerunt. Ceterum quem definiemus numerum armatorum? Uidetur de exercitu accipiendum uerbum. Sed exercitus qui est? Definitor coetus militaris uni duci subiectus³. At coetus iste quantus est? Certis definire numeris, ineptum est. Tres faciunt collegium; decem faciunt gregem; quindecim faciunt populum; etc.⁴ Sed exercitus sex legionibus et magnis equitum et peditum auxiliis a Cicerone definebatur⁵. Et nostri sic Iurisconsulti, 'Exercitum non unam cohortem, neque unam alam dicimus, sed numeros multos militum: nam exercitui praeesse dicimus eum qui legionem uel legiones cum suis auxiliis commissas administrat⁶.' Et Polybius, 'Romani quatuor legionibus exercitum complent, et perfectus apud eos numerus copiarum, ubi de summa rerum agebatur,

¹ Alc. d. l. 41.² Nat. Co. 3.³ Suida.⁴ l. 85. ubi Nos. de U. S. (D. 50. 16).⁵ Cic. 6. Parad. 1.⁶ l. 2. de his, qui no. inf. (D. 3. 2).

‘conueniebantque simul duo consules, ex sedecim millibus Romanorum et ‘sociis Latini nominis ad uiginti millia constabat¹’ Et haec quoque nec semper, nec ubique apta. Etiam nec constituo numerum hic mille hominum: a quo est nomen militis². Ait apud Liuium, ‘Speciem iusti exercitus fecissemus,’ de octo aut decem millibus³. Sed ut magnis imperiis nec is dicitur exercitus, ita maximus paruus sit. Rectius ex officiis, siue muneribus, et signis et maioribus tormentis cognosci res ista potest: ea enim habentur in exercitu, non alibi. Sic et de armis est respondendum; ut pro subiecta materia rem totam expendamus. Exercitus enim sic quoque nostris accipitur pro uno aliquo numero militum. Et sic arma capio ego in foedere supradicto: quoniam et cohors aliqua terrori esse et fraudi Heluetiis potest. atque, ne fieri utrum posset, cautum foedere uidetur.

Classem itidem determinare certo nauium numero, ineptum: qualitate nauium, aptius. Onerariae uix sunt ad bellum et arma. Sed nec rostratae sex uisae Floro classem facere⁴. Contra dicebat Hyperides, uiolatum foedus, quod uel una triremi in Piraeum Macedones appulissent. Scilicet et classis de navi una dicitur: et ut classem non faciat nauis una; lex tamen pacis in una non minus potest intelligi, quam in homine uno, quod interdictum proponitur de hominibus armatis coactis⁵: et de quo nostri ac Cicero explicarunt⁶. Sapienter et apte hic diuus Marcus, ‘Tu uim ‘putas esse solum, si homines uulnerentur?’’ Ego illicitum dixi modo repositorium armorum. Adde illicitumque militum etsi inermium coactum. Et isti enim instruere se armis per occasiones possunt et uim armatam inferre⁸. Neque uero callide controuersias, sed aequitate diiudicamus. et iura non literis exprimimus, sed utilitati communi: et hic dicitur, quantum spectat ad numerum, quemadmodum multitudine aut paucitate non est differentia speciei⁹. Etsi sit iniuria maior accedere cum armatis pluribus: et in statuto itaque puniente accedentes armatos nec intelligatur qui accessit cum armato uno¹⁰. Ea est et uulgo dicitur interpretatio statutorum Iudaica, quam hic ualde fugimus. ‘Et quam-

¹ Polyb. lib. 3. c. 72.² l. 1. de te. mil. (D. 29. 1).³ Liu. lib. 25. c. 6.⁴ Flor. lib. 1. c. 11.⁵ Seru. Aen. 6.⁶ l. 1. 3. de ui ar. (D. 43. 16); Alex. 4. cons. 85; l. 2. ui bo. ra. (D. 47. 8);

Cic. pro Caec. 15.

⁷ l. 7. de ui priu. (D. 48. 7).⁸ l. 3. de ui ar.⁹ Arist. 1. Polit. 1.¹⁰ l. 34. de iniur. (47. 10); Ias. l. Gallus (D. 28. 2. 29).

‘uis res de qua agitur minima uideatur, iustitiae tamen ratio non ex quantitate, sed ex suis regulis debet aestimari:’ ait antecessor Iulianus¹ et imperatores, ‘Dolus qualitate, non quantitate aestimatur².’ Et Augustinus, ‘Sicut eadem rotunditas est in magno disco et paruo: ita eadem ratio iustitiae est in paruis et magnis rebus³.’ Et Cassiodorus, ‘In qualitate est, non in quantitate peccatum, siquidem mensuram non quaerit iniuria⁴.’ Et Isocrates, ‘Non oportet considerare, an parum uerberari, sed an leges uiolauerit: uniuersa enim petulantia coercenda est⁵.’ Et huc definitiones iuris, dantes actionem, accusationem, uel pro re minima⁶. Solet foederis sermone aliquando auferri omnis eiusmodi dubitatio: et de una nauis cauceri: ut in foedere Cimonis Atheniensis cum Persis, ‘Ne extra Cyaneas Medica nauis bellico ritu nauigaret?’ De nauigatione uetita etiam in foedere Romanorum et Carthaginiensium⁸. Atque uides ex his, si defendi Turca potest, quem accusat P. Iouius, quod ex lacui offensione, uniusque tantum demersae triremis, suae cum Uenctis uctustissimae pacis leges abruperit⁹. Sequitur

CAP. XXI.

De arcibus et praesidiis.

ET prisca fuit consuetudo, arces aedificare ad securitatem et ad suppeditanda necessaria¹⁰. Et, iuris gentium esse munitiones, Isidorus scripsit¹¹. Et, ex iure gentium aedificia collata, Hermogenianus¹². Et Athenienses Lacedaemoniis, uolentibus urbem Athenarum sine moenibus, responderunt, exaedificare se moenia iure gentium¹³. Neque dubium hic est ullum, ‘Nihil est enim illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia, coetusque hominum iure sociati, quae ciuitates appellantur¹⁴.’ Nam moenia esse ciuitatibus oportere et arma, Aristoteles declarat¹⁵. Dubium est in finibus: ubi tamen

¹ Iul. Nou. 69. ² l. 10. C. de res. ue. (4. 44). ³ Aug. 4. de Do. Chr. 18. ⁴ Cass. 2. Uar. 12.

⁵ Isocr. eo. Lach. ⁶ l. 2. ui bo. ra. (D. 47. 8); l. 3. de bo. eo. (D. 48. 21). ⁷ Suida.

⁸ Brisso. 4. Form. ⁹ Iou. lib. 36. ¹⁰ Polyb. lib. 6. ¹¹ Isid. Ety. 5.

¹² l. 5. de iust. (D. 1. 1). ¹³ Corn. Nep. Themist. ¹⁴ Cic. Somn. 3.

¹⁵ Arist. 7. Polit. 11.

exstrui arces solent frequentius. Nam uicinis id semper periculosum est habitum. Sic Scythia ultra Tanaim rex ratus ceruicibus impositam suis urbem ab Alexandro uel cis fluuium conditam¹. Sic Etrusci indignantur. praesidium Romanorum ad Cremeram². Et Uolsci et Aequi fremunt ob communitam Uerruginem. Nobis hic de iure uidendum est: et quid arx sit: et quomodo aedificari arx in finibus possit. Neque enim (inquit Baldus) fortalitiū nomine uenit, quod non est forte: etsi sic appelletur: et olim quoque fuerit fortalitiū³. Et idem Alciatus, quod nequeat iam dici fortalitiū, aut domus fortis, quae undique aditum cuique habet, non murorum ambitum⁴. Et per contrarium ergo aedificatio fortalitiū, arx, etsi non ita nominetur, si ita in uero est. Et ergo notemus, quod si conuentum sit de arcibus non habendis, sed dimouendis, non istae intelligentur quae arces olim fuerunt, nunc non sunt. Item intelligi alias, quae quidem non ita nuncupentur, sed ita sunt tamen. Quamobrem uideri Sangenesiates ciues mei potuissent non bene olim aedificasse arcem Riparum, propugnaculum in finibus contra Firmanos, sub nomine nescio quo aedium. ut concessum de aedibus fuit nobis a Principe. Etenim idemque est domus fortis et fortalitiū: ut Alciatus ait. Arx igitur est ab arcendo hostes. et non est, nisi quae munita est aduersus arma et belli uim. Conuenire autem solent principes saepe in hoc, ne arces aedificentur in finibus⁵: nam sunt illae castra militaria, quo et appellantur nomine, ut Scipio frater in Originibus notat. Ergo citraque ullum pactum fuerit ex iustitia, nihili istiusmodi facere: quia castra admouere alienis ueluti foribus, non uidetur iustum, etsi in suo⁶. Et conuenire igitur uideris aliquando principes, ut haec fieri in finibus utrinque possint⁷. Ex consuetudine tamen mundi totius et haec solita et licita respondit Baldus et in finibus et ad aemulationem⁸. Ego de consuetudine puto idem fere. De iure quod addit, falsum est: ut uincit modo dicta a nobis ratio. Imo alii sic tradunt interpretes, non licere in proprio solo fortalitia facere, quae possint cedere ad aemulationem alterius principis, aut ciuitatis⁹. Uidelicet tueri quis

¹ Cur. lib. 7. c. 7. ² Dionys. lib. 9. c. 15; Liu. lib. 4. c. 1. ³ Bal. 3. cons. 112. ⁴ Alc. 5. cons. 21.

⁵ Procop. 1. Pers. et 2. de Iu. Aed.; Na. Co. 19. ⁶ Ias. l. 5. de iust. (D. 1. 1).

⁷ Herodia. lib. 4. c. 5.

⁸ Bal. 2. cons. 105, et 5. cons. 435.

⁹ Pan. 2. cons. 62; Rom. 52; Ias. d. l. 5.

debet ius suum, non iniuriam alteri facere¹. Ipse docet Baldus, nec uendere quem posse castri partem ad socii aemulationem². Sic et alibi deque arcibus saepius idem Baldus cum reliquis et respondit et docuit³; et contrarium dicit magis ex consuetudine. Fautorabile est, has tollere aemulationes: ut Alciatus habet: et malitiis non indulgere, etc.⁴ Difficultas aliqua in eo est, quando factum ad aemulationem uideatur: et quid istud sit uerbum hic. Atque aemulus uel est studiosus eiusdem rei, uel inimicus: atque ita aemulatio hic est inimicitia⁵. Et in dubio non uidetur fieri ad aemulationem⁶. Sed si damnum, incommodum, uicino procuratur, id fieri ad aemulationem dicitur⁷. Atque hic Baldus, quod cum intentione aedificantis concurrere habet aptitudo, uel actus nocendi. De intentione autem constat iudicari ex eo quod est principalius⁸. Si non necesse est fieri: si idem fieri potest aliter absque uicini iniuria: factum uidebitur ad aemulationem⁹. Etiam et quum facienti leuis est utilitas, uicino autem magnum incommodum: illicitum factum dicitur. Hic uero fuerit nodus. Nam Alciatus alibi tradit, considerari utilitatem quamlibet, ut in suo quisque facere possit quod uelit¹⁰. Uidelicet utitur re sua is, non abutitur: ut qui faceret ad nullam utilitatem. Et magnus semper est fauor, ut de suo quis facere possit quod uelit¹¹. Et ab eo uix disceditur illo casu, quod sibi non prodest et alteri nocet. Quod tibi non prodest, relinque: ait lex¹². Hoc generale, ut quis non admittatur ad id quod alteri nocet et sibi non prodest¹³. Ceterum si nec sibi quis, at prosit uel alteri, etiam facere illum in suo posse, quod nocet alteri, idem scribit Alciatus: quia nec dicatur ille facere, ut noceat principaliter. Atque mihi sic uidetur: non in leui tamen utilitate: et qua facile carere faciens potest. Leuia enim et spernuntur et ducuntur pro nihilo et semper adsunt. Et sic igitur, qui procurat suam utilitatem, is non praesumitur esse in dolo, nec habere animum nocendi, etsi noceat¹⁴. Suam etiam et alienam. Contra, si nec suam, nec alienam. Sed tamen si nulla inutilitas

¹ l. 1. quod ui. (D. 43. 24).² Bal. l. 1. C. qui te. fa. po. (6. 22).³ Bal. l. 3. de di. re (D. 1. 8), et 2. cons. 188. ⁴ Alc. 2. cons. 24. ⁵ Seru. Aen. 6. ⁶ Bal. d. l. 3.⁷ l. 3. § pc. de aq. plu. (D. 39. 3). ⁸ Ang. l. nauis, de l. Rh. (D. 14. 2. 4); Ceph. cons. 451.⁹ l. 1. ubi gl. ne q. i. f. p. (D. 43. 13); Rom. cons. 52; Alc. 2. cons. 13, et Ceph. 130.¹⁰ Alc. 3. Praesu. 23. ¹¹ l. 21. C. ma. (4. 38). ¹² l. 9. de imp. in res do. (D. 25. 1).¹³ Ceph. cons. 3.¹⁴ Dec. cons. 489.

mea aut alterius sit, utilitas autem alicuius est, non propterea ego facere teneor: quia magis tenemur, non nocere quam prodesse¹. Aliud Baldi extra controuersiam, non uideri ad aemulationem facere qui construit aut destruit ad defensionem, ad propulsandam aemulationem. Neque enim cuiquam facit iniuriam qui suae consulit securitati².

Sed aliud de aptitudine nocendi, quam satis esse non putat, ut aedificatio prohibeatur, mihi non placet per omnia. Inquit, aedificium in potestate nocendi non esse contra pacem: nam et posthumus ante natiuitatem non rumpit testamentum, et potentia, antequam deducatur in actum, assimilatur conditioni: unde interim nec est obligatio: et pacem non rumpi per grauem suspicionem, quae deducta in actum non sit. Et ego probo de non rupta pace: quoniam nec omnis iniustitia, etiam quae dare causam iustam bello potest, frangit pacem. Et uero id hic teneo, ex isto aedificio, apto nocere, causam iustam esse belli et discedendi a foedere: hostes namque sunt qui apparatus faciunt, ut nos oppugnent³. Et lege de sicariis tenetur qui caedem conatur, quiaue hominis occidendi causa ambulauerit cum telo⁴. Et paratus facere proximus est facienti⁵. Aut quid exspectare habemus, dum offendamur? Signa proxima causae significant effectum prope esse⁶. Cum id genus reliquis: quae dixi in primo libro. Paci contrauenit qui metum infert⁷. Sane: quoniam hoc ad iniuriam spectat⁸. At per id quod est in potentia, ut sit iniuriosum, numquam dixerim pacem rumpi. Et nec putem tamen simile de posthumo raptum simile esse aedificio iam constructo: cui potius sit similis posthumus natus potens uiuere: etsi non uiuat: qui imo rumperet testamentum: et itaque hoc aedificium rumperet pacem⁹. Alciatus sic post alios tradit, ruptam censeri pacem per armatorum collectionem, castrorum munitionem¹⁰. Sed sic quia id belli uideri principium potest et praesens metus inlatio. Et de pace rupta dico postea. Nunc uero absoluo de arcibus, quod si illae sunt aptae nocere, etiam sunt illicitae. Et ergo fieri arces nolim, quae aptae sint foederato nocere. Et quum nouum quid fieri prohibetur, ei nec addi, nec

¹ Alex. 6. cons. 203. ² l. 87. de leg. 1 (D. 30); l. 21. de aq. pl. (D. 39. 3). ³ Phi. de Sp. Leg.

⁴ l. 1. de sicar. (D. 48. 8). ⁵ Ias. l. 20. de no. op. nu. (D. 39. 1). ⁶ Cl. Al. 3. Pae. 11.

⁷ Ang. l. 14. quod me. ca. (D. 4. 2).

⁸ l. 15. de iniur. (D. 47. 10).

⁹ l. 3. C. de po. her. in. (6. 29).

¹⁰ Alc. 5. cons. 132.

detrahi potest, sed idem tantum conseruari¹. Illud nihil est, quod antea numquam in loco arx fuerit. licet enim condicionem suam facere meliorem, etiam cum detrimento alterius². Si fuisset arx et demolita fuisset per aliquas conuentiones; tum certum, exaedificari non posse. Item si aliquando uolens aedificare esset prohibitus, tantumque deinceps praeteriisset temporis quantum satis in hoc certo casu uisum legibus est. Et haec de arcibus aedificandis in suo. Nam in alieno aedificari non posse, semper est certius. Itaque Turca oppidum quoddam sibi dedit ab Hispano petiit, quod is in Turcico aedificasset³. 'Quod solo inaedificatur, solo cedit.'

Quae uero de arcibus dicta sunt, eadem sunt et de praesidiis dicta. Eadem et de qua alia simili re. Semper enim prohibito aliquo, siue per legem, siue per conuentionem, prohibetur etiam eius simile: quia non in modo, sed in qualitate est ius⁴. Itaque non probem ego Mediolanensium cautionem, qui iurati, muris numquam se munituros urbem, hanc fossis, aggeribusque confirmarunt, ita ut egregie defendi aduersus quemcumque impetum hostium possent⁵. Id enim erat quod prohibebatur. Ista et demolienda sunt. Et sic Baldus, quod liceat in ciuitate etiam aedificia perdere, quae aemulationem, incendium parere 'possunt'⁶. Praesidia si collocentur prope oppidum, aut arcem foederati: item si arx prope ad arcem excitetur, ut inde iacula, tormenta mitti queant: tanto est iniustitia facti euidetior, quanto est proprius periculum foederato admotum. Etiam concluditur ex huiusmodi propiori facto assumtumque factum uideri⁷. Et id ego dicebam modo de pace rupta per armatorum collectionem. Unde sequitur, quod si iste in quem factus insultus est facit ipse aliquid nunc, fecisse ad defensionem uideatur⁸. Neque enim soluunt hi pacem qui bellum primi mouent, sed qui per insidias foederum tempore arma capiunt: ut sic contra Iustinianum nostrum dicebant Armeni legati Persae regis⁹. Et hoc est sine dubio uerum, donec stat arx et praesidium prope. Etiam si tollitur non poenitentia facti, sed desperatione proficiendi. Sed nec poenitentia excusat, quatenus

¹ Ang. l. 6. de iu. et iu. (D. 1. 1). ² Alex. 2. cons. 174. 211. ³ Na. Co. 5. ⁴ Bal. 5. cons. 507.

⁵ Sigo. 14. de Re. Ita.

⁶ Bal. d. l. 3.

⁷ Bal. qui. mo. am. fe.; Alc. d. 132.

⁸ Dec. cons. 459. 469.

⁹ Procop. 2. Pers. 3.

aut quoties interest aduersarii: ut explicat Alciatus: aut delictum iam consummatum est. Atque satis de his quae caueri foederibus solent. aut ad foedera notari. Et quidem exempli gratia plus quam satis. Pax sunt capitula pacis¹.

CAP. XXII.

Si successores foederatorum tenentur.

FOEDERE inito quaeri ualde consuevit, si successores, de quibus nihil expressum est in foedere, continentur. Et nobilis et uexata quaestio dicitur, an rex decessoris sui pactionibus teneatur². Et responsum est, considerandum esse prius, quorum bonorum nomine se obligauerit decessor: nam esse quaedam, in quibus nec se ipsum obligauerit qui contraxit. Et hoc est, quod dixi antea in casu Francisci primi Galliarum, et ipse praedixit ante omnes rex: non se pacisci potuisse, ut quid de regno Galliae alienaretur. Nequeunt principes conuenire in detrimentum regni. quibus commissa tutela est, non dilapidatio: ut sic Baldus: et sic nos antea³. Finita causa (idem Baldus hic) finitum habet effectum: et principis potestas finitur morte: cum id genus plurimis. Tutor, curator, administrator, usuarius, usufructuarius non sic alienant, ut substantia rei salua non sit. Potest princeps uectigalia, alia emolumenta, alienare: non alia, nec quidem modica, in quibus modicum regno est detrimentum, si alienatio sit penitus, id est expropriatio⁴. Quae uideris apud Alciatum. Remouet autem Baldus uulgatum illud de donatione Constantini: de quo itidem ante est dictum. Non licet nec in minimo alienare: quia sic ad maximum, imo ad totum, deueniretur: 'caudaeque pilos ut equinae pau-
' latim uello et demo unum, demo etiam unum, dum cadat elusus ratione
' ruentis acerui⁵.' Possunt uero principes esse, qui statuere pro libitu de principatibus ualent: ueluti Turca: cui omnes serui in suo imperio. Isti alienantur: etiam qui soliti alienari. Tenet etiam obligatio successores,

¹ Bald. d. 195.² Hot. de Succ. Re. Ga.³ Bal. proce. Dig., et 1. cons. 327.⁴ Alc. l. 25. C. de pact. (2. 3); l. 111 D. de U. S. (D. 50. 16).⁵ Hor. 2. Ep. 1. u. 46.

si regni nomine percussum est foedus, aut si is sit princeps, cui haec et facultas sit¹. 'Imperator foedus percussit: uidetur populus percussisse 'Romanus: et foedere continetur². Aut etiam si in ea re est foedus, quam quaesit princeps non opibus et operibus principatus, sed suis: de hac enim statuetque quasi de patrimonio priuato: et ita uisum ex facto est non semel³. Sed generalis uidetur admouenda distinctio, an de bello solum transcriptum sit et facta pax; an etiam sit amicitia contracta et societas. Et priore casu obligati successores credantur: uel numquam posset pax existere, si successores exspectandi semper forent. Etiam legitimus administrator qui est, qui habet in potestate eos de quorum re agitur, transigit sane et, si facit bona fide, obligat eos ualide⁴. Principi autem tribuere minus non quidem possumus: qui pater patriae est: et subditos sic habet tamquam liberos⁵. Etiam tutor, cuius est omnino potestas minor quam principis, pacem pro pupillo facit: certe quum de iniuria aduersarii non constat liquido: et quum pupillo utilis pax existit⁶. Quae in hac pace publica esse intelliguntur per ea quae de utrinque iusto uolumus bello et de bellorum acerbitate perpetua et uictoriae incerto semper. Etiam de feudatariis, etiam de praclatis sic est traditum, obligari et dominum et successores transactionibus factis fide bona, de praclatis hoc amplius, etiam contradicente capitulo transigentibus⁷. Sic et ad debita utiliter contracta successorem teneri. Atque tu dic utilitatem hic, ut modo dixi, nisi euidens magna inutilitas appareat: ut nec ista relinquatur ansa successoribus discedendi a pace. Et animaduertendum est tamen, quemadmodum sint etiam principes, quibus nec ista potestas est. ut dux Uenetorum est et rex Poloniae. Isti de re ad propriam suam personam tantum spectante pacem facere possunt⁸. Neque de hac pace mouebunt successores in principatu: quia illa persona nihil ad hos pertinet. Et neque successor priuatus reclamatur paci auctoris sui⁹: et itaque nec successor publicus. Si non sit successor, nec quicquam mirum, si nec tenetur conuentis priorum. Eleganter respondit Alciatus, Uiccomitum

¹ c. 3. de sent.; Bal. 3. cons. 159; Hof. d. ² Sen. 4. Decl. 1. et 9. Contr. 2. ³ Guicc. 2. 5.

⁴ Ceph. cons. 24. ⁵ Crau. cons. 9. 241. ⁶ Alc. 5. cons. 42; Decia. 1. cons. 38.

⁷ Alc. 1. 36, 3. 79, 8. 107.

⁸ Alc. 3. cons. 63.

⁹ Alc. 5. cons. 134.

facta non pertinere ad Sfortiacos, in ducatu Mediolanensi succedentes¹. Alias nec de plenitudine quidem potestatis licet uel successori abire a contractu et cum subditis inito et nec domino feudi². Pax igitur perpetuo durabit pro natura sua: et belli causae consopitae iacebunt³. Nisi forte sic remissae sint iniuriae sub condicione, si postea nulla inferatur alia iniuria: hoc enim casu, si alia inferatur, manent priores⁴. Hactenus uero de pace. Amicitia et societas non uidetur ad successores transire: quoniam et in priuatorum societatibus definitum est, illas ad successores non transire⁵. Atque ex natura societatis cum sit istud, etiam et amicitiae: utique erit idem et in publicis: eadem ubique existente semper natura rerum. Consideratur personae qualitas in societate, item et in amicitia et illa in successores non transit qualitas. Itaque ius amicitiae et societatis, a Romanis tributum regi alicui, successori huius renouabatur⁶. Quinimo de priuatae societatis natura illud addetur, ut ad successores nec pertineat, etiam si id cautum fuisset et conuentum expresse, ut pertineret⁷. Quod tamen hic non censeo: nam in societate uectigalium et ubi utilitas ac negotium publici agitur, hoc obligari modo successores et praeter rei agi naturam, traditum est⁸. Et ita in facto negabatur aliquando foedus morte finitum, de quo conuentum esset, ut duraret per annum cum successore cuiusque⁹. Etiam, quum est praefixum societati tempus et causa est publica, obligari successores, docent interpretes iuris¹⁰. Imo, si cum populis agitur, successores semper continebuntur: quoniam illic iidem semper. ‘Principes mortales aeternae respublicae¹¹.’ Sic foedera Romanis contracta cum Latinis, cum aliis populis, ut perpetua essent. Aut numquid dicimus exemplo priuatorum ineptos contractus initos? Et inepte etiam dixisse hac de re Demosthenem, ‘Etiam posteros implicastis pace,’ etc.¹²? Et haec tamen foedera finiunt aliquando morte ciuitatum et populorum. An et alia facta forma reipublicae¹³? Mouet Aristoteles quaestionem in sermonibus politicis, nec definit tamen: quia nec propria operis quod

¹ Alc. 2. cons. 38. ² Ceph. cons. 23. ³ Alc. 2. Praesu. ult. ⁴ Eug. 1. cons. 82.
⁵ Mol. Alex. 1. cons. 130. ⁶ Briss. 2. Form. ⁷ l. 32. 52. 59. pro soc. (D. 17. 2); Rom. cons. 171.
⁸ Dec. cons. 213. ⁹ Guicc. 16. ¹⁰ Dec. 1. cons. 22. ¹¹ Tac. 3. Ann. 6.
¹² Demo. Phi. 2. ¹³ Arist. 3. Polit. 2.

tractabat. Ceterum Sabini sic dicunt, solutos se foedere, quod cum Tarquinio icere, pulso Tarquinio, regno sublato. Fidenates, qui idem aiunt mortuo Romulo: Latini, qui mortuo Tullo et iterum Anco mortuo: Etrusci, qui defuncto Prisco: Sabini, qui perempto Seruio: foederibus se non teneri, contendunt, quae cum decessoribus illis regibus pepigerunt; male dicere uidentur¹. Nisi Sabinos et hic defendimus: quia nec cautum de successoribus erat in illorum foedere: et neque rex Superbus successor Seruii, sed tyrannus: ipsi autem cum rege praecessore foedus percusserint: quae et Sabini tum attulere. Iustinianus hoc de tyranno dicit Uandilis, se non cum eis bellum, neque contra foedera gerere, sed contra tyrannum, qui illis regem deiecerit et captiuum teneret². Ac licet non laboretur, ne quis eorum qui communibus foederibus continentur iniustus sit: sed hoc tantum, ne alteri ab altero iniuria inferatur³: quod et responsum Iustiniano fuit, curare eum aliena non debere, sed seruare foedus cum regibus contractum Uandilis. Non tamen Iustinianus his adquiescit: at bellum mouet. Et generaliter dici posse uidetur, non eundem esse tyrannum et regem. Scilicet ut subtiliter disputando non sit ista reipublicae mutatio: tanta est tamen alteratio, ut nec supersit idem nomen et nec corrupta prorsus appareat⁴. Et quid est regnum? possessio reipublicae⁵. Quid est tyrannis? possestrix reipublicae. Quid diuersum, aduersum magis? Atque si a nostrorum legislatorum instituto et a praesenti ratione disputandi non discesserimus: omnia et metiemur pinguius, et pronius admitteremus mutationem. Ceterum et pro Fidenatibus, Latinis, Etruscis dixerit aliquis, eos in casibus supradictis non degere obligatos: quoniam nec reges illi successores ex aduerso essent obligati: ut id de Baldo et Iasone Ioannes Bodinus tentat. utque Perseus sic negaucrit, patris se teneri conuentionibus⁶. Ego tamen non adprobo istam inaequalitatem, ut populi illi tenerentur semper, quia populi idem sunt semper: reges successores non tenerentur. Et igitur uerum est quod, si reges successores non tenentur contractibus decessorum, nec populi teneantur qui cum defunctis illis regibus contraxerunt. Quod si autem non tam cum rege

¹ Dionys. 3. 4. 5.² Procop. 1. Uand. 9.³ Arist. 3. Polit.⁴ Arist. 5. Polit. 10.⁵ Suid.; Arist.⁶ Bod. 5. de Rep. fi.

quam cum populo Romano foedera contrahebantur : dubium non est, quin populi illi omnes obligati Romanis manerent et illis Romani. Et si status rei Romanae fuit democraticus, etiam (quod defendit Bodinus) sub regibus : magis certum erit de obligatione manente : quicquid is decesserit rex cum quo foedus ictum est. Sed si fuit status democraticus, sequitur ex aduerso, alium illum statum factum sub Superbo, non modo alteratum, quum democratia in monarchiam uersa fuit. Et itaque, quod antea dicebam, foedera omnia soluta uideantur. Attamen ineptissimum Bodini commentum est de statu Romano. Etsi enim leges populus ferebat, magistratus deferebat, bella inferebat : quae summa sunt statuum : quod tamen neque populus non praeeunte senatus auctoritate, neque senatus ante regis, consulisue uocationem et rogationem et consultationem, aliquid statuebat : status ille merito ex tribus mixtus dicitur a Polybio et Cicerone¹. Et argumentum contra hos de populi potestate supradictum Bodini nullum est. Haec proprie mixtio est, quum non integra simplicia conueniunt, aut perspicue apparent, sed quum temperata altera cum alteris sunt et per quasdam qualitates deprehenduntur. Sed et quum principes successores non obligantur, eos tamen decere contractibus decessorum stare, dubium non est². 'Iustitiae ac rationis ordo 'suadet, ut qui sua a successoribus desiderat mandata seruari, decessoris 'sui proculdubio uoluntatem et statuta custodiat³.' Sic et alicubi Demosthenes⁴. Et sic Athenienses : qui recuperata republica dissoluunt alienum triginta tyrannorum aes. Et sic Alciatius, seruari debuisse statuta regis Galliarum, etiam pulsus Mediolano Gallis : quae magna nitentur ratione. etiam si Gallus tyrannus fuerit⁵. Nam et pro utiliter gestis tempore tyrannidis tenetur dominus uerus : et contractus tum gesti ualent : et praedoni etiam pro utiliter gestis est satisfaciendum. Et constat alioqui in iure, quod pacta non ligant succedentem magistratum diuersum a priori cum quo inita pacta fuere⁶. De qua re et illud est Alciati, non debuisse et itaque noluisse stare contractibus Maximiliani ducis Mediolanensis Gallos qui in eius locum, sed non ex eius persona, successerunt⁷ :

¹ Polyb. lib. 6. c. 4.² Dec. cons. 165.³ 35. q. 1.⁴ Dem. adu. Lept.⁵ Alc. 1. cons. p. 6, cons. 18. 7, cons. 19. 8, cons. 107.⁶ Dec. 3. cons. 19. 117.⁷ Alc. 8. cons. 110.

et tradit late Tiberius Decianus libro tertio responsorum: quamquam hic idem in eodem libro affert in argumento et probat sententiam Decii et Panormitani, docentium, exempli gratia, inita foedera cum republica Florentina ligare etiam Cosmum duce[m], successorem reipublicae. Sed successores tenentur, si contractus sint ex natura et consuetudine principatus¹: ut isti quidem sunt pacis et foederum. Et sic traditur, pacta inter Fridericum et ciuitates Lombardiae transiisse in successores eius: nam et haec regulari secundum terminos iuris: et itaque quasi inter priuatos facta². Haeredis eadem persona et defuncti³. Venit haeres in contractu ad haereditem transitorio, et quum durat ratio eadem paciscendi in persona haeredis, et quum est contractus conceptus in rem: ut per Baldum in responsis. Quod si etiam ullibi uerum est, quod aiunt, totum esse unum imperium praecessorum et successorum: idem esse semper imperium, siue de suo, siue de praecessoris contractu agatur: hic utique uerissimum est⁴. Et ergo non mutato imperio nec lex imperii mutetur. Alcuius putat, concludi non absurde contrarium ex eo uero dicto: quia non sint igitur successores, sed aequae principales omnes principes: non haeredes, sed quasi noui administratores: ut successores de facto praecessorum non etiam teneantur⁵. Sed certe fallitur. An enim sequens tutor reuocet factum antecessoris? Si unum est imperium, una et est persona omnium imperantium. Sequens pontifex reuocat dispensationem a praecessore concessam ad beneplacitum. Sed quid si non pendet res a beneplacito? Reuocat damnosa et inconsulto capitulo facta: quae nec de iure tenent. Sed haec non sunt in quaestione, nec ad quaestionem. Addit de concesso feudo: quod solues cum Baldo et Cuiacio facillime⁶. Etiam omnibus (et haec omnium opinio) tenentur stare successores contractibus decessorum, si non electione, sed successione (mediata uel immediata non refert) sunt principes⁷. Quo et dictum est casu, priuari regno principem posse, non seruantem testamentum patris. Tenentur (ut dixi) si cautum et de successoribus ipsis sit. Aut numquid nihil est cautio toties usurpata?

¹ Alc. 6. cons. 28; Carat. de pri. 127. 205; Bal. 3. cons. 159; l. 5. de ius. (D. 1. 1); l. 1. de const. pri. (D. 1. 4). ² Alc. 5. cons. 18. ³ Bal. 5. cons. 506. ⁴ Bal. 1. cons. 326; Ceph.

617; Decia. 1. cons. 25. ⁵ Alc. 4. cons. 4. ⁶ qui. succ. fe. da. te.

⁷ Alc. 5. cons. 23, 6. 28; Decia. 1. cons. 25.

Foedus inter Florentinos et Ferdinandum sic fuit, ut ad Alfonsoque filium porrigeretur¹. Inter Gallum et Hispanum, ut inter ipsos et legitimos ipsorum successores perpetua pax et sempiterna amicitia foret. Quae etsi comprobata fuit a proximis haeredibus futuris: non tamen a successoribus omnibus, qui erant nulli. Confirmatio sequentium regum probat contractum deinceps perpetuum². Inter Danum et Suecum sic de successoribus conuentum³. Sic conuentum inter alios. Pius quintus pontifex in proprio suo et suorum successorum nominibus pepigit cum Uenetis et cum Hispano⁴. Sed hoc tamen pontifex de consensu senatus Cardinalitii, quia, successoribus non posse pontificem praecipere, ipsi dicunt pontifices⁵. Quod si tamen quid sit cui praestando successor aptus non sit, tum nec nominatus censebitur in foedere, ut nec uectigalium transit societas. Nec mouet tamen si plus paulo minusue successor possit⁶. Illud probari mihi numquam poterit, quod scribit Baldus tamen, obligatum ad pacem seruandam pro se et pro filiis, non uideri egisse de posthumis⁷? Haec enim subtilior est in iure ciuili differentia, quam quae in tractatu hoc nostro simplicioris iuris gentium probari possit. Etiam tutores societatem contrahunt ultra tempus officii tutelae finiti: si habent, quam principibus asserimus, administrationem cum plena et libera potestate⁸.

At probandum est maxime, quod et fieri consuevit, ut foedera cum successoribus renouentur. Illa autem de foederis renouatione incurrit quaestio, si tacitam intelligere factam possumus unquam. Et in societate priuatorum certum est, eam renouari tacite quae fuerit dissoluta. Societas uero omnium soluitur morte unius: nisi tamen cautum fuit, ut duret. cautum uel tacite: ut explicat Alexander in responsis⁹. Et renouari talis prorsus censetur, qualis fuit¹⁰. Si tamen et olim fuit sponte contracta: nam quam populus Romanus his dabat pro imperio, quos non in aequum foedus accipiebant, dissolutam renouatam talem non intelligemus, qualis fuit, sed qualem nunc intelligit ius. Quod Alciatus¹¹. Renouatur porro his actis, gestis, quae admitti citra nomen et ius societatis non ualent. In foedere

¹ Guicc. 1; Na. Co. 12. ² Bal. 3. cons. 159. ³ Na. Co. 20. ⁴ Na. Co. 22.
⁵ c. 20. de resc. ⁶ l. 13. C. de co. stip. (8. 38). ⁷ Bal. c. 71. de app. ⁸ Alex. 6. cons. 128.
⁹ Alex. 5. cons. 136; Guicc. 17. ¹⁰ Dec. cons. 548. ¹¹ Alc. 8. cons. 89.

tamen inito ad certum tempus inter duas ciuitates, negant, renouationem fieri¹. At mihi, quae sententia est de societate, illa et hic placet magis : quia nec apparet diuersa ratio, nec affertur ab istis doctoribus quidquam quod urgeat. Idem facile asseremus in casu, quum unius morte socii societas soluitur reliquorum : ut adfirmata et renouata censeatur, si reliqui in foedere pergant tacite². Finit societas morte unius : nam electa personarum industria in societate est³. Et itaque constitui duos debendi reos illic non posse, nec altero moriente posse alterum eius fungi partibus. Alexander respondit. Et a principio tamen conuenire posse, ne societas morte dissoluatur unius, uerissimum est⁴. Et dissidisse tamen uidentur iurisconsulti : et plures contra unum stetisse ; et contra hoc, quod ego uerissimum dico⁵. Uidentur ista Hotomano⁶. Sed nihil nec in speciem dissident. Nam ut societas transeat ad haeredem, hoc fieri posse negatur. Siue scilicet haeres incertus relinquitur uoluntati paciscentis pro haerede ; siue certus nominetur, qui futurus haeres et successor in societate. neque enim societas contrahi potest cum incerta persona : ut fieret in priori casu. neque sic contrahi umquam potest, ut tollatur per contractum libera testamenti faciendi facultas : ut fieret in casu posteriore⁷. At quid haec de haerede ad ipsosmet contrahentes ? De haerede nihil est distinguendum : quod facit Hotomanus : et falsa est eius definitio, quod imo ualeat pactum, quum certus dictus non est haeres. Nam etsi ualeat pactum, ut nulla pars damni ad socium pertineat : et liceat facere condicionem suam deteriorem : et itaque hic adstringere se socio incerto : quae Hotomanus ait : tamen haec consequentia de incerto socio non consequitur : quae est contra naturam contractus. In societate uetigalium etiam inducuntur haeredes : quoniam ea durat necessario : ut alii interpretes declarant⁸. Etiam in his publicis societatibus inducuntur : quae cum principibus fiunt in figura magis principatus, quam suae illorum personae : adeoque nec dissolui hoc modo posse uidentur morte personae. Ceterum in foederibus his publicis nec multum facit quod de incerto dictum est haerede : nec quod dictum est de libertate

¹ Dec. cons. 407. ² l. 37. pro soc. (D. 17. 2). ³ Alex. 7. cons. 61. ⁴ l. 65. pro soc.

⁵ l. 35. 52. 59. pro soc. ⁶ Hot. Com. pro soc. ⁷ Bal. l. 53. pro soc. ; l. 1. C. qui te fa. po. (6. 22).

⁸ Bal. l. 60. utr. l. pro soc.

uoluntatis ultimae: nam solet non esse testamentum de principatibus, et solet esse principum haeres certus.

CAP. XXIII.

De ratihabitione, priuatis, piratis, exsulibus, adhaerentibus.

AN de ratihabitione nunc addimus aliquid pleni⁹? An, quicquid est, petetur tectius de copiosis nostrorum interpretationibus? Et siquidem pax facta pro se et pro adhaerentibus est: atque hi offendantur ante quam pacem ratam habuerint: pacem non uiolari, expositum antea est¹. Ratihabitio sequens nihil mouet. Et idem est, si quis publicus tabellio pacem intra constitutum tempus ratam pro parte absente habuerit, pars uero post illud tempus. Donec altera pars ratificet, cuius nomine conuentum est, neque altera tenetur, ut sit aequalitas². Nec satis est stipulatio notarii pro absentibus: non eos enim tenet, nisi secuta ratificatione. Sed si subditus aliquis sit, pro quo et facta a domino pax est, subditus tenetur statim pro pace a domino facta. Atque si subditi sic tenentur ante ratihabitionem, etiam ex aduerso sunt ei obligati: quia contractus claudicare non debet³. Et neque ab initio fieri potest, ut altera pars sola obligetur⁴. Est enim contractus obligatio ultro citroque: ut non sit pactio ualida contra contractus essentiam⁵: ut ut disputetur et distinguatur, si pactum aduersus naturam contractus teneat⁶: quamquam princeps offenditur ipse satis, si subditis et partialibus suis fit iniuria⁷. ‘Maiores uestri saepe, mercatoribus ac nauicatoribus iniuriosius tractatis, ‘bella gesserunt,’ ait Cicero⁸. Et alio loco, ‘Quot bella maiores nostri ‘susceperunt et quanta, quod ciues Romani iniuria affecti, nauicularii ‘retenti, mercatores spoliati dicerentur?’ Et de priuatis statim plura.

De adhaerentibus illud adhuc notandum, quod si pro his est promiss-

¹ Dec. l. 23. de reg. iu. (D. 50. 17).² Dec. cons. 531.³ Zas. Disp. co. Eck.⁴ Alex. 5. cons. 40.⁵ l. 19. de U. O. (D. 45. 1).⁶ D. D. l. 2. si. ce. pe. (D. 12. 1).⁷ Bal. § Opizoni. de pa. co.⁸ Cic. pro Le. Ma. 5. et 5. Ac. Uer. 2.

sum, non intelligitur promissum de inimicitiiis quae erant inter ipsos adhaerentes: non enim sunt adhaerentes in illis, sed principales¹. Et itaque si promisi pro me et pro meis consanguineis, quod te nec ego offendam nec illi: si illi te offendant sua causa, promissio mea non laeditur. Sed illa est quaestio, si non uniuersitas sola, at singuli quoque uniuersitatis comprehensi foedere censantur, quum de singulis dictum non est. Et Decius respondit, quod si Ueneti promittant, aliquid non facere, promissio intelligatur, ne faciant uniuersi: nam dispositio quae plures ut uniuersitatem respicit non habet locum ut in singulis². Singulae igitur personae pacem non rumpunt: ut a Baldo responsum est³. 'Pri-
'uati non nocent uniuersitati.' Hinc repetitio raptorum: et hinc Romanorum petitio, si Annibal publico consilio Saguntum oppugnauerat. Hinc excusatio Caeritum, non publico consilio priuatos suos quosdam militasse contra Romanos⁴. Hinc et defensio Rhodiensium: quod etsi illic plerique suaserint, iuuandum Perseum: nullum tamen super ea re factum fuerit decretum publicum⁵. Et id genus alia plurima. Neque ergo uerum est, quod dicebat rex Agrippa, esse Partho curam tueri cum Romanis amicitiam: et arbitratum, foedus esse uiolatum, si quis de his qui subiecti erant imperio eius aduersum Romanos in bello processisset⁶. Nisi tamen hoc sit expressum in foedere: ut neque priuati, singuli offenderent. tum enim pax rumperetur certe⁷. Aut nisi sic censuit Agrippa, quod qui suis id permittit princeps, ipse id facere uidetur. nam prohibere potest: et uero etiam debet. Licet enim singuli non sic continentur in foedere, ut rumpant uniuersitati pacem: continentur tamen sic, ut facere ipsi aliquid contra pacem uniuersitatis non possint. Et id curare ipsae uniuersitates habent. Aut quid prohibet, quin multitudo ingens impune foedera uexet? Aut quomodo dedi Annibalem sibi petiissent? Et itaque dissimulatio dicitur, ut ut dicitur etiam egregia, quod Sigismundus rex Poloniae auxilia quidem non miserit contra Solymanum propter inducias, permiserit tamen ire ex suis: ut Christianae causae non deesset⁸. Dissimulatio est: nec egregia. Si uero respublica facit aliquid contra priuatos, temerari, opinor,

¹ Bal. l. pe. de aed. ed. (D. 21. 1) Cod.; Ceph. cons. 587. ² Dec. cons. 61. ³ Bal. 2. cons. 195.

⁴ Liu. lib. 7. c. 20. ⁵ Gell. 7. c. 3. ⁶ Iose. 2. Bel. ⁷ Corn. 3. cons. 167. ⁸ Iou. 30.

foedus. Et potest diuersi iuris esse ratio, quod singuli nocere uniuersitati non debent: quin uero non ipsa sibi noceat uniuersitas uel priuatos lacerando, ius non est. Aut quid obstat, quominus, carpendo singulos, tollere queat uniuersos? Non distinguebant Romani, an priuatis, an publico illata esset iniuria, sed an a priuatis, uel a publico illata esset. Et Baldus ait, quod contra foedus uenit qui offendit subditum confoederati¹.

Et sunt casus tamen, in quibus nec per facta publica foedus offenditur. Atque isti sunt, quum neque in toto, neque in singulo ullo uniuersitatis, cum qua est foedus, offensio est. Foedera non uiolari patre uiolato, filio, fratre, alio, qui ad alteram partem pertineat non tamquam imperii subditus, sed tantum propter alia illa nomina et uincula, recte mihi traditum uidetur². Etsi enim patris iniuria ac malum, sit iniuria et malum filii: et contra³: et iniuria cognati uel adfinis ad cognatos uel adfines omnes pertingat: et inimici omnes de genere propter unum sint; tamen foedus spectat publicum ius: et illae personae ad ius publicum non pertinent. Quo defendi forsitan iure potest subtilitas et cautio, quam 'Italicam' dicit et notat sane Guicciardinus: ut filius Uirginii Ursini militaret regi Galliarum: Uirginius cum hoste esset, quo cum sibi aliqua intercedebat obligatio⁴. Et ducis Ferrariensis filius duci Mediolanensi accederet, pater pro obligatione maneret ab hoste. Sane respondit Fulgosius, debuisse Florentinos auxilia comiti Urbini: etsi is tamquam officialis ecclesiae comminationes quasdam fecerit amico (quod contra foedus comitis et Florentinorum uidebatur) Florentinorum: nam et ciuilitur ea Urbinas fecerit et ex officio⁵. Et quum quis prohibetur, ne possit cum sua persona seruire, poterit seruire tamen per alios; etiam et per filium et per alia, ut respondit Decius⁶. Docta uero Baldi ratio ad supradictam rationem est, quod non rumpatur pax, si quis fratrem occidat eius cum quo pacem fecit: quoniam si iste occisus occidisset ipse occisorem suum, fracta pax non diceretur: atque contractus debent esse compatibles⁷. Et huc Baldus affert leges et doctores. Facit quod itidem Baldus, quod uasallus offendens adherentes

¹ Bal. 1. cons. 369.² Ceph. cons. 587; Bod. 5. de Rep. ult.³ l. 1. §. 11. de iniur. (D. 47. 10); l. 1. de li. ca. (D. 40. 12); l. 2. de na. re. (D. 40. 11); Bal. 5. cons. 1; Ceph. 712. ⁴ Guicc. 1. 2. ⁵ Fulg. cons. 235. ⁶ Dec. cons. 604. ⁷ Bal. 2. cons. 195.

domini aut fratrem eiusdem occidens, non peccat in feudum: nisi haec fecerit odio domini¹. Scilicet nihil commune habet feudum cum istis conjunctionibus. et extrinsecus non intelligitur persona. Et recte illud: nisi fecerit odio domini: nam iniuria facta domestico mea causa mihi dicitur facta². Alii iuris interpretes adfirmant, quod si quis promisit, me non offendere, et is fratrem offendat meum, non faciat contra promissionem³. quia frater in lege non numeretur, quae de iniuria facta cognato, redundante ad alterius cognati iniuriam, notat⁴. Sed haec sanc mihi non placent. Nec ideo tamen sequitur, uiolatum esse foedus, etsi ita fiat iniuria foederato: neque enim fit quasi foederato. Etiam si moueri bellum possit a nobis ob iniuriam amico aut cognato factam: non propterea qui fecit iniuriam et contra quem mouemus nos bellum, is in foedus commisisse uidebitur quo nobis tenebatur. Sed neque nos nunc in foedus committimus, qui a foedere discedimus ex noua causa iusta: quae est iuuandi aut uindicandi nostros: quorum uidelicet caritatem non exuimus aut abicimus per foedus cum alio contractum. Contra fratrem quidem et contra filium, imo (ut quidam uolunt) etiam contra patrem uasallus tenetur iuuare dominum⁵. Sed obligatio feudi maior est quam foederis. Discedat uasallus a feudo: et nec tenebitur domino. At feudum ut habeat et dominum non iuuat, rationis non est. Quaerunt philosophi etiam hoc, si amico uel cognato teneamur magis⁶. Et uero quum cetera meritorum sunt paria, dubium non est, cognatum praeferrari: 'Aequalem fratri caueas fecisse sodalem:' dixerit Hesiodus hic: et in his quae sunt naturae et ad uitae conseruationem spectant. De his tamen hactenus.

Rursus non uiolari foedera caede piratarum, iuste Scotis responsum ab Anglis aliquando fuit⁷. Nam piratae sunt hostes: et impune offenduntur ab omnibus: quia ipso iure diffidati⁸. Sunt contemptores iuris gentium: ut in eo iure nihil habere praesidii possint. Istos et a nobis (Angli dixissent) et a uobis communiter et ab omnibus affligi oportuit, Commune hoc omnium gentium est bellum⁹. Et si uos Scoti habebatis eos piratas, uos iuris

¹ Bal. 2. cons. 268. ² Cott. Me. Iniuria. ³ Alex. 2. cons. 113. ⁴ I. 1. 2. de iniur. (D. 47. 10).

⁵ Cuius, Feud.

⁶ Picc. 7. Ph. Mo. 16.

⁷ Buch. 13. Hist. Sco.

⁸ Rip. l. centurio. (D. 28. 6. 15); Bald. Auth. nauigia.; C. de fur. (6. 2); Ang. cons. 290; Alc. 1. cons. 11.

⁹ Cic. pro Le. Ma. 11.

uiolatores exstitistis. Quae Philippus rex recte Atheniensibus ita dicebat. Nec obiecta refutat, siue ille est Demosthenes, siue Hegesippus, qui contra Philippum disseruit¹. Sed hoc dicit orator iuste, quod recepta et recuperata de latronum manu, quae erant Atheniensium, ea non titulo restitutionis iusto, sed donationis gratioso dare antiquis dominis Philippus cogitabat non iuste. Id uidelicet iniquum²: quicquid cauillatum et a comicis fuerit³: quoniam latrones rem ut eripiant, rei tamen dominium non eripiunt⁴. 'Non desinit nostrum esse, quod a lupo eripitur, uel alia bestia⁵.' Si de aliis cepisset Philippus, qui iusto uel bello uel titulo alio occupauissent: nihil ei dici contra potuisset. Ut sic Hebraei se tuentur in agro quem ceperant de Emoraco et repetebant Moabitae: quibus bello Emoraeus abstulerat⁶. Scio, quod dicitur, 'Rei furtiuae aeterna auctoritas,' id esse contra ipsos latrones: alios uero, quid habeant a possessore malae fidei, tutos aliquando esse⁷. Sed neque id ad Philippum. Et sic igitur in quaestione prima responditque rex Hispaniae Ferdinandus Solymano Turcarum regi iuste, licere per condiciones pacis atque etiam induciarum piratis infestus esse et latronibus et maleficis hominibus, et piraticas insidias undique conuellere⁸. Nunc iniustum putauit idem Solymanus, quod piratas persecuti sint Ueneti ad portum usque Dyrrhachii, eoque explorerint etiam tormenta contra oppidanos, qui tuebantur piratas, et agrum etiam uastarint. Et de his etiam satis.

Quaero aliqua de exsulibus et caeteris similibus. An foedera non uiolentur, si exsules alterius partis suscipiuntur? Banniti hi nostri, hostes nostri dicuntur⁹. Et igitur uidetur fieri hostis noster, qui suscipit hostes nostros. Habitans cum inimico meo et inimico meo amicus et cum eo contrahens cognitionem, aut existens eidem commensalis, mihi inimicus iudicatur: et itaque recusari iudex potest¹⁰. Et itaque dixi alibi, recusari Pyrrhum a Romanis potuisse arbitrum in causa Tarentinorum: qui ei regi cognati, commilitones, commensales. Cognatio non modo suspicionem, sed et diffidentiam affert¹¹. Et paria sunt doctoribus, inimicus esse et inimici

¹ Demo. de Halo. ² l. 2. Cod. de fur. (6. 2). ³ Athen. 6. ⁴ l. 27. de capt. (D. 49. 15); l. 34. de donat. (D. 39. 5). ⁵ l. 8. fam. ercisc. (D. 10. 2). ⁶ Num. 21. ⁷ Bal. l. 4. de. iust. (D. 1. 1).
⁸ Na. Co. 4. 12. ⁹ Ins. l. in suis, de lib. et pos. (D. 28. 2).

¹⁰ Panor. c. accedens, ut li. non co.; Far. de Ind. et Tor. q. 49.

¹¹ Dec. Pra. Cr.

amicus¹: cum id genus pluribus, quae in istam partem afferri possunt: ut foedus uiolatum crederetur ex susceptis exsulibus. At in contrarium facit, quod isti imo hostes non uideantur: qui ciuitatis expertes tantum facti sunt². Et ita Liuius narrat, Persecum quiritantibus Quiritibus, aut apud Quirites aliis, quod apud se essent exsules, respondisse, attinere nihil, ut cuiquam pateret exilium, si nusquam exsuli futurus locus esset³. Etiam in foederatas ciuitates proficisci solitos exsules Romanos, notum est et alii adnotarunt: sed quae tamen ius nullum ciuitatis Romanae tenuissent et liberae essent penitus⁴. Atque hoc idem ait Ioannes Bodinus, uel si foederibus cautum esset expresse, ne alterius ciues alter susciperet: quia (ut diximus) exsules a modo non sunt ciues⁵.

Quod si non exsules, sed perfugae et fugitui forent: horum quidem susceptione tum sine dubio uiolabitur foedus, quum recepti non redduntur: reddendos enim uere scribit idem Bodinus. Et nos legimus, bella sic illata, quia non redderentur, qui relictis locis patriis in aliam ditionem abierint habitatum⁶. Legimus et illa, 'Foedus, imperator, tibi nobiscum est: non igitur debuisti recipere qui a nobis defecerunt.' Uerius illaque iure est, etsi usu aliter est, sententia, ut teneantur principes principibus mutuo dedere delinquentes: ut magistratus tenentur magistratibus⁷. Aut si principes principibus non tenentur: quid erit contra ius gentium, si hoc non est, alienos homines suscipere? Fugitiuus suus principi manet, a quo fugit, atque iniuria ei fit, cui suum non redditur. Caueri aliquando solet foederibus tamen, edicique discrete de his aut reddendis, aut non reddendis⁸. Et praestat semper expressisse: nam improbi (sic ait historia) consiliiarii Theodosio suadent, hos non reddi, sub obtentu falsae pictatis ex illo Domini, 'Eos qui ad me ueniunt, non ciuiam foras⁹.' Item cauetur de transfugis non recipiendis, et, promissionem non extendi ad futuros, aiunt: nisi promissio foret mutua: tum enim acquius sit, propter parcam obligationem, admitti extensionem¹⁰: et sic de pacis conuentione, quae reciproca et utriusque parti utilis esse ualeat,

¹ Alex. 1. cons. 99. ² 1. 2. de publ. iu. (D. 48. 1). ³ Liu. lib. 42. c. 41. ⁴ Sig. 2. de Ant. Iu. II.

⁵ Bod. 3. de Rep. 6. ⁶ Cedr. ⁷ Bal. 1. 3. de off. praef. (D. 1. 12); 1. 2. C. de ser. fug. (6. 1).

⁸ Str. lib. 16. c. 2.

⁹ P. Diac. 24.

¹⁰ Ias. 1. 1. de co. ex le. (D. 13. 2); 1. 76. de U. O. (D. 45. 1); Ang. cons. 261.

quod latam et fauorabilem interpretationem recipiat : Angelus et Alciatus uolunt. Multa, quae simplicia nec ualent, si reciproce fiant, sustinentur¹. Atque hoc postremum est uerissimum, non item reliqua. Sed praestat exprimere, ut uitentur controuersiae. Nam quis putet, Doctores tradere, promissionem de transfugis non recipiendis intelligi non de futuris oportere? Est quidem quasi conflictus legum si uerba sint de praesenti, uel de futuro etiam accipienda : ut dico in libris De armis Romanis. Sed nihil hic ille habet ut tum audies. Baldus autem respondet solide, quod ad substantiam et realitatem sint uerba referenda haec uel pacti uel iuris de hostibus non recipiendis² : ergo ad omnia tempora, primum, medium, ultimum. idque patere etiam ex contrario, quod rebellis mox reconciliatus suscipi potest. Etiam noto, necessarium uideri, ut caueatur de transfugis, tempore belli : nam hi hostibus quaesiti fuerint. At quaero unum adhuc de exsule, quod in Eduardo rege Angliae tractatum legi : an exsuli regi teneatur foederatus³? Et a Gallo rege responsum tum Eduardo fuit exsuli, pulso de regno, foedus cum rege et regno contractum Angliae, non cum Eduardo. Quae responsio iuri consona fuisse uidetur : et his quae de mystica principis persona ante aliquando notauit. Principis persona organum est, referens totam rempublicam⁴. Et ergo nec quidem posse ferri uidetur auxilium nunc exsuli, nam contra regnum ferretur foederatum. Si captum esset regnum ab externis, regi exsuli utique feret foederatus auxilium. Sed contra regnum, quod aequae foederatum, cur feret? Latini neque Tarquiniis neque Romanis adesse uoluerunt, sic Tarquinio regi, populoque Romano foederati⁵. Rectissime : ut intelligis ex his quae disserui de amicitia et societate. Etiam et de mixti parte resoluta alibi dixi, ut ius mixti sic resoluitur.

¹ Ias. 4. cons. 173; Crau. 245.² Bal. 5. cons. 326.³ Bod. 5. de Rep. 6.⁴ Bal. 3. cons. 159.⁵ Dionys. lib. 5. c. 52.

CAP. XXIV.

Quando foedus uioletur.

NUNC unum superest, ut de foedere uiolato paullo explicatius uideamus: aut id subnotemus potius, quod eius rei omissum superioribus disputationibus forte est. Foedus non uiolatur, si ab eo disceditur per rationem iustam: quod Ulpianus et Pomponius de priuatorum societate tradunt¹: et illorum praeclaram sententiam ad haec foedera et ad publicas has societates produci posse, manifestam per rationem interpretes notant². Si condicio quaedam, qua societas erat coita, socio non praestatur: uel si ea re frui non liceat cuius gratia societas sit inita: rationem habet renunciatio societatis: et ergo uidetur, quod si in uno non fiat satis societati, discedi ab omni societate possit. Attamen sic est de illo uno capiendum, quum illud quid principale est, ut sic uerba sonant iurisconsultorum: et (quicquid aliqui etiam de minimo uelint³) significat ratio, ne ob rem leuem quamlibet a magno contractu discedatur. Occurrunt leuia semper, quia leuia sunt, et itaque omnes essent contractus infirmissimi, si ob leuem et nihili quamuis rem abire ab ipsis liceret. Non id acquitas patitur iuris gentium. At propter leuem causam bellum suscipitur? Leguleiorum isthoc ius est in syllabis et apicibus.

Discedetur a toto propter partem non seruatum conuentionis⁴: quia iuncta censentur capita omnia contractus, alterumque alterius respectu conuentum⁵. Et contractus omnes indiuidui sunt⁶: certe, qui non dare, quod est diuiduum, sed continent facere, quod est indiuiduum⁷. Et semper contractus omnis est indiuiduus: quia non debet posse pro parte impleri, pro parte deseri. Et neque contractum sustinet necessitas forte foederati: qui grauissimo casu pressus nequeat satis conuentis facere⁸. Nec enim tantum potest necessitas cum homine umquam, quantum potest cum lege saepissime. Nisi (in quod animus

¹ l. 14. 15. 16. pro soc. (D. 17. 2).² Rub. cons. 30; Bal. l. 7. de pact. (D. 2. 14).³ Dec. cons. 265. ⁶ Ceph. 455. 461.² Hot. Comm. pro soc.⁴ Cagnol l. 41. Cod. de trans. (2. 4).⁷ Alc. 8. cons. 106.⁸ Ceph. 451.

inclinat) contractus hos principum sic quasi leges accipimus. Certe excusabit foederatum necessitas et uis maior, ut non foedifragus iudicetur. Etiam et alterum foederatum admonebit, ne summum sequi ius uelit. Eidem huic tamen non obiicietur desertum foedus abeunti a foedere ob condiciones foederis quomodocunque non obseruatas. Et iste tamen, antequam a foedere abeat, intelligere debet, culpa, imo dolo, non obseruari condiciones ab altero: et mox etiam agere, ut obseruet. Sic enim et uerissimum in priuatis est et receptissimum¹. Ad extremum deseretur foedus in his publicis: ubi illa priuatorum iudiciorum coactio non inuenit locum. Etiam nec dicitur pax rumpi, si non id seruetur quod nec tendit ad offensionem. puta, erat promissum, ut quid fieret intra tot dies: et id factum non fuit: ut sic Corneus². Quae notanda definitio est: nam dicitur soluisse minus, qui soluit tardius³. Offensio est, quicquid maleficium habet, uel actionem iniuriarum⁴: uel etiam quod iuste prouocat iracundiam: siue poena admissum sequitur, siue non sequitur⁵. Alias uere Cicero, 'Non omnia quae dolemus, eadem iure queri possumus⁶.' Inquit Ulpianus, si ita iniuriosus et damnosus socius sit, ut non expediat, eum pati, renunciare socium societati posse. Quod interpretes aliis definitionibus adornant. Censetur etiam reuocatum mandatum propter mutationem morum procuratoris: etiam et quum mandator tantum posse cum procuratore desiit⁷: et id genus alia. Item si reipublicae causa superueniente renunciatur societati, nihil obiici socio poterit: eodem Ulpiano auctore: et de iure hoc nos antea diximus. Ceterum de offensione quae pacem temeret, audiamus M. Tullium, 'Ego autem cum omnes amicitias tuendas semper putauim summa religione et fide, tum eas maxime quae essent ex inimicitias reuocatae in gratiam: post reditum enim in gratiam si quid est commissum, id non neglectum sed uiolatum putatur: nec imprudentiae, sed perfidiae assignatur⁸.' Et Tullio Caelius, 'Nunc si ad summam illam scueritatem legitimum ius exegeris: cauendum tibi erit, ne parum simpliciter et candide posuisse inimicitias uidearis⁹.' Sic

¹ Ceph. cons. 24; Castr. Alc. l. 41. C. de trans. (2. 4).² Corn. 1. cons. 51.³ l. 1. de ed. (D. 2. 13).⁴ Bal. 2. cons. 195.⁵ Rom. cons. 183.⁶ Cic. pro Fla. 24.⁷ Alex. 7. cons. 209.⁸ Cic. pro Gab. frag.; Hier. Ap. adu. Ru.⁹ Cic. 8. Ep. 6.

tractantur uulnera obducta et recentia. 'Quaelibet extinctos iniuria suscitavit ignes¹.' Non est quidem iusta quaelibet causa, quae ignes suscitavit hic: nam quis est qui non peccet leuiter et quidem saepe? et turbandum fuerit semper? Sed haec notem pro maiori cautione quae reconciliatae amicitiae debetur quam numquam laesae. Etiam distingui de offensionibus solet aliter: ut quaedam sit uerbali, quaedam realis, quaedam corporalis. Ac de uerbali scribit, quod sibi uidetur mirum paradoxum, Iason, ex ea contrahi capitalem inimicitiam². Quamquam ego non aliter credidisse per illa quae obseruauit libro superiore de sacuitia in maledicos. Baldus et Rolandus etiam in altercatoris uerbis sic definiunt³: et idem Rolandus a Ualle capitales inimicitias statuit ex comminatione caedis: et ualent haec igitur uiolandae paci. De reali offensione est notandum primo, quemadmodum receptior dicitur sententia, quod offensionis nomine haec non continetur, quae fit in rebus⁴. Sed est sententia falsa proculdubio, et exilibus ratiunculis male subnititur. Hoc certissime in nostro tractatu non habet locum. Sed de reali et personali, etiam et de uerbali mox ita cape, quod si noua accessit causa, foedus nec spernitur iniuste, nec iniuste offenditur foederatus. Neque enim quaelibet offensus, sed quae fit causa uindicandi aut retractandi priora, rumpit pacem. 'Pace constituta non decuit ueteres offensas ulcisci:' ait Isocrates⁵. Et ita nostri doctores adfirmant, non uideri pacem ruptam per furtum, adulterium, raptum, uel si mulier etiam foret in rapiendo uerberata: quoniam sit inspiciendum, quod agitur principaliter: et oporteat intelligi uerba principaliter, non secundo⁶. Unde est aliaque definitio, quod statutum de turbante pacem capi in eo homine debeat qui actum simpliciter facit ad pacem turbandam: non si ex actu sequitur turbatio pacis⁷. Propter adulterium non frangi pacem dicunt: quoniam nec ad uindictam, sed ad libidinem isthaec fiunt: et itaque si ad uindictam facta uideri possunt, etiam haec rumpent pacem⁸. Possunt autem fieri isthaec ad uindictam: ut si inimicitia fuerit et propter isthaec: aut propter rem aliam inhonorificam: unde et

¹ Ouid. 3. Ar. Am. u. 597. ² Ias. l. procuratorib. C. de procur. (2. 13. 22).

³ Bal. c. 16. de iur.; Rol. 1. cons. 24, 2. 64. ⁴ Ceph. cons. 734. ⁵ Isocr. lat.

⁶ Alex. 2. cons. 113; Cor. 1. 51, 2. 42; Ceph. 587. ⁷ Alex. 3. cons. 1.

⁸ Goz. cons. 31. add. Rom. 83.

procuretur nunc dedecus istud foederato¹. Sic et ratumque haberi potest adulterium. Et sic, per furtum modo non frangi pacem et modo frangi, uolunt. Nam et furtum et incendium et id genus alia sunt causa inimicitarum². Etiam nec sunt pauci, nec contemnendi, doctores qui uolunt, uiolari pacem semper per adulterium: et simul adfirmant, docuisse alios contrarium pessime³. Sed isti falluntur. Et uidendum est igitur de inimicitiae praecedentis qualitate: nam si ea fuit in personalibus offensibus; tum non rumpitur facta pax, nisi ob personales offensiones, uidelicet opposita relatiue pax et bellum sunt: et quod de uno praedicatur affirmatiue, de altero praedicatur negatiue⁴. Offensio retro similis esse debet: puta uastando, occupando, bellando, alias non dicitur rumpi pax: quia sit pax transactio quaedam: et itaque referatur ad lites eiusdem generis: atque adeo non dicitur rupta, quia sit aedificatum. Ut haec omnia Baldus: quem et in dubia re sequor. Ita autem desiderari uidetur offensio retro similis: ut nec moueat maior diuersi generis. Nam quis ignorat, raptum, adulterium, esse offensiones grauiores uulneribus? et per uulnera tamen pax rumpitur, quae per raptum cunq̄ue uulneribus non rumpitur.

Produci scilicet haec non debent: et sic neque pax producitur ad personas non nominatas: non ad comites et sequaces: non ad cognatos: non ad filios: non ad uxorem: quae receptae sunt opiniones et ante expositae⁵. Si tamen cautum foedere communi pluribus esset, uno pacem frangente, fracta pro omnibus censebitur et ab omnibus in solidum: etsi poena non deberetur in solidum, at uirilibus: ubi poena in casu ruptae pacis deberetur: quod Alexander⁶: et quod Thebani contendebant, pace a Lacedaemoniis uiolata, eiusdem affines omnes esse culpae, quibus communi fuisset foedere cautum⁷. Nam sunt socii corpus unum, quod hoc promisit non peccare contra pacem, atque confederatio sic facit scilicet de pluribus corpus unum: adeoque qui offendit unum, is et alterum offendat⁸: quicquid alibi excipitur, ex delicto socii solum non teneri⁹. Per controuersias porro iudiciales non rumpi neque

¹ Clar. § fi. q. 87.² l. 50. de fur. (D. 47. 2); l. 28. de poe. (D. 48. 19).³ Mol. Alex. 2. cons. 113.⁴ Bal. 2. cons. 195; l. 4. C. de aed. act (4. 58).⁵ Ceph. cons. 587.⁶ Alex. 4. cons. 116.⁷ Paus. 9.⁸ Dec. 1. cons. 18.⁹ l. 53. et seqq. pro soc. (D. 17. 2).

pacem, neque inducias, certum uideri debet¹. Qui promittit uim non facere, is de iudiciis non sentit². Prouocarunt Poeni ad iudicia cum Masinissa, saluis foederibus. Et sic saepe necesse est, emergentibus, incidentibus, dubitationibus ad foedera et propter foedera.

Nunc de noua causa: de qua tradunt, quod si ex ipsa fiat iniuria, pax non laesa existimetur³. Quia qui promittit non offendere, is subintelligit exceptionem, 'Nisi causa superueniat: Nisi culpa accesserit eius cui promissio ista fit et pactio foederis: Rebus sic stantibus.' Quamquam Carolus Molineus et per alios auctores distinguere hic uelit: ut supradicta receptissima opinio tum sit uera, quum pax tantum facta de acceptis iniuriis est: non etiam si simpliciter et generaliter promissum est non offendere: hic enim rumpatur imo pax, etsi noua causa offensionem dederit locum⁴. Sed defendi distinctio nequit: si intelligit, rumpi iniuste pacem accedente causa noua. At de noua causa iniusta quod addunt, ut haec quoque excuset: quoniam et dolum excludit causa iniusta: sine quo non delinquitur⁵: id hic in prohibitis non mihi probari potest satis⁶. Aiunt etiam, quod sola fama, nec uera, offensae illatae sibi, aut his quorum offensione offensus ipseque censeretur qui nunc ad uindictam offendit, ea sit satis ad excusandum⁷. Imo enim explorare quis ante habet diligenter de re et iure suo, quam procurat ad faciendum aliquid contra pacem: si plene uelit non excusari modo, sed etiam iustificari⁸. Etiam nec debet fatuus esse rumor et uanus et credulitas irrationabilis, non uehemens, non accepta a fidedignis. haec imo neque excusat. ut sic in terminis pacis ruptae Ioannes Cephalus⁹. Utque sic excuset iniusta causa et ex solo rumore et similibus: quia in culpa sit qui non cogitat, falsum esse rumorem posse et cetera, de quibus non inquirat, et de quibus est inquirendum tamen et quidem diligentius in re tanti ponderis. Excusare nouam causam, etiam aiunt, quamuis non plene de ea constet et probetur¹⁰. Et, quum non apparet, si offensio secuta ex noua causa sit, uel ex ueteri, secutam ex noua causa interpre-

¹ Bal. 2. cons. 195, 4. 140.

² Bal. l. ult. C. de ac. em. (4. 49).

³ Bal. d. 195; Rom. 183. 257; Alex. 4. cons. 115; Cor. 1. 51, 2. 42, 3. 167; Dec. 531.

⁴ Mol. d. Dec. 531.

⁵ Bal. d. 195; Decia. 3. 4.

⁶ Ceph. cons. 35.

⁷ Alex. d. 115.

⁸ Alex. 2. 119.

⁹ Ceph. d. 35.

¹⁰ Alex. d. 115, ubi Nat.; l. 26. sol. matr. (D. 24. 3).

tantur. at hoc tamen si offensa nouae causae conueniat, non alias¹. Quod confirmat Cephalus. Quid enim si nouum factum erat uindictam lenius et uindictam sit seuerius? atque seuerior ista uindictio conueniat factis antiquis, pro quibus iam pax facta fuerit? Nisi hic defendes excessum potius uindictae noui facti, quam totam uindictam ueterum. Hoc ex coniecturis ostendendum est, qua ex causa secuta offensio sit². In dubio autem secuta creditur ex recentiori: ut sic crimen pacis uiolatae uitetur: et quia causa recentior utere urgere magis uidetur. Sic et ex illicita recentiori secutam praesumendam offensam, concludunt. Si non apparet, quis pacem ruperit prius, aut si simul se offendant: neuter accusatur³. Non accusatur, quasi fregerit pacem, qui quidem fecit contra pacem, at soluit pro pacto poenam: nam solutio poenae est pro obseruatione contractus⁴. Sed qui poenam non exegit, is quasi fracta pace aget: etiam si foederi adiectum fuerit uulgare uerbum, ‘Rato manente pacto:’ id est, ut qui contra foedus fecit prius, is ad poenam obligetur et pacis pactoque interim retineatur rato⁵. Quae et iurisiurandi uis, aut maior⁶: nam illud uerbum solum operatur ad commodum obseruantis. At non obseruanti nec obseruantur promissa. Non adimplenti non adimplendum⁷. Frangenti fidem frangi, etiam domino, fidem posse qualemcunque, nudam, iuratam, uox est uulgi, iuris et legum⁸. Frustra quis fidem sibi postulat seruari qui fidem seruare recusat⁹. Adi Cephalum in responso trigesimoquinto: ne illi decipiant te, qui dicent, stare ex eo uerbo pacem, etsi contra factum fuerit a parte altera.

Sed quae est poena uiolantium foedera? Et hic quidem aliter non respondetur atque alibi fit: quod uel de poena legis quaeritur, uel de poena conuentionis. Poena autem legis quae hic sit, si mox superetur bello foedifragus, ex supradictis in principio huius libri liquet. Seuerissima est pro uictoris arbitrio. Ut apud tribunalia manu uel capite puniuntur qui pacem fregerint, et domus eorum diruitur¹⁰: et hostes itaque

¹ Dec. d. 531; Cotta. Me. Offensio. ² Ceph. 304. 587. ³ Bal. l. 369. d. 195; Decia. 380; Ceph. d. 567.

⁴ Dec. d. 380; Cor. d. 167. ⁵ Alex. 2. 32, 4. 114, 6. 157, 7. 18; Corn. l. 51; Ceph. 690.

⁶ Ceph. cons. 35.

⁷ Imo. cons. 81.

⁸ Decia. cons. 282; Alc. 3. cons. 7; Bert. 2. 134; Cott. Me. Fallens.; Cuiac. c. 3. 29. de iur.

⁹ c. 75. de reg. iu. 6.

¹⁰ De Pa. Te ubi not.

interficiuntur; et urbes itaque diruuntur. Atque tanta sane est iniustitia in facinore isto: ut iuraque percant naturalia. Itaque filius alere patrem non teneatur uiolatore[m] foederis¹. Et haereticum tamen tenetur alere: et pater filium haereticum²: etsi haereticus nec habeat filium in potestate: et crimine haeresis nullum sit abominabilius³. Etiam patri hosti negantur alimenta⁴. Nam quid dicam, foedifrago isti fidere deinceps non oportere? Nam, ut Romani Poenis dicebant, per quos iurauerit iste Deos periurus? Acute sane Poenus, ut Poenus acutus, respondit, iuratos se per eosdem Deos, quos ultores perfidiae nimium sensissent et experti essent. Sed acute tamen: nam semel malus semper malus in eodem genere mali. Et mendacis haec est poena, ut nec credatur homini postea uel dicenti uera. Aut quid si non semel hic sit foedifragus? Ei qui credet, iste stultissimus sit omnium pecudum, necesse est. Aut quid si res est inter subditos et principem post foedera pluries uiolata? Inter hos neque semel posse foedus contrahi firmum, dictum et cognitum nimis est. Aut quid si res illic est, ubi seruanda negatur fides? Hic demum agitur cum his qui Poenis Poeniores sunt: et ubi fides accommodari nequit. Neutrumque potest fides accommodari, ubi semel sit ex parte altera fides laesa. Audi Carolum V negantem, posse se fidere Francisco primo, qui se deceperit: et Franciscum negantem posse se fidere Carolo tanto minus, quanto is se deceptum existimabat⁵. Fidem frangenti fides sane frangitur iuste in eodem negotio et in correspectiuus: sed non id licitum in diuersis⁶: ut, si Franciscus deceperit olim Carolum, is nunc in alia conuentione decipere Franciscum possit. Non est perfidia accumulanda perfidiae. Et perfidia tamen (id nunc dicimus) abrogat fidem omnem et nec perfidis. Atque de hac re exposui etiam ante. Quod si conuentum de poena est: haec debetur. Nec ad istam conuentionis uitandam proderit iusta causa, ut receptor dicitur sententia interpretum⁷: et ut mitius cum lege agitur quam cum homine: itaque et facilius est excusatio a poena legis quam conuentionis⁸.

¹ Castr. l. 1. de iust. (D. 1. 1); Alc. lib. 1. de U. S. (D. 50. 16).

² c. 1. dist. 30; Menoch. de Arb. q. 90. ³ Bal. l. 4. de his qui su. su. (D. 1. 6). ⁴ Bal. de Pa. Te.

⁵ Guicc. 18. ⁶ Alc. l. 21. C. de pactis (2. 3). ⁷ Alex. 2. cons. 119; Natt. Alex. 4. 115;

Dec. 615; Alc. 8. 37. ⁸ Alex. l. qui Romae, § duo fratres (D. 45. 1. 122).

Ceterum facio hic finem meo operi de iure belli : atque ista foederum et conuentionum aliis relinquo interpretibus nostris, qui plenius et, ut puto, laudabiliter tractant. Mihi eos inspicere neque copia neque mens fuit. Quamquam et nostrae sequuntur disputationes De armis Romanis et libri nostri De legationibus : in quibus sunt plurima quae omissa hic quis desideret. Illic sunt et quaestiones in coniecturali statu et facti : quae altera est pars operis perfecti ; nec necessaria minus quam haec est iuris.

Deus autem optimus maximus faciat principes imponere bellis omnem finem et iura pacis ac foederum colere sancte. ‘ Pax plenum uirtutis opus, pax summa laborum, pax belli exacti pretium est, pretiumque pericli : sidera pace uigent, consistunt terrea pace : nil placitum sine pace Deo¹.’ Etiam Deus, etiam impone tu bellis finem : tu nobis pacem effice : placatus iniquitatibus nostris : propitius nobis in Filio tuo, seruatore nostro, IESU CHRISTO.

¹ Prud. Psych. u. 770.





INDEX AUCTORUM CITATORUM.

Numeri paginas indicant.

A.

- Accoltus, Franciscus de Arretio, Commentarii, 77, 171, 232, 356.
- Aegyptius, u. Maimonides.
- Aelianus, 41, 52, 57, 247, 284.
- Aemilius, Paulus, Historia de rebus gestis Francorum, 23, 24, 37, 38, 41, 45, 47, 118, 124, 128, 131, 154, 158, 164, 185, 211, 212, 222, 231, 239, 240, 250, 262, 284, 299, 300, 310, 312, 326, 327, 339, 356, 386, 387.
- Aeneas Syluius, u. Pius II.
- Aerodius (Ayrault) Petrus, Decretorum libri sex, 295, 308.
- Aeschylus, 261.
- Aesopus, 252.
- Afflictus, Math., Decisiones Concilii Neapol., 188, 355.
- Agathias, 39, 42, 52, 89, 212, 231, 257, 262, 296, 311.
- Albericus de Rosate, 255.
- Alciatus, in Codicem, 103, 132, 153, 172, 180, 193, 241, 357, 360, 363, 379, 391, 392, 395, 411.
- Consilia, 9, 10, 17, 19, 20, 23, 29, 30, 43, 52, 77, 94, 95, 96, 102, 103, 104, 105, 109, 113, 120, 125, 128, 129, 133, 136, 137, 140, 142, 143, 144, 168, 170, 171, 172, 178, 179, 186, 187, 188, 189, 193, 194, 195, 196, 198, 209, 210, 214, 216, 217, 219, 220, 221, 225, 254, 270, 288, 289, 292, 293, 296, 301, 307, 308, 315, 317, 337, 344, 346, 347, 348, 349, 351, 352, 357, 361, 362, 363, 364, 366, 371, 373, 379, 392, 393, 396, 397, 399, 400, 401, 406, 410, 415, 416.
- Alciatus, in Corpus Iuris Canonici, 20.
- in Digesta, 20, 28, 30, 31, 33, 69, 96, 99, 102, 107, 108, 110, 120, 136, 138, 189, 199, 200, 256, 258, 293, 319, 357, 368, 369, 388, 416.
- Emblemata, 74, 153, 252, 275.
- Oratio Auenione habita, 274.
- Paradoxa, 12, 28, 21, 120, 178, 246.
- Parerga, 42, 111, 115, 133, 185, 249, 253, 321, 336, 355.
- de Praesumptionibus, 392, 397.
- de Quinque Pedum Praescriptione, 322.
- de Singulari Certamine, 11, 18, 24, 124, 139, 176, 195, 353, 356, 385.
- Alexander u. Tartagnus.
- Alexander ab Alexandro, Genialium Dierum libri sex, 201.
- Alvarez, 342.
- Ambrosius, ad Ephesios, 7.
- Epistolae, 47, 299.
- Epistolae in Symmachum duae, 299, 330.

- Ambrosius, de Officiis Ministrorum, 9, 14, 26, 65, 68, 69, 70, 88, 143, 145, 149, 159, 200, 282, 298, 337, 340, 378.
— liber de Tobia, 271, 347.
- Ammianus, 44, 45, 56, 78, 93, 102, 117, 134, 161, 286, 307, 327, 358.
- Anania, Io. de, Consilia, 256.
- Ancharanus, Petrus Io., Consilia, 178, 188, 221, 296.
- Andreas, Ioannes, Speculum de Tregua et Pace, 177.
- Angelus, Ubaldo de Perusio, 69, 88, 117, 120, 151, 179, 183, 187, 190, 191, 216, 219, 225, 255, 295, 316, 344, 352, 375, 392, 393, 394, 406.
- Apollonius, Rhodius, Argonautica, 32, 127.
- Appianus, 7, 19, 21, 23, 55, 83, 93, 102, 128, 138, 141, 149, 166, 190, 202, 207, 228, 234, 248, 262, 267, 269, 281, 291, 292, 293, 295, 303, 309, 325, 337, 344, 365.
- Apuleius, 41, 51, 62, 228, 249.
- Aquinas, 6, 19, 26, 145, 161, 244, 317.
- Ariosto, 268, 354.
- Aristoteles, Ethica, 2, 9, 10, 72, 80, 86, 116, 144, 260, 278, 338.
— Historia Animalium, 52, 285.
— Magna Moralia, 244.
— Metaphysica, 9.
— de Mundo, 50, 64.
— de Partibus Animalium, 137.
— Politica, 1, 5, 14, 21, 33, 51, 61, 65, 75, 89, 117, 277, 303, 317, 318, 319, 324, 335, 389, 397, 398.
— Problemata, 268, 319.
— Rhetorica, 9, 17, 29, 70, 238, 260, 270, 271, 283, 335, 336, 344.
— Topica, 6, 142, 146, 329.
- Arnobius, aduersus Gentes, 36, 52, 124, 153.
- Arretio, u. Accoltus.
- Arrianus, 7, 114, 137, 160, 238, 242, 247, 250, 314, 326.
- Asconius, 43, 298, 376.
- Asinius, in Digesta, 299.
- Athenaeus, 23, 91, 117, 139, 149, 238, 247, 271, 322, 407.
- Aucroes, de Primitate Praedicatorum, 244.
- Augustinus Antonius, Emendationum libri IV, 224.
- Augustinus S., de Altercatione Ecclesiae et Synagoges, 92.
— de Bono Coniugali, 219.
— de Civitate Dei, 22, 26, 29, 32, 64, 76, 116, 161, 208, 223, 239, 244, 247, 277, 282, 285, 292, 309, 324, 328, 331.
— de Consensu Euangelistarum, 262.
— de Cura pro Mortuis Gerenda, 239, 273.
— de Doctrina Christiana, 390.
— Epistolae, 282, 308, 339, 386.
— contra Epistolam Parmeniani, 44.
— contra Faustum, 14, 56, 331.
— Fidei Confessio, 244.
— de Genesi, 244.
— de Moribus Ecclesiae Catholicae, 168.
— Quaestiones in Heptateuchum, 19, 40, 80, 82, 83, 92, 99, 116, 117, 123, 125, 135, 143, 145, 150, 219, 243, 244, 245, 246, 318, 381.
— Soliloquiorum libri II, 243.
— de Tempore Sermones, 101, 159.
— de Utilitate Credendi, 9.
- Ausonius, 35, 62, 270, 293, 335.
- Azo, Summa Theologiae, 31.

B.

- Balduinus, F., Libri duo ad leges Romuli et XII Tabulas, 292.
- Baldus, in Codicem, 6, 19, 20, 21, 67, 68, 71, 72, 73, 74, 128, 156, 172, 175, 181, 182, 183, 190, 192, 196, 200, 201, 203, 215, 217, 227, 231, 232, 234, 247, 250, 253, 256, 257, 267, 268, 270, 288, 290,

- 307, 347, 349, 350, 353, 362, 369, 372, 392, 394, 414.
- Baldus, Consilia**, 10, 12, 14, 20, 21, 22, 26, 27, 30, 37, 39, 49, 50, 54, 58, 61, 62, 65, 67, 75, 79, 82, 94, 97, 98, 99, 104, 118, 120, 127, 136, 137, 140, 142, 151, 156, 161, 172, 175, 189, 191, 216, 217, 220, 222, 223, 231, 232, 233, 235, 239, 251, 257, 260, 268, 271, 278, 279, 290, 291, 295, 307, 309, 313, 344, 346, 349, 352, 361, 362, 364, 369, 371, 374, 376, 378, 380, 391, 395, 400, 401, 404, 406, 409, 411, 413, 414, 415.
- in Corp. Iur. Canon., 121, 132, 332, 401, 405, 412.
- in Digesta, 12, 17, 29, 37, 58, 65, 67, 94, 99, 105, 109, 113, 120, 123, 124, 125, 126, 138, 143, 154, 175, 186, 188, 191, 197, 209, 214, 216, 224, 229, 231, 234, 255, 257, 259, 274, 278, 279, 284, 286, 287, 292, 294, 295, 296, 333, 348, 355, 359, 360, 362, 364, 370, 372, 375, 378, 386, 387, 392, 395, 402, 405, 407, 408, 409, 416.
- in lib. Feud., 123, 394.
- in Nou., 406.
- de Pa. Co., 132, 403.
- Barbatus**, 121, 225, 369, 373.
- Bartolus**, 12, 95, 137, 169, 182, 186, 192, 194, 199, 229, 253, 256, 258, 286, 335, 350, 358, 364.
- Basilius, Magnus, Homil. adu. eos qui irascuntur**, 283.
- Bayfus, Lazarus, Adnot. in l. 2 de capt. et post. in quibus tractatur de re navali**, 190.
- Beda, Historia**, 111.
- Bellarminus, Controversiae**, 27, 43, 89, 103, 112, 130, 233, 243, 253, 300.
- de Translatione Imperii Romani, 112.
- Bellonus**, 233.
- Bembo, P., Cardinalis, Historiae Uenetac**, 128.
- Bernardus, S., de Consideratione**, 151, 162, 165, 202, 218, 220, 236, 283.
- *Epistolae*, 6, 47, 103, 119, 162, 229, 236.
- *Parabolae*, 53.
- de *Praecepto et Dispensatione*, 67, 109, 218.
- *Sermo de Aduentu Dom.*, 20, 37, 131.
- — in *Cantica*, 36, 149.
- — ad *Mil. Templi*, 26.
- Bertachinus, Repertorium Iuris**, 52, 415.
- Biblia Sacra**, 11, 19, 23, 32, 34, 37, 40, 41, 44, 47, 49, 50, 63, 67, 70, 77, 82, 92, 101, 116, 117, 119, 121, 123, 126, 133, 142, 143, 144, 145, 146, 151, 152, 153, 159, 161, 164, 183, 200, 207, 211, 221, 237, 239, 240, 243, 246, 247, 249, 251, 260, 264, 266, 272, 273, 274, 276, 291, 292, 297, 299, 302, 303, 309, 313, 316, 318, 320, 326, 328, 331, 353, 358, 359, 360, 380, 381, 382, 383, 384, 385, 386, 387, 407.
- Bodinus, de la Démonomanie des Sorciers**, 153, 154, 251.
- de *Republica*, 2, 40, 52, 54, 57, 61, 69, 71, 85, 90, 99, 130, 136, 160, 171, 174, 180, 188, 196, 231, 247, 253, 256, 258, 288, 295, 318, 323, 350, 365, 368, 371, 398, 405, 408, 409.
- Boerius, Nic., Decisiones Burdegalenses**, 253.
- Boethius**, 368.
- Bonifidius, Ius Orientale**, 45.
- Bonfinius, Rer. Ungar. Decades IV**, 107, 110, 111, 112, 161, 283, 301, 326, 328, 353.
- Brissonius, de Formulis etc. Pop. Romani**, 54, 125, 127, 299, 361, 366, 372, 390, 397.
- Buchananus, Hist. Scot.**, 84, 117, 149, 202, 351, 406.
- Budaeus, Gulielmus, Adnot. in Pandectas**, 186.

- C.
- Caesar, de Bello Ciuili, 22, 207.
 — de Bello Gallico, 46, 77, 78, 82, 85,
 86, 132, 159, 228, 294, 295, 305, 312,
 316, 334, 338.
 Cagnolus, in Codicem, 410.
 Caietanus, 243.
 Callimachus, Hymnus in Cererem, 74.
 Camdenus, Britannia, 85.
 Camerarius, Ioachimus, Decuriae XXI
 Problematum, 156, 302.
 Canterus, u. Lycophoron.
 Caratis, Martinus de, Laudensis in Feud,
 400.
 Cardanus, Hier., Contradicentium Medi-
 corum libri, 152.
 — Encomium Neronis, 46, 249, 311,
 312, 345.
 — de Sapientia, 9, 41, 153, 155, 174,
 222, 265, 331, 343, 344, 345.
 — de Uenenorum Differentiis, 152.
 Casaubon, in Suetonium, 146, 188.
 Casertanus, de Singulari Certamine, 72,
 80, 120, 134, 145, 236, 246, 260, 277, 353.
 Cassiodorus, Uariarum, 5, 36, 76, 111,
 127, 144, 156, 273, 275, 300, 344, 390.
 Castaldus, de Imperio, 26, 49, 109, 358,
 361, 383.
 Castrensis, Paulus, seu de Castro, Comm.
 supr. Cod. et Dig. 17, 20, 24, 27, 56,
 57, 66, 73, 78, 108, 113, 115, 118, 120,
 131, 170, 178, 193, 195, 199, 229, 255,
 258, 310, 363, 372, 375, 411, 416.
 Cato, Saccus, 102.
 Catullus, 329.
 Cedrenus, Historiarum Compendium, 26,
 42, 44, 47, 48, 138, 165, 260, 270, 307,
 314, 353, 356, 387, 408.
 Celsus, 73.
 Cephalus, Consilia, 9, 20, 22, 24, 49, 56,
 66, 70, 71, 72, 95, 103, 113, 115, 120,
 121, 131, 133, 135, 137, 138, 140, 141,
 143, 150, 167, 170, 171, 174, 187, 189,
 193, 194, 204, 209, 214, 215, 216, 218,
 219, 224, 225, 232, 240, 250, 254, 256,
 258, 274, 288, 289, 290, 307, 308, 317,
 350, 357, 362, 363, 364, 373, 374, 392,
 396, 397, 400, 404, 405, 410, 411, 412,
 413, 414, 415.
 Chalcondylas, Laonicus, Historiarum libri
 X, 159.
 Charisius, Institutionum Grammaticarum
 libri V, 69.
 Chassancus, Barthol., Catalogus Glorae
 Mundi, 39, 182, 219, 288, 336, 337, 349.
 — Consuetudines Burgundiae, 158.
 Chrysostomus, Opus imperfectum in Ma-
 thaeum, 283.
 — in Psal. 283.
 Cicero, de Diuinatione, 146.
 — Epistolae, 360.
 — Epistolae ad Attic., 335, 371, 386.
 — — ad Brut., 294, 308.
 — — ad Fam., 13, 56, 59, 66, 216,
 219, 221, 238, 283, 318, 330, 346, 347,
 371.
 — — ad Q. F., 6, 60, 80, 280, 292, 346.
 — de Finibus, 63.
 — ad Herennium, 260, 269, 313.
 — de Inuentione, 3, 56, 79, 97, 237,
 278, 328.
 — Laelius, 39, 64, 133, 265, 274, 332.
 — de Legibus, 3, 41, 47, 261, 284, 357.
 — de Natura Deorum, 7, 39, 40, 153.
 — de Officiis, 1, 3, 5, 12, 14, 16, 20, 28,
 50, 64, 67, 71, 79, 87, 97, 98, 104, 116,
 118, 123, 133, 134, 136, 137, 139, 144,
 149, 163, 174, 207, 247, 265, 271, 277,
 283, 284, 287, 292, 303, 319, 323, 333,
 335, 344, 349.
 — Orationes, 8, 11, 21, 24, 30, 51, 56,
 59, 60, 66, 69, 72, 74, 86, 93, 96, 116,
 123, 127, 130, 162, 163, 196, 203, 207,
 219, 221, 226, 227, 260, 261, 262, 267,
 274, 281, 287, 291, 296, 300, 303, 305,

- 309, 316, 329, 331, 335, 337, 343, 344, 345, 376, 387, 389, 403, 406, 411.
- Cicero, de Oratore, 11, 17, 127.
- Paradoxa, 388.
- de Republica, 21, 22, 138, 316, 336.
- Somn. Scip., 390.
- Topica, 15, 79, 340, 368.
- Tuscul. Disp., 6, 212, 219.
- Clarus, Iul., Receptae Sententiae, lib. V. de Omnium Criminum Materia, 55, 56, 58, 66, 95, 96, 105, 116, 169, 224, 252, 413.
- Claudianus, de Bello Gildonico, 148, 268.
- de IV Consul. Honor., 65, 267, 337.
- de VI „ „ 153, 214.
- Stilich., 147, 269.
- Clemens, Alexandrinus, 6, 9, 51, 55, 113, 117, 134, 145, 146, 159, 203, 226, 242, 247, 273, 281, 292, 320, 330, 393.
- Romanus, 117.
- Collenuccio, Pandolfo, Compendio dell' Istoria di Napoli, 310, 351, 356.
- Columella, 76.
- Commines, 227.
- Conanus, Commentarii, 4, 11, 81, 156, 295.
- Connestaggio, Hier. de Franchi, De Portugalliae conjunctione cum regno Castelliae, 15, 17, 24, 35, 45, 204, 208, 223, 365.
- Contius, in Cod., 111.
- in Dig., 114.
- Index Coniurationum, 111.
- Corneus, P. Ph., Consilia, 105, 156, 171, 173, 178, 180, 204, 256, 404, 411, 412, 414, 415.
- Corpus Iuris Canonici, 20, 26, 27, 28, 35, 37, 40, 41, 42, 49, 50, 55, 56, 66, 68, 78, 80, 82, 83, 86, 106, 107, 108, 118, 120, 121, 123, 125, 127, 135, 139, 145, 151, 192, 201, 209, 211, 218, 219, 221, 231, 251, 256, 261, 270, 277, 278, 285, 291, 292, 302, 304, 307, 308, 309, 310, 311, 326, 333, 340, 342, 343, 344, 345, 368, 370, 384, 396, 401, 415, 416.
- Corpus Iuris Civilis—*passim*.
- Cotta, C., Memorabilia, 66, 180, 226, 229, 406, 415.
- Couarruias, Didacus, de Matrimonio, 19.
- Regulae Peccatum de Regulis Iuris libro sexto relectio, 24, 28, 33, 37, 38, 39, 56, 71, 106, 117, 118, 195, 254, 292, 293, 315, 317, 319.
- Resolutiones, 175.
- in rubr. de Testamentis Interpretatio, 144.
- de Sponsalibus, 174.
- Crauetta, Io. Bapt., Consilia, 72, 245, 290, 307, 396, 409.
- Crotius, Io., rep. in rubr. de sol. ma., etc., 253.
- Curtius, Franc., junior, Consilia, 215.
- Curtius, Q., de Rebus Alexandri, et Historiae, 22, 114, 160, 179, 195, 204, 209, 211, 236, 240, 270, 296, 330, 339, 342, 343, 386, 391.
- Cuiacius, 25, 53, 54, 66, 76, 106, 107, 109, 125, 181, 182, 194, 203, 231, 232, 252, 254, 258, 278, 315, 331, 336, 357, 378, 406, 415.
- Cyprianus, adu. Demetrianum, 46, 48.
- Epist., 25.
- Cyrrillus, 386.

D.

- Danaeus, adu. Bellarm. Disp. Theol., 27, 44, 261.
- Decianus, 9, 70, 186, 188, 194, 209, 211, 214, 223, 224, 257, 278, 308, 333, 346, 348, 350, 361, 369, 370, 373, 396, 400, 414, 415.
- Decius, Consilia, etc., 19, 20, 29, 49, 55, 59, 65, 66, 94, 95, 96, 103, 107, 110, 112, 117, 131, 140, 143, 151, 160, 169, 170, 171, 172, 173, 174, 176, 181, 182, 186, 191, 214, 215, 216, 217, 219, 223, 225,

- 240, 250, 252, 253, 286, 288, 290, 307, 348, 349, 350, 353, 355, 357, 363, 364, 371, 373, 380, 392, 397, 399, 401, 402, 403, 404, 405, 407, 410, 413, 414, 415, 416.
- Demosthenes, 14, 53, 58, 80, 104, 203, 281, 297, 311, 325, 340, 344, 345, 397, 399, 407.
- Dio, 13, 40, 41, 45, 51, 52, 57, 61, 63, 108, 121, 128, 130, 141, 153, 158, 159, 171, 213, 224, 225, 228, 248, 267, 272, 273, 279, 282, 283, 295, 297, 298, 303, 305, 342, 343, 346, 376.
- Diodorus, Siculus, 45, 48, 84, 117, 118, 137, 146, 163, 203, 213, 223, 238, 239, 242, 249, 250, 278, 281, 297, 302, 322, 328.
- Dionysius, Halic., *Antiq. Rom.*, 40, 123, 126, 129, 131, 158, 159, 166, 202, 228, 231, 238, 265, 296, 299, 336, 337, 339, 340, 347, 362, 391, 398, 409.
- *Excerpta de Legat.*, 20, 68, 196.
- Disensiones Dominorum, 403.
- Donatus, ad Terent., *Eunuchum*, 177.
- „ *Andrian*, 144, 362.
- „ *Heeyram*, 156.
- „ *Adelph.*, 205.
- ad Virgil., 124.
- Donellus, Hugo, 6, 16, 31, 88, 193, 231, 298, 315, 367.
- Drusius, *Observationes Sacrae*, 144.
- Duarenus, *Disputatio Annua*, 110, 164, 337.
- in *Ius Canon.*, 176, 315, 341.
- in *tit. de pactis*, 16, 58, 169, 288, 334, 350.
- Duenas, P., 9.
- Dynus Mugellanus, in *Ius Canon.*, 373.

E.

- Eckius, u. Zasius.
- Egnatius, de *Caesaribus libri tres*, 107, 108, 110, 111, 112, 152.

- Ennius, 11, 139.
- Ennodius *Panegyricus*, 267.
- Epiphanius, 101.
- Erasmus, *Chiliades*, 26, 251.
- *Luciani 'Tyrannicidae' Uersio*, 150.
- *Praef. Hil.*, 36.
- *Uit. Hier.*, 128.
- Eucardus, Nic., *Topicorum seu Locorum Legalium Opus*, 256.
- Eugenius, M. A. *Perusinus*, *Consilia*, 67, 70, 98, 102, 156, 179, 181, 254, 397.
- Euripides, 58, 70, 126, 201, 239, 261, 267, 278, 281, 301, 336.
- Eusebius, 43, 153, 291, 312.
- Eutropius, 44, 309.

F.

- Faber, A., *Semestria*, 2, 268, 282, 298, 301, 315, 328, 387.
- P., *Agonisticon, siue de Re Athletica*, etc., 134.
- Faernus, Gabriel, *Fabulae*, 74.
- Fallopium, de *Morbo Gallico*, 152.
- Farinacius, Prosper, *Praxis et Theoricae Criminalis libri V*, 407.
- Felix, Minucius, *Octavius*, 64.
- Fellinus, Sandeus, *Comm. in Decr.*, 94, 98, 172, 173, 188, 218, 308.
- Ferrarottus, Uincentius, *contra Insidias Inimicorum Defensio*, etc., 35.
- Ferretus, Io. Bapt., *Consilia*, 96, 98.
- Festus, 25, 125.
- Feudorum libri, 120, 181, 400.
- Florianus ad *Digesta*, 191.
- Florus, 12, 21, 70, 78, 79, 92, 100, 126, 148, 149, 160, 231, 241, 259, 261, 278, 303, 304, 305, 334, 389.
- Fornerius, Gul., in *tit. de U. S. Commentarii*, 149, 199, 205.
- Fortius, Hier., in *Digesta*, 174.

- Fredericis, Stephanus de, de Interpretatione Legum, 97.
 Frontinus, Strategemata, 23, 137, 152, 188, 190.
 Fronto, Corn, de Differentiis Vocabulorum, 339.
 Fulgosius, Raphael, Comm. in Pandect., 102.
 — Consilia, 405.

G.

- Gabrielius, Hieronymus, Consilia, 104.
 Galenus, Claudius, 35, 303.
 Gargas, seu Garcia, Fortunius, Comm. in tit. de Pactis, 242.
 Gellius, Aulus, 24, 60, 62, 64, 123, 128, 139, 152, 177, 221, 222, 247, 261, 262, 274, 334, 404.
 Gentilis, Albericus, 'alibi,' etc., etc., 114, 119, 138, 139, 140, 243, 265, 281, 284, 329, 331, 334, 383, 384, 407.
 — de Armis Romanis, 76, 92, 93, 100, 305, 306, 409, 417.
 — de Conditionibus, 143, 193.
 — de Inuento, 4.
 — de Iure Belli, 13, 19, 33, 69, 74, 75, 91, 92, 94, 95, 101, 114, 118, 120, 132, 133, 142, 148, 151, 236, 248, 262, 268, 274, 306, 307, 314, 316, 317, 327, 332, 347, 350, 352, 381, 393, 394, 395, 403, 409, 410, 411, 412, 415, 416.
 — de Legationibus, 71, 129, 260, 417.
 — in tit. ad Leg. Iul. Mai., 308.
 — in tit. de Maleficiis, 154.
 — de Mendacio, 145, 146, 381.
 — de Nuptiis, 16.
 — in tit. de U. S., 388.
 Gentilis, Scipio, de Legit. Temp., 130.
 — Origines, 205.
 — Parerga, 13, 86.
 — Torqu. Tassi Solymeidos libri duo posteriores, 150.

- Gozadinus, Ludou., Consilia, 63, 363, 374, 412.
 Gregoras, u. Nicephorus.
 Gregorius de Arimino, in Primum et Secundum Sententiarum, 244.
 Gregorius de Valentia, Comment. Theolog., 6.
 Guicciardini, Storia d'Italia, 58, 41, 49, 68, 82, 95, 111, 140, 152, 158, 160, 173, 184, 192, 197, 218, 223, 224, 225, 256, 284, 298, 300, 302, 307, 310, 311, 314, 341, 343, 345, 348, 349, 350, 351, 352, 354, 356, 361, 369, 370, 377, 379, 380, 385, 387, 396, 397, 401, 405, 416.
 Guido Papa, Delphinus, de Praesumptionibus, etc., 180, 196, 240.

H.

- Hebraica Apophthegmata, 74.
 Hegeppus, 212.
 Heliodorus, Aethiopica, 21, 247.
 Hermes, Trismegistus, de Natura Deorum, 45, 84.
 Herodianus, 30, 45, 77, 82, 102, 110, 154, 161, 332, 391.
 Herodotus, 7, 8, 11, 34, 40, 60, 90, 114, 123, 126, 129, 130, 140, 142, 155, 228, 240, 242, 247, 263, 265, 268, 309, 325, 334, 339, 341, 353.
 Hesiodus, 32, 74, 156, 237.
 Hieronymus, S., Apol. Ruf., 159, 411.
 — Ep., 61, 65, 73, 143, 160, 214, 240, 276, 298, 303, 345.
 — contr. Iouianum, 359.
 — Quaest. siue Traditiones Hebraicae in Gen., 40, 92.
 — de Scripturis Ecclesiasticis, 48, alibi, 342.
 — ad Titum, 7.
 Hippocrates, de Aere, etc., 242, 303.
 — de Epidem., 346.
 — de Locis in Homine, 73.

Hippolytus, 85.
 Hirtius, 227, 249.
 Homerus, Hymn. ad Herc., 93.
 — Ilias, 134, 228, 270, 277.
 Horatius, 11, 13, 58, 64, 69, 85, 91, 126,
 156, 174, 203, 205, 362, 395.
 Hospitalius, Galliarum Cancellarius, Epis-
 tolae, 36, 285, 300, 387.
 Hotomannus, Fr., Commentarius in libris
 Institutionum, 21, 321, 362.
 — Consilia, 347.
 — Feud., 107, 342, 351, 353, 356.
 — in tit. de praescr. uerbis, etc., 183,
 194, 350, 402, 410.
 — Quaestionum Illustrium liber, 17, 21,
 24, 165, 174, 182, 294, 360.
 — de Succ. Reg. Gall., 395, 396.
 Hyperides, de Foederibus Alexandri, 341.

I.

Iason, 58, 66, 67, 80, 96, 123, 138, 170,
 175, 180, 183, 187, 188, 191, 194, 195,
 199, 217, 230, 284, 288, 293, 323, 332,
 389, 391, 393, 407, 408, 409, 412.
 Imola, u. Tartagnus.
 Innocens, Papa IV, super V. lib. Decret.,
 etc., 217.
 Iornandes, de Getarum Origine, 32, 94.
 Iosephus, Antiq., 40, 51, 121, 123, 125,
 164, 183, 200, 230, 252, 264, 268, 291,
 296, 297, 303, 336.
 — contra Apion., 40, 264.
 — Bella, 157, 286, 301, 306, 307, 309,
 318, 332, 336, 337, 404.
 — de Vita Sua, 36, 153, 280.
 Iouius Paulus, Historiarum Sui Temporis,
 13, 15, 35, 38, 43, 61, 63, 69, 82, 102,
 103, 122, 152, 153, 158, 159, 166, 188,
 192, 202, 203, 204, 206, 209, 210, 211,
 212, 213, 220, 222, 223, 224, 225, 227,
 228, 230, 243, 248, 262, 265, 311, 340,
 341, 390, 404.

Irenaeus, 113.
 Isernas, Andr., in Usus Feudorum, 249,
 286.
 Isidorus, 135, 177, 347, 390.
 Isocrates, 45, 51, 78, 101, 115, 117, 203,
 227, 263, 268, 302, 317, 325, 329, 343,
 347, 390, 412.
 Iulianus, Imp., Nouellae, 390.
 Iustinianus, Imp., Digesta, etc., *passim*.
 — Edictum, 10, 338.
 Iustinianus, Castigatissimi Annali della
 Republica di Genoa, 66, 112, 154, 158,
 217, 299, 302, 327, 354, 361, 377.
 Iustinus, Historia, 23, 77, 86, 92, 109, 111,
 112, 117, 146, 153, 155, 160, 161, 162,
 165, 234, 242, 286, 291, 295, 305, 315,
 326, 334, 338, 353, 379.
 Iustinus, Imperator, Nouellae, 219.
 Iustinus, Martyr, 40, 43, 117, 153, 334.
 Iuuenalis, 330, 334.

L.

Lactantius, 25, 36, 64, 65, 244, 329, 344.
 Laertius, Diogenes, 244, 274.
 Laetus, Iul. Pomp., 111.
 Lampridius, 43, 46, 117, 326.
 Langius, Ioan., Epist. Medicinalium, 149.
 Latro, Portius, Declamatio contra Catal.,
 308.
 Leo, Imp., Nouellae, 68, 73, 204, 242, 269,
 274, 284.
 Leunclausius, in Dionem, 371.
 Lipsius, de Mil. Rom., 25, 156, 205,
 264.
 — Poliorc., 156, 157, 205.
 — Politica, 11, 41, 75, 311.
 — de Una Religione, 43.
 Liuius, 11, 12, 13, 21, 30, 31, 46, 51, 55, 57,
 61, 62, 69, 77, 78, 94, 96, 100, 102, 123,
 124, 125, 126, 132, 133, 135, 141, 142,
 148, 159, 164, 166, 169, 172, 178, 184,

- 190, 203, 206, 207, 209, 210, 211, 213,
219, 222, 225, 228, 230, 231, 233, 238,
240, 241, 248, 259, 265, 273, 286, 291,
295, 296, 297, 301, 302, 304, 305, 307,
308, 309, 310, 313, 323, 324, 325, 326,
334, 335, 339, 340, 343, 344, 345, 353,
354, 356, 362, 367, 377, 380, 388, 391,
404, 408.
Lombardus, Petrus, Sententiae, 153, 219.
Lucanus, 22, 147, 269, 292.
Lucianus, 51, 99, 146, 156, 238, 309.
Lucretius, 50, 155, 156, 173, 362.
Lycophon, Alexandra, 270, 271.
— cum Uersione Latina G. Canteri, 301.
Lyra, Nic. de, Expositio in Decalogum,
243.

M.

- Machiaueli, 109, 128, 190, 385.
Maimonides, 5, 41.
Macrobius, 5, 12, 79, 90, 121, 138, 140,
214, 229, 235, 261, 309, 319, 328, 362.
Magius, Hier., Miscellanea, 156, 157, 274,
314.
Mandosius, Quinctilianus, 189, 253, 350,
372.
Manutius, Paulus, 40, 41, 43, 86, 117, 133,
213, 219, 220, 310, 372.
Marcellus, u. Nonius.
Martyr, Petrus, Commentarii in libros
Iudicum, Regum, etc., 83, 101, 136,
359, 385.
Maximus, Tyrius, Sermones siue Disputa-
tiones, 27, 51, 156.
Melancthon, Definitiones Multarum Appellatum
quarum in Ecclesia usus est, 145.
Menochius, Iacobus, de Arbitrariis Iudicium
Quaestionibus et Causis, 161, 217,
218, 220, 232, 333, 416.
Mercurialis, in Hipparchum Praelectiones,
346.

- Minturnus, de Poeta, 90, 271.
Minucius, u. Felix.
Molincus, 67, 81, 110, 143, 181, 191, 276,
287, 289, 353, 397, 413, 414.
Montagnus, (Montaigne), 66, 112, 205.
Morus, Utopia, 160, 180, 240, 328, 397.
Mysingerus, Ioachimus, Singularium
Observat. Iudicii Imperialis Camerae
Centuriae IV, 181.

N.

- Natalis, Comes, Histor. Sui Temporis, 32,
34, 38, 41, 42, 101, 128, 140, 149, 173,
188, 196, 202, 205, 208, 224, 227, 292,
306, 311, 331, 342, 347, 375, 379, 388,
391, 394, 401, 407.
Natta, M. A., 188, 233, 371, 414, 416.
Nazarius, Panegericus Constantino dictus,
10.
Nepos, Corn., 154, 184, 238, 334, 362, 390.
Nicephorus, Callistus, Xanthopulus, 42, 43,
44, 58, 67, 69, 124, 230.
Nicephorus, Gregorae, 58, 64, 82, 84, 129,
201.
Nicetas, 47, 87, 99, 239, 278, 280, 322.
Nonius, Marcellus, Propria Sermonis, 12,
316.
Numatianus, u. Rutilius.

O.

- Oddus, 188.
Odofredus, in Digest., 76.
Oldradus, de Ponte, Consilia, etc., 349.
Opizonibus, Ambros. de, Repett. in Iure
Canonico, 403.
Orosius, 7, 24, 44, 69, 94, 129, 165, 225,
228, 230, 239, 252, 291, 326.
Ouidius, 32, 58, 61, 70, 86, 133, 140, 147,
222, 241, 252, 270, 281, 320, 412.

- P.
- Pachymera, Georgius, 133.
- Pacuius, M., *Armorum Iudicium*, 275.
- Pamelus, Uita Cypriani, 27.
- Panegeric. Const., 309, 311.
- Panormitanus, Nic., de *Tudeschis*, de Concil. Basil., 8, 49, 98, 188.
- Consil., 295, 369, 391.
- in *Ius Can.*, 172, 189, 206, 253, 310, 364, 407.
- in *Ius Civ.*, 107.
- de *Sponsalibus*, 98.
- Paninius, *Imperium Romanum*, 48.
- Papa, u. Guido.
- Paponius, Iohannes, de *Arrestis*, 196, 295.
- Paruta, Paolo, 177.
- Paterculus, u. Uelleius.
- Patritius, Franc., *Della Poetica la Deca Istoriale*, 153.
- Paulus, u. Festus.
- Paulus, Diaconus, 86, 141, 230, 260, 275, 312, 408.
- Pausanias, 60, 93, 96, 124, 129, 132, 135, 152, 159, 163, 203, 229, 238, 241, 265, 268, 278, 296, 323, 330, 353, 379, 413.
- Penna, Lucas de, *Lectura super X, XI, XII libros Codicis*, 162.
- Persius, 58, 298.
- Petrus, Martyr, u. Martyr.
- Philo, 32, 41, 43, 44, 45, 50, 51, 56, 58, 64, 85, 113, 224, 246, 249, 261, 264, 268, 277, 281, 293, 306, 308, 309, 317, 320, 321, 327, 328, 330, 393.
- Philostratus, 146, 147, 261.
- Piccolomineus, Franc., *Librorum ad Scientias de Natura Attinentium libri V*, 1.
- *Uniuersa Philosophia de Moribus*, 1, 27, 30, 31, 80, 203, 215, 236, 317, 332, 353, 367, 371, 406.
- Pindarus, 74, 260.
- Pinelus, Arius, *Comm. in Constitutiones Codicis de bonis maternis*, etc., 208.
- Pius II, Pont. Max., i. e. Aeneas Syluius, *Comment. Rer. Memorab. Quae Temp. Suis Contigerunt* (ed. Gobbelinus), 15, 29, 74, 184, 195, 202, 204, 212, 218, 227, 243, 265, 286, 349.
- Platina, de *Uitis Pontificum Romanorum*, Greg. XII, 173.
- Plato, Alc., 355.
- *Cratyl.*, 341.
- *Epist.*, 324.
- *Euthy.*, 74, 244.
- de *Legibus*, 3, 8, 17, 19, 40, 65, 67, 237, 242, 271, 284, 303, 318, 319, 324.
- *Pol.*, 1, 3, 52.
- *Protag.*, 2, 9, 364.
- de *Republica*, 51, 80, 146, 154, 203, 242, 264, 270, 275, 278, 316.
- *Soer.*, 146.
- Plautus, 23, 87, 362.
- Plinius, *Hist. Nat.*, 7, 51, 111, 125, 147, 155, 199, 274, 285, 301, 354.
- Plotus, *Repetitio l. si quando C. unde ui*, 245.
- Plutarchus, *Apoph.*, 69, 74, 139, 165, 201, 221, 278, 279, 320, 334.
- *Lacon.*, 157.
- de *Audiendis Poetis*, 203, 279, 305.
- *Bruta Animalia Ratione Uti*, 51, 135.
- de *Claris Mulieribus*, 212, 231, 247.
- de *Cohibenda Ira*, 286, 305.
- *Collatio Graecorum et Romanorum*, 159, 248, 309, 353.
- de *Fortuna siue Uirtute Alexandri*, 4, 64, 270.
- de *Herodoti Malignitate*, 91.
- de *Loquacitate*, 221.
- *Politica Parangelmata*, 153.
- *Problemata Romana*, 278, 279.
- *Quomodo Nutriuntur Liberi*, 73.
- de *Sera Numinis Uindicta*, 245.
- de *Superstitione*, 121, 238, 322, 329.

Plutarchus, Symposiaca Problemata, 155, 206, 301, 355.
 — Uitae Parallelae, 4, 19, 37, 40, 51, 62, 80, 84, 87, 90, 133, 135, 137, 141, 142, 148, 160, 163, 166, 168, 178, 188, 190, 196, 221, 227, 229, 238, 241, 242, 247, 248, 265, 278, 280, 284, 295, 296, 297, 306, 309, 312, 318, 320, 324, 334, 338, 340, 354, 356, 369.
 Politianus, Epistolae, 62.
 Pollio, u. Trebellius.
 Pollux, 322.
 Polyaeus, Strategematum Liber, 133, 137, 138, 139, 140, 149, 151, 152, 158, 159, 165, 166, 265.
 Polybius, 7, 46, 62, 90, 95, 98, 100, 124, 133, 142, 150, 161, 197, 203, 209, 214, 247, 248, 259, 279, 280, 286, 293, 338, 342, 354, 367, 375, 388, 390, 399.
 Polydorus, Uergilius, Historia Anglicana, 14, 122, 164, 185, 197, 202, 212, 231, 232, 332, 351.
 Pontanus, seu de Ponte, Ludou., Romanus, Consilia, 16, 49, 65, 91, 96, 115, 120, 137, 140, 169, 174, 188, 189, 192, 214, 215, 216, 217, 218, 220, 232, 253, 256, 257, 258, 288, 318, 321, 333, 350, 361, 363, 372, 373, 391, 392, 397, 411, 412, 414.
 Portius, Comm. in libb. I, II, III, Inst. 234.
 Priscianus, 11, 23, 52.
 Procopius, 42, 53, 56, 66, 69, 77, 82, 107, 117, 122, 128, 159, 173, 184, 188, 203, 227, 231, 238, 248, 249, 257, 265, 277, 338, 339, 342, 391, 394, 398.
 Propertius, 287, 330.
 Prudentius, contra Symachum, 262.
 — Psychom., 309, 417.
 Ptolemaeus, 7.
 Q.

Quintilianus, 117, 164, 232, 294.

R.

Racuardus, Iac., Uariorum, siue de Iuris Ambiguitatibus, libri V, 169.
 Rhodiginus, L. Coclius, Lectionum Antiquarum libri XVI, 372.
 Ripa, Ioh. Franc. à, Comm. ad Ius Ciuile (Rubricae), 56, 233, 406.
 Riminaldus, Hippolytus, Consilia, 182.
 Rolandius, Rodolphus, Consilia, 245, 412.
 Romanus, u. Pontanus.
 Rubeus, Io. Ant., Consilia, 410.
 Ruinus, Carolus, Consilia, 189, 251, 256, 258, 369.
 Rutilius, Numatianus, Claudius, Itinerarium, 324.

S.

Sabellicus, M. A. Coceius, Enneades seu Rhapsodia Historiarum, 139, 374.
 Saccus, u. Cato.
 Saliceto, Barth. a, in Codicem, 349.
 Salisburiensis, Iohannes, Polieratiens de Nugis Curialium et Uestigii, 48, 50.
 Sallustius, 12, 32, 61, 152, 227, 238, 280, 321, 332, 341.
 Sancto Georgio, Iacobinus de, Commentarii, 170, 178.
 Scaliger, I. C., de Causis Linguae Latinae, 217, 218, 310.
 — Poetica, 28, 46, 90, 165, 237, 246, 252, 273.
 Scanderbegus, Castriotus G., Orationes de Bello contra Turcos, 27, 152, 155, 164, 184, 198, 204, 221, 260, 271, 275, 366, 387.
 Schoppius, seu Schioppius, Gaspar, Uerisimilium libri IV, 217, 362.
 Seneca, L. A., de Beneficiis, 9, 22, 27, 40, 71, 72, 87, 115, 136, 165, 201, 226, 239, 274, 292, 321, 341, 351.
 — de Clementia, 144, 219, 285, 323, 324, 338.

- Seneca, L. A., *Consolatio ad Helviam*, 76.
 — *Declamationes*, 396.
 — *Epistolae*, 10, 19, 25, 64, 148, 245, 319, 340.
 — *de Ira*, 65, 80, 201, 281.
 — *Naturalium Quaestionum libri septem*, 51.
 — *Tragoediae*, 59, 93, 125, 128, 156, 201, 240, 245, 260, 265, 278, 280, 325.
 — *de Vita Breuitate*, 149.
 — *de Uitiis Tragoediarum*, 213.
 Seneca, M. A., *Controuersiarum libri decem*, 12, 281, 319, 321, 396.
 — *Suasorium liber*, 189.
 Septalius, Lud., in libr. Hippocratis *de Aere Commentarii*, 85.
 Seruius, in *Virgilio*, etc., 20, 86, 125, 154, 170, 178, 234, 237, 267, 312, 362, 389, 392.
 Sextus Rufus, 93.
 Sigonius, *de Antiquo Iure Prouinciarum*, 24, 124.
 — *de Iure Ital.*, 213, 408.
 — *de Regno Italiae*, 16, 86, 107, 108, 109, 173, 228, 242, 249, 263, 301, 311, 327, 394.
 Silius, 134, 135, 148, 203, 356.
 Siluaticus, *Consilia*, 253.
 Sleidanus, Iohannes, *de Statu Religionis et Reipubl. Carolo V Caesare Commentarii*, 140.
 Socinus, Barth., *Consilia*, 98, 143, 258, 293, 369.
 — *in Dig.*, 113.
 — *Fallentiae Regularum*, 9.
 Solinus, C. I., *de Situ Orbis*, 7, 155.
 Sophocles, 83, 219, 267, 270.
 Soto, *de Iustitia et Iure*, 28, 120, 151, 161, 329.
 Spartianus, 43, 321.
 Statius, Pap., *Sylvarum libri*, 240.
 — *Theb.*, 268.
 Steph., *Fred.*, u. *Fredericis*.
 Stobaeus, *Sententiae*, 145.
 Strabo, 7, 85, 91, 92, 93, 114, 139, 149, 225, 240, 252, 279, 280, 282, 302, 303, 304, 309, 324, 325, 371, 408.
 Suetonius, 7, 13, 27, 40, 89, 93, 124, 127, 146, 158, 165, 226.
 Suidas, 114, 120, 139, 149, 152, 153, 156, 221, 250, 261, 267, 268, 269, 279, 372, 388, 390, 398.
 Symmachus, 273, 280, 329.
 Syrus, P., 61.
- T.
- Tacitus, 7, 12, 21, 32, 46, 51, 77, 82, 90, 93, 102, 108, 124, 133, 137, 148, 162, 165, 199, 208, 226, 233, 235, 238, 242, 246, 262, 263, 269, 282, 291, 294, 297, 298, 300, 301, 305, 318, 323, 343, 346, 371, 397.
 Tarchagnota, *Giouanni, Dell' Istorie del Mondo*, 327.
 Tartagnus, Alexander de Imola, 39, 54, 58, 72, 73, 74, 80, 81, 82, 88, 91, 98, 103, 111, 143, 171, 172, 175, 180, 181, 182, 186, 188, 214, 215, 216, 217, 219, 220, 222, 226, 229, 240, 250, 252, 253, 256, 271, 278, 287, 288, 289, 295, 307, 310, 318, 352, 355, 360, 361, 362, 363, 364, 368, 369, 370, 371, 372, 374, 380, 389, 393, 394, 397, 401, 402, 403, 406, 408, 411, 412, 413, 414, 415, 416.
 Tasso, Torquato, *della Nobiltà*, 236, 270.
 — *Solymeid.*, 153, 268.
 Terentius, 58, 126, 281.
 Tertullianus, *de Anima liber*, 11.
 — *Apologeticus adu. Gentes*, 9, 35, 41, 43, 48, 64, 153, 291, 298.
 — *de Castitate*, 57.
 — *de Corona Militis*, 25.
 — *de Fuga in Persecutione*, 244.
 — *de Idol.*, 25.
 — *adu. Iudaeos*, 25, 123.

- Tertullianus, adu. Marc., 156, 219, 261, 284.
 — de Paenitentia, 244.
 — de Pallio, 156, 334.
 — de Pud., 307.
 — ad Scapulam, 36.
 — de Spectaculis, 309.
 — de Testimonio Animae adu. Gentes, 10.
 Theophilus, Institutiones, 321.
 Thucydides, 13, 14, 18, 38, 52, 60, 61, 76, 80, 118, 122, 135, 137, 232, 238, 271, 296, 298, 322, 324, 325, 351, 365, 369, 372.
 Tiberius, Imp. Constitutiones, 237.
 Tibullus, Eleg., 36, 122.
 Tiraquellus, Andr., Comm. in Cod., 179, 219.
 — in Dig., 191.
 — de Nobilitate Commentarii, 227.
 Torrentius, in Suetonium, 302.
 Trebellius, Pollio, Historia Gallienorum, 46.
 — — Ualerianorum, 86, 237.
 — — Tyrannorum, 242.
 Trismegistus, u. Hermes.
 Tudeschis, u. Panormitanus.
- U.
- Uacon, 86.
 Valentia, u. Gregorius.
 Valentinianus, Nouellae, 174.
 Valerius Maximus, 4, 124, 138, 148, 150, 160, 163, 165, 172, 190, 199, 241, 263, 285, 307.
 Varro, de Ling. Lat., 3, 11.
 Vegetius, de Re Militari, 57.
 Velleius, Paternus, Hist. Rom., 13, 57, 305, 308, 316.
 Vergilius, u. Polydorus.
 Vesalius, Andr., Epitome Anatomica, 284.

- Victor, Sex. Aurel., de Uiribus Illustribus Urbis Romae, 149, 159.
 Victoria, Relectiones Theol., 28, 37, 53, 85, 116, 120.
 Victorius, Petrus, Uariar. Lectionum XXV libri, 91.
 Virgilius, 77, 78, 84, 86, 87, 90, 134, 147, 149, 155, 164, 177, 180, 214, 229, 235, 236, 237, 238, 241, 266, 272, 273, 282, 319, 341, 362.
 Vitalis, Ludou., Lect. Car. Iur. Ciu., 184.
 Citruuius, 278.
 Uiuus, Franciscus, Syluae Communium Opiniorum, 136.
 Ulpianus, 292, 299.
 Uoconius, Declaratorum Iur. Ciu., 86.
 Uopiscus, Probi, Saturnini, etc., Hist., 24, 43, 242, 342.

W.

- Wesenbecius, Scholia ad Inst. Inst., 31.

X.

- Xenophon, 5, 8, 14, 34, 51, 61, 80, 123, 128, 135, 146, 157, 158, 166, 295, 318, 345, 356.
 Xiphilinus, 14, 66, 153, 248.

Z.

- Zasius, Ualricus, Apologetica Defensio contra Io. Eckium, 136, 403.
 — in Dig., etc., 58, 76.
 Zonaras, Epitome Historiarum, 14, 42, 43, 44, 48, 60, 82, 93, 101, 102, 107, 125, 128, 129, 137, 152, 153, 155, 159, 200, 248, 251, 262, 271, 284, 296, 307, 309, 314, 336, 337, 354, 356, 366.
 Zosimus, 207, 318.



UTL AT DOWNSVIEW



D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 15 16 23 09 009 5